ALBII TIBULLI
CARMINA

EX RECENSIONE ET CUM ANIMADVERSIONIBUS

IMMANUELIS G. HUSCHKII

ACCEDIT SPECIMEN EDITIONIS VENETAE

A.

M.CCCC.LXXII.

AERI INCISUM

TOMUS PRIMUS

LIPSIAE

Apud Gerhardum Fleischerum.

M.DCCC.XIX.

NOBILISSIMO

EIDEMQUE ERUDITISSIMO

COMITI

ANTONIO BARTOLINI

COMMENDATARIO SACRI ORDINIS HIEROSOLYMITANI

HANC TIBULLI EDITIONEM

D. D.

EDITOR.

PRAEFATIO.

Hoc in primis propositum habui, ut Tibulli Carmina accurate exigerem ad Editiones veteres, libris scriptis, quibus hodieque utimur, auctoritate non inferiores, aetate propemodum pares, planumque facerem, quo olim illa habitu expressa, quas mutationes vel a codicibus recens comparatis vel a doctorum hominum ingeniis paullatim subierint, quo denique iure nova quaevis lectio substituta sit antiquiori; unde, facile intelligebam, pendere huius operis, toties recocti, recensionem paullo accuratiorem. Sed hoc inquirendi studium magnam mihi otii partem absumpsit, nec uno simul tempore omnia in promptu fuerunt subsidia. Quo factum est, ut libro primo quaedam adferre non potuerim adiumenta, quae perlata demum ad me sunt iam occupatum in recensendis reliquis. Cui incommodo statim ab initio occurrendum mihi

esse vidi Analectis, quibus colligerem, quae adiicienda essent, vel etiam retractarem, si quid melius constitui posse videretur.

Iam in iis subsidiis, quae mihi librum Elegiarum primum illustranti defuerunt, primo loco memoranda est Collatio Editionis saeculi XV. quae nunc separata invenitur, nunc coniuncta cum Propertio a. 1472. Propertium ego quondam vidi sine Tibullo apud Santenium, qui libro inscripserat: *Editio omnium princeps.* Hoc Santenii exemplum, quod nunc servatur in bibliotheca Berolinensi, mala sedulitate cuiusdam possessoris, qui scalpello veterem lectionem erasit eique calamo induxit novam, adeo depravatum est, nullum prope ut usum adferat antiquae scripturae studioso. Tamen mihi iam tum convenerat cum Santenio, hanc esse Editionem Propertii illam, quam in manibus habuisset Vulpius, sed tam negligenter contulisset, ut pro non collata haberi deberet. Vulpii exemplum Tibullum simul complectebatur. Hoc Heynius confudit cum maioris formae Editione a. 1472. posita ab ipso in fronte Editionum omnium, quam ego item principem vocavi propterea, quod, praeter Tibullum et Propertium, Catullum quoque, qui tunc primum editus mihi videbatur, adde etiam Statii Silvas, continet; postea, ut accuratius distinguerem, alteram a forma et amplitudine maiorem, alteram minorem appellavi. Sed ab hac Editione

Catullum non abfuisse, in mentem iam venit Audiffredo Catalog. Histor. Crit. Roman. Edd. Saec. XV. p. 440. nec me dubitare sinit observatio quaedam Scipionis Maffeii in Museo Veronensi, de qua videbimus infra. Nunc dicendum mihi est de Collatione Tibulli. Nam quum certior factus essem a Bardilio, illius Editionis, quam in manibus habuisse Vulpium ipse confirmaverat, exemplum reperiri in bibliotheca regia Parisiensi, rogavi virum praestantissimum, quem amicitiam cum Hasio contraxisse sciebam, ut, hoc auspice, utriusque poetae carminum Collationem cum Ald. a. 1502. meo aere conficiendam curaret. Nec frustra. Hasius, ad omnia item officiorum genera vir promptissimus, curam rei demandavit Gregorio Zalyco Thessalonicensi, cui acceptam refero totius libri lectionem diversam eamque accurate perscriptam.

Haec Editio sine dubio expressa est ad Codicem vel plane perditum vel nondum denuo excussum. Nam quis credat, Editorem suopte ingenio intulisse v. c. lectionem, adhuc in hoc uno repertam exemplo, III. 1. 14.

Sic et † n † *comptum mittere oportet opus.*

Mutila verba inferre non solent Editores, ubi vox integra, quae a sensu non abhorreat, in manibus est, emendandi autem ratio tam prompta et pa-

rata. At ille, haesitans fortasse, utrum vocem decurtatam mutaret in *etenim* an in *etiam*, maluit librum suum sequi, quam ingenium periclitari. Quare nullus equidem dubito, quin ex eodem libro scripto pariter ductae sint lectiones quaedam aliae, quas nemo fortasse non Tibullo restituendas esse censeret, nisi caeterorum codicum obstaret numerus et auctoritas. I. 3. 29. *Ut mea votivas persolvat Delia* poenas; quam lectionem re vera pro *voces* reposuit Vulpius, sed, quod notandum, ne monito quidem lectore, ductam eam esse ex Editione illa. Cuius generis simile mangonium, fateor, mihi adhuc oblatum esse alibi nullum. Hoc omnium instar argumentorum est, Vulpium ob oculos habuisse hanc Editionem. Porro I. 3. 76. *Assiduas atro* sanguine *pascit aves.* Probabilis haud dubie scriptura. Vulgo *viscere.* IV. 1. 72. *Cum canibus rapidas inter freta* curreret *undas.* Qua memorabili lectione, a nobis recepta pro *serperet*, quod vulgo legitur, tota loci illius facies mutata est. IV. 13. 13. *Nunc licet* et templo *mittetur amica Tibullo.* Ubi vide commentarium. Hanc omnem diversitatem ne dignam quidem habuit, quam commemoraret, Vulpius, quamvis postea scripserit in Prolegomenis ad Propertium p. VII. *Usus valde sum Editione omnium principe Anni* MCCCCLXXII. *cuius locus incertus.* Hanc cum manu scriptis codicibus

fere consentientem *Broukhusius omnino ignoravit*. Laudavit eam quatuor ad summum Propertii locis, I. 2. 2. II. 34. 9. III. 17. 29. IV. 4 48. Hoc ille vocabat *valde uti*. Ego quavis pagina laudassem. Nam Codicis vicariam esse hanc Editionem, in primis demonstrant lectiones quaedam, quas nullus quidem liber editus, at scripti confirmant complures, velut illa satis a me commendata diversitas I. 2, 51. *Sola tenere malas Medeae dicitur* artes, pro *herbas*. I. 4. 43. *Quamvis praetexens* picea *ferrugine coelum*. Ubi omnes, quod sciam, Editiones veteres habent *picta*, praeter principem illam, e qua Vulpius tandem revocavit *picea*, nunc quidem laudato libro. Quanti autem pretii Codex ille fuerit, inde potissimum efficitur, quod Editori veteri lectiones suppeditavit, quas posterioris demum aevi interpretes intellexerunt unice veras esse, ut I. 5. 5. libeat ne *dicere quicquam Magnificum posthac*, pro *liceat ne* vel *nec*. Ib. v. 16. *Vota novem* Triviae *nocte silente dedi*. Quo loco reliquae Editiones ad Scaligeranam usque *Veneri* exhibent, quod postea reposuerunt Gebhardus et, e suo codice, Grasserus Lugd. a. 1607. I. 7. 42. *Crura licet dura* compede *pulsa sonent*, pro *cuspide*. Adde ib. v. 53. *Sic venias hodierne* et II. 5. 8. *nunc indue vestem* Sepositam, pro *Depositam*. Quibus locis omnibus aliisque permultis haec Editio dis-

crepat ab Editione mai. a. 1472. quam Venetam dicunt, et huius saeculi reliquis. Num etiam a *Pinelliana* et *Bartoliniana?* Hoc adhuc ignoro. Nam quod putaveram, Morellium, qui haec duo exempla rarissima descripsit in Epistola ad Nobilissimum Antonium Comitem Bartolini, eadem etiam contulisse cum aliis et omnem lectionis diversitatem enotasse, fecit me certiorem vir eruditissimus, se nihil servare in Adversariis, quod non prodidisset in Epistola. In hac autem de lectione Pinelliani exempli, quod translatum est in Angliam, prorsus non agitur, e Bartoliniano nonnulla loca descripta sunt, e quibus apparet, hoc in universum magis conspirare cum Ed. min. a. 1472. de qua supra dixi, v. c. in lectione *tentet* et *reseret* I, 2, 17—18. expressa a Balbo, quam cum Ed. mai. a. 1472. Me autem in primis adverterat illud, quod scribit Morellius p. VII. huic Editioni, cuius adhuc non nisi unum exemplum repertum est in bibliotheca Bartoliniana, inesse lectiones probabiles, in nulla alia eiusdem aevi Editione comparentes, nisi forte in Pinelliana, quam tum non amplius ob oculos habebat.

Haec tria exempla utrum ante Editionem a. 1472. quae vulgo princeps habetur et Venetiis prodiisse fertur, an post eam excusa sint, etsi ad liquidum perducere non potuit Morellius, ego

tamen in eam sententiam inclino, ut illa antiquiora existimem, antiquissimum autem omnium Pinellianum, expressum, si forte, ad librum, Senecae et Pontani commentis non inquinatum. Ad hoc enim Grammaticorum par insignior horum carminum interpolatio referenda est. Pontanus simulabat, habere se vetustum Codicem, cui inessent quidam in aliis libris desiderati versus, cuius ille Codicis nemini copiam fecisse videtur, nec facere potuit, siquidem finxerit, quod nusquam gentium exstaret; similis hac in re Lilio Gregorio Gyraldo, qui pari modo homines deludebat. De Pontano res posita est in coniectura, sed admodum probabili. Nam Perreius, qui Pontani Codicem saepe laudat, semel tamen manifesto prodit, se librum ipsum non vidisse, scribens ad III. 4. 65. „Pontanus reposuit ab illo, *ut asserebat*, codice: *Flere nec ante pedes pudeat dominamque vocare.*" Ergo Pontanus vulgasse videtur librum, a se interpolatum, quem diceret descriptum esse ab archetypo illo, quod nemo unus viderat. At nullam plane dubitationem habet Senecae liber interpolatus, ex quo, certo scio, fluxisse Codicem Anglicanum, numero quartum, littera D notatum a Broukhusio. Ad huius Codicis finem primum legitur Vita Tibulli, deinde sequitur Epistola haec: *Lilius Castellanus suo Antonio Jacobo Racinatensi* S. P. D. Tibullum *a me superioribus diebus*

quotidiana instantia flagitasti, quem ego hic ad te mitto, ut plane intelligas, a Senecae libello vel hisce manibus traductum Poetam *sane inter primos venerabilem*. Haec P. Burmannus Secundus ex ipso illo libro transtulit in schedulam separatam, insertam Editioni Broukhusianae in bibliotheca Regia Berolinensi, nec plura ille, quod dolendum, descripsit, addens: „*caetera pars Epistolae in laudibus Tibulli et commendatione* Ludovici cuiusdam Pontani *occupatur*.“ Quem ego *Ludovicum* Pontanum non magis cognitum habeo, quam *Lilium Castellanum* et *Antonium Jacobum Racinatensem*. Ad Senecam quod attinet, eius notitia adhuc debebatur duobus librariis, quorum alter exaravit Cod. Dresdensem, alter Mediolanensem. Nunc accedit tertius, is, qui perscripsit Cod. Parisiensem n. 7989. collatum cum editione Vossiana a. 1811. ab eruditissimo Bardilio, cuius benevolentia haec Collatio tota translata est in Editionem nostram. Hic igitur librarius iisdem versibus Catulli et Tibulli adulterinis nomen Senecae adscripsit, quibus idem adscripserunt priores illi. De Tibullo vide, quae annotavimus ad II. 5. 14. et 75. De Catullo audiendus est Paul. Marron, laudatus in prooemio Elegiae ad Manlium a Santenio, in cuius ille gratiam poetae Veronensis Carmina ad eumdem Codicem Parisiensem accuratissime contulit cum Editione Is. Vossii Lond.

1684. quam nos Collationem item in scriniis nostris servamus. Marron igitur Collationi Catullianae praescripsit haec: Codex 7989. Regius. *Videtur haec esse* Mediolanense *illud exemplar quod Vossius* p. 284. *dicit* caeteris omnibus vetustius. *In hoc enim comparet versus quem isto loco citat et ad marginem adscribitur vetusta manu:* Suppt. Senca. Vere. Nec tamen ratio illa, qua concluditur, Mediolanensem et Parisiensem unum esse eundemque librum, ita comparata est, ut adsensum extorqueat. Nam Senecae nomen adscribitur etiam in Cod. Dresd. Tibulli versibus, quos laudavi supra, nescio an etiam Catulli loco El. ad Manl. v. 47. *Omnibus et triviis vulgetur fabula passim*, quem designat Marron, nec tamen idem est liber cum Parisiensi, ut res ipsa loquitur, sed ex diverso fonte ductus, quod satis patet e lib. I. 2. 24 — 25. ubi hic alium versum subditicium habet quam ille. Ergo tres libri, inter se diversi, Senecam accusant tamquam interpolatorem. Et dubitamus adhuc, versus eiicere, aperte illi adscriptos? Exempli gratia II. 3. 75.

Ah pereant artes et mollia iura colendi.)*

*) Scipio Maffeius Mus. Veron. p. CCV. „Horrent quidam, versus duos integros cum eiiciendos audiunt. At non horruit Scaliger Tibullum castigans: *hoc distichon spurium et insititium est.* (I. 2. 24.) Quanto minus pertimescendum, ubi de Catullo

Quo quidem versu ego nullum vidi umquam inficetiorem. Sed de hac re satis ad locum. Hic mihi potius memoranda est ingeniosa viri cuiusdam docti de aetate et patria huius Senecae coniectura, prodita in Ephem. litter. Academ. Jen. 99. a. 1777. amplificata ab Harlesio Supplem. ad Brevior. Notit. Litterat. Rom. P. I. p. 547. ubi scribit: „Medio saeculo XV. floruit quidam *Thomas Seneca Camers*, non latinis modo sed etiam etruscis litteris commendatus et poeta; cuius latina habentur inter carmina illustrium poetarum Ital. Florent. 1721. tom. IX. p. 39. Is, qui Aesii, Arimini, Bononiae et Florentiae docebat, una cum *Porcello* seu *Porcellio* (de quo multus est *Zenus* in Dissertazioni Vossiane tom. I. p. 15—21.) studium litterarum graecarum, quas ignorabat, stulte sprevit. Quod igitur uterque homini latino graecis non opus esse litteris temere praedicabat, imo potius odio iraque in *Basinium* Parmensem, graecarum litterarum amantissimum inflammatus, hunc

agatur, cui et alia carmina editores de suo iniecisse ignorat nemo. Parthenius de iis quae addiderat monuit, at non ita caeteri. De carminis dimidio Scaliger: *additum est a Pontano, ut et alia nonnulla.*" Non haec Scaligeri sunt, sed Mureti verba ad Catull. Carm. I. 9. ubi porro scribit: Ego etsi non video, quid aptius appingi potuerit, *satius tamen duco, esse lacunas in bonis libris, quam easdem cuiusquam ingenio expleri.*

omne tempus, in litteris graecis consumptum, omnino perdidisse clamitabat: *Basinium* gravem nactus est adversarium, qui quidem in binis epistolis, altera prosa oratione exarata, altera poetica, in qua ostendit, *poetas latinos sine litteris graecis nihil posse*, contra utrumque stilum acuit, in utraque autem epistola *Thomam Senecam Camertem* nomine tantum *Senecae* adpellavit. Hic igitur Seneca forsan fuit, qui interpolaret Tibullum, Virgilium aliosque poetas et cuius nomen adpingeretur versibus interpolatis.“ Hactenus ille, mea sententia, satis ingeniose. Tamen Senecam, de quo agitur, paullo maturius floruisse crediderim, siquidem interpolationes eius iam notantur in Cod. Paris. qui scriptus est a. 1425. Et re vera ille iam a. 1420. in magna celebritate vixit Anconae, referente, ut nunc ipsum video, Angelo Bataglini, qui vitam viri accuratissime perscripsit, apud Basinium Opp. Tom. II. p. 91. Ex quo rursus consequitur, eos libros, qui pro versibus Senecae lacunas habent, ut libri quidam Mureti I. 2. 25 — 26. ed. Voss. antiquiores esse Parisiensi, certe ex antiquiore codice ductos, ut Vindob. et Bern. Sed hi, vereor, ne admodum sint pauci. Certe ego inter eos, quibus temporis nota adscripta est, nullum vidi, qui aetate superaret Parisiensem et excederet annum 1425. ut hic adeo sit unus ex antiquioribus. Codex Archiepiscopi Eboracensis (E) omnium, ait

Broukhusius, quos vidi, vetustissimus est. Atqui P. Burmannus Secundus, qui librum illum vel ipse manibus versavit, vel certe Collatione Heinsiana usus est, ad oram Editionis Broukh. testatur, scriptum eum esse a. 1425. „sicut in fine legebatur.“ Idem ad Anglicanum A. notavit: Liber magnam partem mutilus, in cuius fine haec leguntur: *Ego Nicolaus de Brandis hunc Tibullum scripsi mense Augusti* 1460. — Codex C. circa initia, ut videbatur, artis typographicae scriptus. — Codex D. eodem fere tempore scriptus. Colbertino inest longior et diffusior Vita Tibulli, quam quae vulgo in libris scriptis reperitur. Ea vero est Hieronymi Alexandrini et legitur in Ed. Venet. a. 1475. Hinc, ait Broukhusius, qui notationem illam adscripsit Ald. a. 1515. hinc aestimari potest vetustas Colbertini libri. Sic inter omnes illos codices, quos recenset Heynius, quorum plurimis temporis nota adiecta est, vix unum reperias, qui excedat saeculum XV. complures scripti sunt post inventionem artis chalcographicae: unus Vaticanus n. 1609. simpliciter vocatur Tibulli *codex antiquus* in membrana. De Lipsiensi, qui a me nunc primum collatus est, infra agam separatim. Hi igitur libri circa Chalcographiae initia scripti propemodum omnes ex uno illi quidem profecti sunt fonte, sed quum alii librarii alios rivulos consectarentur, a Seneca,

Pontano, Philelpho, Aurispa caeterisque interpolatoribus turbatos, tot facta sunt codicum divortia, quot enumerare longum est, percensere infinitum.

Antiquioribus sine dubio libris usus est Perreius in Excerptis, Aldinae a. 1515. adscriptis. Cuius libri vicissitudines tam accurate persecutus est Saxius in Onomast. Litt. P. IV. p. 606. nihil ut addi iis possit nisi, quod exteri fortasse ignorant, delatum eum esse post obitum Santenii in Germaniam et nunc servari in bibliotheca Regia Berolinensi. Ubi quum ego nuper hunc librum paullo curiosius tractabam, statim animadverti, nondum exhaustas esse a Broukhusio omnes libri rarissimi dotes, facileque impetravi a Viris Amplissimis, qui rei litterariae curam gerunt in Borussia, ut eum domi per otium denuo excutere mihi liceret et comparare cum quibuscunque vellem eiusdem bibliothecae libris rarioribus; pro qua singulari erga me benevolentia maximas illis ego et agam gratias, *dum spiritus hos reget artus.* Perreius igitur Tibullo subscripsit haec: *Recognovi ego Antonius Perreius collatis emendatissimis et vetustissimis Romae et Florentiae Codicibus anno* 1528. Sic vetus scriptura, tantum non evanida, renovata est, nescio a quo, fortasse ab Heinsio, omissis, quae inferiore loco scripta magna oculorum intentione a me restituta

sunt: *Codicibus tribus Romanis Venet* .... *et Florentini. ex Diomed. gram. com. et Plauti* ... *et ex cod* .... Quae per se levia ad pleniorem tamen horum Excerptorum intelligentiam mirifice faciunt. Romanos quidem codices et Florentinos in Excerptis ipsis nominatim citari non memini. Sed hos ille complexus est litteris V. C. quibus, interprete Broukhusio, designatur universe *varietas lectionis* ex antiquis codicibus *adnotata ab Ant. Perreio.* At Venetum ille semel diserte laudat ad III. 4. 80. *Felix*, ac *alium desine velle virum:* ut est in Ald. 1515. Adscripsit Perreius: „*Ac* breve. nisi *ergo* legas, ut in *cod. Ven.*" Sed laudat etiam, quem in subscriptione, nisi fallor, non designavit, *Veronensem* ad I. 8. 22. sicut *Pisani* librum ad Catullum XXVII. 7. *Puccii* Codicem, V. C. *Ubaldini* et *Cremonensis Episcopi* ad Propertium II. 7. 13. Qui quales fuerint libri, hodie ignoramus. In eorum uno reperisse videtur Perreius lectionem rariorem, a solo Charisio memoratam, I. 5. 3. *turben* pro *turbo*, cui ille voci claris litteris adposuit *turben.* Illud autem in primis animadverti velim, usum esse Perreium quodam Diomedis grammatici commentario, quem in subscriptione, maximam partem a me restituta, simpliciter laudat, in Excerptis ipsis tot eum locis commemoravit, ut facile appareat, librum plenum fuisse animadver-

sionum ad haec Tibulli carmina spectantium. Exempla non longe quaerenda sunt. Citatur enim statim I. 1. 6. *assiduo igne*, Diom. 94.—I. 2. 61. *Jam iubet adspersas* etc. Diom. 86. — I. 4. 37. *Solis aeterna* est — *iuventa*, Diom. 76. — I. 5. 43. *Non facit hoc verbis* etc. Diom. 94.—I. 6. 47. *caedit* violenta *lacertos*, Diom. 55. et sic porro. Hic igitur Commentarius*) qualis fuerit, nec ego scio, nec compertum habuit Broukhusius, qui omnem illam Variantium farraginem transtulit in aliud exemplum Ald. a. 1515. omissis his et re-

*) Intelligendum esse locis citatis Diomedis Grammatici Commentarium, in subscriptione memoratum, ab hoc autem secernendum esse alium librum, sic citatum: *Dio. in Calp.* v. c. ad Catullum I. 2. „Dio. in Calp. 64.“ Ibid. v. 9. „Dio. in Calp. 10.“ hoc igitur mihi dubium non videtur. Alibi simpliciter laudatur *Annotatio*, v. c. ad Tibullum I. 4. 9. ubi professus sum, me, quorsum ea pertineat, nescire. Mox animadverti, auctorem Annotationum illarum esse M. Anton. Cocc. *Sabellicum*, cuius ille nomen praeposuit v. c. ad Catullum I. 9. scribens ad marginem: *quod o, Patrona, Virgo:* „Sabell. annot. 51.“ Ita re vera legit Sabellicus in Annott. insertis Gruteri Thes. Crit. Tom. I. p. 162. Sunt igitur in his Excerptis nova mixta antiquis, distinguenda est recentior manus ab antiquiore. Quod nunc vereor, ne me fefellerit ad I. 2. 16. *Audendum est* etc. qui versus abest ab Ald. a. 1515. Hanc lacunam altera manus explevit sic: „vacat V. C.“ altera addidit: et I cod. Ip̂ſso M. sic ē: *Audēdū ē: fortes adiuuat ipsa Venus.* Hoc ego in Analectis ita interpretatus sum: *et in cod. ipso M.* Nunc non dubito, quin ita rescribere debuerim: *et in cod.* impresso *Mureti*, hoc est, in Editione Mureti, quae versum illum sic exhibet: *Audendum est. fortes adiuuat ipsa Venus.*

liquis, quae, quorsum referret, non habebat. Et mihi multa omittenda fuerunt. Nam fatendum est, libri huius scripturam ita vetustate absumptam esse, ut multa ne legi quidem amplius possint, usum autem eius difficiliorem reddidisse Heinsium, interpositis Codicum suorum lectionibus propriisque emendationibus. Caeterum nusquam ne tenuissimum quidem vestigium deprehendi earum Variantium, quas in Ed. min. a. 1472. reperiri, supra demonstravi. Spero tamen fore, ut eae etiam lectiones, quarum fontes adhuc indagare non potui, aliquando confirmentur librorum scriptorum auctoritate, modo plures excutiantur, nec negligantur annotationes, quas Editionibus saeculi XV. adscripserunt Politianus, Bernardinus Pisanus, Alexander Syncliticus, alii. Nam Editiones ipsae iam comparatae sunt, si a Pinelliana et Bartoliniana discedas, nisi fallor, omnes. Venetae, quam dicunt, a. 1472. a nullodum editore adhibitam diversitatem e Parisiensi exemplo enotavit et mecum communicavit eruditissimus Bardili, praetermisso tamen Carmine ad Messalam, quod postea cum Ed. Heyn. a. 1777. comparavit alius vir doctus ad exemplum Argentoratense, ex quo is, quem primo loco nominavi, Bardilius, me rogante, diplomatica fide descripsit Specimen Carminis ad Messalam a v. 54 — 78. quibus versibus continetur Epitome errorum Ulyssis, expres-

sa ad Odysseam ψ. 310—338. Hoc Specimen, aeri incisum, cum editione nostra vulgabitur. Romanam a. 1475. Vicentinam a. 1481. Lipsiensem ex officina Thanneri a. 1500. et alias Heynius, Venetam a. 1475. Regiensem a. 1481. Brixiensem a. 1486. et Venetam a. 1487. cum commentario Cyllenii accuratissime excusserunt Nic. Heinsius et Broukhusius. Ego ipse denuo comparavi lectionem Vicentinae, Regiensis et, quas ipse possideo, Venett. a. 1491. et a. 1493. nec me poenitet repetiti laboris. Nam et in Vicentina multa aliter se habere cognovi, quam proditum est ab Heynio, v. c. III. 3. 1. nec in Regiensi defuit, quod discreparet a notatione Heinsiana, v. c. I. 3. 51. A Regiensi exemplo, quo usus sum, aberat plagula extrema, cui impressum est loci et anni indicium, ut ab initio, quum mihi traderetur e bibliotheca Lips. Senatoria a Blumnero, Viro Illustri, nescirem, quaenam haec esset Editio. Mox tamen agnovi, esse Regiensem, e comparatione alterius exempli, commodati mihi tum a Diezio. Hoc notatum est multis animadversionibus Alexandri Synclitici, illud Casp. Barthii, qui suas in Tibullum *Notas* ipse laudat ad Statii III. Theb. 276. Alexandri Synclitici annotationem perpetuam perlegere, immo excerpere nec potui nec volui; quando enim finiturus? sed diligentiae aliorum, qui post me his carminibus

illustrandis operam dabunt, excutiendam reliqui. Nunc etiam in manibus habeo Venetam a. 1487. missam commode a Wilckenio, viro amicissimo, qui me et praesentem et absentem omni modo sublevavit copiis bibliothecae Berolinensis, qua nulla hodie instructior est a multiplici apparatu, ad Catullum, Tibullum, Propertium et Ovidium pertinente. Haec Editio, quod Heynius iam monuit, et ipse agnovi, conspirat ita cum Venett. 1491. 93. ut, ubicunque has laudaverim, paucis locis exceptis, addere cogitando possis illam. Habet igitur Venet. 1487. quod suspicabar, I. 6. 84. *Spectat: et* infelix quod *sit acerba monet.* III. 3. 1. *votis*, et v. 9. distinctis litteris: *Tunc cum* permensae *defunctus* tempore *lucis*. Habent vicissim Venett. 1491. 93. *tardos dies*, I. 4. 33. pro *stultos dies*, quod expressum tandem est in Venet. 1500.

Editionem Tibulli sine anni et loci indicio, coniunctam cum Propertio Jac. Baryni Lips. a. 1495. apud Martinum Lantzbergensem, quae nunc exstat in bibliotheca Heidelbergensi, comparavit I. H. Vossius, qui, nescio, quibus argumentis adductus putaverit, Tibullum impressum esse Lipsiae a Conrado Kacheloven. Sane de eiusmodi exemplo agit Panzerus Tom. I. p. 499. n. 274. provocans ad bibliothecam Neostadiensem, descriptam a Schnizero. Atqui ad eandem bibliothe-

cam provocat Harlesius Supplement. P. I. p. 550. ut confirmet, in ea exstitisse Tibullum ex editione Conradi Celtis. Hic error subest manifestus. Qua de re certius aliquid allaturum esse suspicor Bardilium, virum ad tales res explicandas natum ac factum, quem rogavi, ut exemplum Neostadiense, si copia daretur, denuo excuteret ac definiret, an recte vir quidam doctus posuerit, esse illud Thannerianum, nec umquam in rerum natura exstitisse Tibullum Kachelovianum.

His Editionibus ita usus sum, ut, ubi omnes conspirabant in lectione aliqua per se non mendosa, posteriore tamen tempore expulsa, sedulo indagarem, an latina esset, eaque via saepe inveni, antiquiorem lectionem revocandam, abiiciendam esse recentiorem. Exemplis defungar paucis e pluribus. I. 5. 42. nulla non Editio vetus habet: *Et pudet* et *narrat*. Haec vera est lectio, quam satis confirmavi in Analectis. Adde v. c. Terentii locum And. I. 1. 9. At postquam Scaligero in mentem venit, reponere *Et, pudet* heu, *narrat:* vix unus et alter repertus est editor, qui hinc discedere auderet, sicut Dousa et Grasserus, reliqui in contextum intulerunt pravam illam emendationem. I. 6. 39. *Tunc procul absitis, quisquis* colit *arte capillos.* Probe intellexerunt Editores veteres, hanc esse latinam constructionem. Quid Broukhusius? Ratio, inquit,

sermonis postulat, ut *colis* scribamus: sed hoc et alii viderunt. Crediderunt etiam alii. Ego pristinam scripturam restitui. II. 5. 53. *Concubitusque tuos* furtim *vittasque iacentes.* Haec lectio, omnes omnium aetatum vicissitudines eluctata, tandem cedere iussa est coniecturae Vossianae: *Concubitusque* datos *furtim.* Cui emendationi primum obstat similis locus I. 3. 50. *nunc* leti *mille* repente *viae*, depravatus item falsa lectione, *nunc* leto *multa* reperta *via;* deinde obstant cum veterum Graecorum exempla, tum recentioris Graeculi, qui Anacreontis nomen ostentat, locus Carm. XXVIII. 15 *Ἐχέτω δ', ὅπως ἐκείνη, Τὸ λεληθότως σύνοφρυ Βλεφάρων ἴτυν κελαινήν.* At, inquit, legitur ibi hodie *σύνοφρυν*, et locus aliter interpungitur. Quid tum? Docuit me Tibullus, poetam illum scripsisse *τὸ λεληθότως σύνοφρυ.* Enimvero Graecos non imitatur Tibullus. Certe non Anacreontem nostrum. Reliquos non modo imitatus ubique est, verum etiam latine interdum convertit, ut Homerum in Carmine ad Messalam.

Jam ubi dissentiebant Editiones veteres, praetuli primum, ut par erat, eam lectionem, quam confirmaret Tibullus ipse, v. c. II. 3. 79. ubi Ed. min. a. 1472. cum libris nonnullis habet: *Non ego me vinclis verberibusque* negem, pro *nego.* Illud Vossius, hoc ego reposui, praeeunte

Tibullo, I. 6. 37. *At mihi servandam credas, non saeva recuso Verbera, detrecto non ego vincla pedum.* Porro III. 2. 27. altera Editionum classis praetulit: *Sed tristem mortis demonstret littera* causam: eaque lectio dominatur in omnibus posteriorum aetatum exemplis. At altera classis, originem ducens a Rom. a. 1475. id est, Venett. et Brix. a. 1486. cum Commentario Cyllenii habent *casum.* Hoc ego revocavi, duce Tibullo I. 9. 82. *Fixa notet* casus *aurea palma meos.* Deinde in dissensu aliquo Editionum veterum instar mihi omnium fuit Consuetudo. Huc in primis pertinet IV. 7. 8. Non *ego signatis quidquam mandare libellis,* Ne *legat id* nemo, *quam meus,* ante, *velim.* Sic primum edidit Calpurnius in Vicent. a. 1487. idque expresserunt postea, praeter eas, quas citavi, Edd., Venet. a. 1487. Aldd. Muret. Stat. Scalig. Dous. a. 1592. Plantin. 1560 et 1569. Gryph. 1561 et 1573. etc. confirmant duo libri apud Voss. Solus Grasserus edidit a. 1607. Ne *legat* ut *nemo.* Hoc in nullo libro neque scripto neque edito reperitur. Excerptt. Pocchi habent, Ut *legat* id *nemo.* Exemplis, quibus Calpurnii lectionem firmavi, adde Liv. IV. 31. *quum ibi quoque religio obstaret,* ne non *posset* nisi *ab consule dici dictator, augures consulti eam religionem exemere.* Hoc Latinum esse negat Gronovius ad locum, non

negat Plinius IV. Epistt. 13. 8. *dabuntque operam, ne a me pecuniam* non nisi *dignus accipiat, si accepturus et ab ipsis erit.* Ubi vide Heusingerum et, quae scripsit Schaeferus ad V. 17. 6. item in Add. p. 794. Cicero Phil. VI. 3. *horam eximere* nullam *in tali cive liberando sine scelere* non possumus.

Sin erat, ut me omnes destituerent Editiones et libri scripti, quod saepe factum est, necessario mihi confugiendum fuit ad Coniecturam et, quae Coniecturae filia est, Emendationem. Hic omnem curam adhibui, ne emendarem, nisi quod manifesto mendosum esset, intactum contra relinquerem, cui nihil obstaret, nisi locutionis insolentia, probe sciens, quantum labis intulerit Veterum scriptis haec recentiorum editorum ratio, qua vitiosum aliquid habetur, quia insolitum est ad nostrum sensum, eique substituitur aliquid usitatius. Quod age exemplo confirmemus Propertii, qui scripsit I. 15. 21. *Coniugis Evadne miseros* elata per ignes *Occidit Argivae fama pudicitiae.* Consentiunt in hac lectione Editiones omnes, praeter Lachmannianam, quae habet: ablata *per ignes,* ex emendatione editoris. Quid ita? Quia, inquit, Evadne *elata* numquam est, quae se vivam in mariti rogum praecipitaverit. Atqui etiam mortui non *efferebantur per ignes.* Tamen ita scripsit Manilius, si mihi magis quam Bentleio

credis, IV. 69. qui locus vulgo ita legitur et interpungitur:

Quot subitae veniunt validorum in corpora mortes?
Seque ipsae rursus fugiunt, errantque per ignes.
Ex ipsis quidam elati *rediere sepulchris.*

Non variant libri nec alii, nec Lipsiensis; habeo in manibus ipsum Bentleii exemplar Plantin. a. 1600. cui Variantes illius libri adscripsit Joach. Frid. Fellerus*): nec loco suppetias tulerunt T. Hemsterhusius et L. Santenius, quorum emendationes reperiuntur ad marginem Editionis Bentleianae commodatae mihi nuper a Frid. Aug. Wolfio. At Bentleius ipse scribit: Illud *per ignes* sensu vacuum est; nec conatus est quisquam interpretari. Repono, *Seque ipsae rursus fugiunt, errantque per* omnes. *Ex ipsis quidam elati* etc. Sic ille edidit: num facturus, si in locum inci-

*) Hoc exemplar, nescio, quo casu venerit in Bataviam ad J. Altheer, librarium Rheno-Traiectinum; unde, sub exitum anni superioris, delatum est ad me. Praescripsit libro nomen suum *Richardus Bentleius.* Subscripsit Fellerus: *contulit Manilium cum Codice Msto Lipsiensi (qui ubique ferè Gemblacensi respondet)* Ioach. Fried. Fellerus *Aõ.* MDCXCIII. *Lipsiae: in gratiam celeberrimi Viri*, Richardi Bentleii, *parantis omnibus numeris absolutam huius Poetae editionem.* — Godefrid. Richteri, de quo agit Wolfius in Anall. Litter. Tom. I. p. 64. nulla fit mentio.

disset Propertii? Vix credo. Nam locus Manilii sine dubio ita interpungendus est: per ignes *Ex ipsis quidam* elati — *sepulchris*. Sed quorsum *rediere?* Nihil expeditius. Adpone litteram extremam praecedentis verbi *fugiunt* verbo, quod sequitur, *errantque*, et mendum hoc ita corrige:

Quot subitae veniunt validorum in corpora mortes?
Seque ipsae rursus fugiunt, terramque per ignes
Ex ipsis quidam elati rediere *sepulchris:*
Atque his vita duplex, illis vix contigit una.

Constructionem huius loci et locutionis, de qua agitur, vim optime illustrat Livius IV. 29. *Messium impetus* per stratos caede hostes *cum globo fortissimorum iuvenum* extulit ad castra Volscorum, *quae nondum capta erant.* Paullo post: *quum dimisso exercitu* urbem redisset. Ubi editores *in* adiecerunt; invitis libris optimis. De re ipsa Propertius II. 27. 16.

Concessum *nulla lege* redibit iter.

Quodsi casus ita tulisset, ut librarius, qui Codicem Propertii exaravit, a quo reliqui manarunt, pro *elata* reponeret *ablata* — nonnulli sane *delata* intulerunt — nec, quid hic scripserit, hodie sciremus, nec quo modo corrigendus sit Mani-

lius. Ita plerumque prava unius loci emendatio contagione laedit alterum alterius scriptoris locum, et omnis paullatim antiquitatis color perit. De quo vel sic actum foret, nisi tandem librariis manum iniecisset suo tempore interveniens Chalcographia. Nihil enim tam insulsum excogitari potest, quod non, praesertim circiter natales divinae huius Artis, in Tibulli aliorumque scriptorum monumenta intulerint librarii et interpolatores, quorum errores confutare et videre, quid in hac verborum confusione verum sit, quid falsum, quid futile, quid non, res est difficilis et immensi laboris. Cuius rei facultatem ut assequerer, optavi quidem semper, an assecutus sim, viderint alii. Modo absint censores male tornati, qui *fatales* Critici dici haberique volunt, (Heynius *vocales* dicit in re litteraria *boves* ad Tibullum II. 5. 78. *Fataque* vocales *praemonuisse* deos) qui oracula edunt e libris reconditis, quos nemo, praeter illos, vidit, v. c. ex editione Carminum Balbinorum Retzeria *cum commentario Santenii*, vel etiam ex Appendice Scotti edita, si Diis placet, *una* cum H. Stephani Thesauro Gr. L. *quod* mendacium *tam verum est,*

quam si qui velit dicere, magico susurramine amnes agiles reverti, *mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare, Solem inhiberi, Lunam despumari.* Ex quo Criticorum genere nuper unus, prae caeteris versutus, demonstravit, Tibullum scripsisse I. 9. 23.

Nec tibi oelandi Fas *sit* Peccare *paránti.*

DE
EDITIONIBUS TIBULLI.

EDITIONES SAECULI XV.

I. Pinelliana 4.

Albii. Tibvli. Poetae.
Illvstris. Liber. Primvs. Et.
Primo. Praemivm: Qvod. Divitiis:
Atqve. Milicia. Spretis. Deliam.
Amet. Et. Amori. Vacare.
Prorsvs. Velit. Incipit. Foe.

In fine est Sapphus Epistola ad Phaonem, ex Ovidio, cui hoc distichon accedit:

Illa furens phaoni quam scripsit epistolam sappho
Explicit: ex graeco transtulit Ovidius.

„Omnium editionum, in quibus Tibullus seorsum a Catullo et Propertio prodiit, quatenus equidem constat, haec prima videtur, eademque summae raritatis, neque minoris pulchritudinis est. Desunt in ea numeri, signaturae et custodes: paginae singulae carmina quatuor et viginti ut plurimum continent. Character Romanus ac perelegans est, planeque idem, quo *Florentius de Argentina* Orationem *Iacobi Romani* pro populo Brixiensi ad Nicolaum Tronum Ducem Venetia-

rum a. 1472. impressit, ac *Sexti* quoque *Rufi* Breviarium Historiae Romanae, *Ioannis de Sacrobusco* Sphaeram, *Augustini Dati* Elegantiolas Latini Sermonis et *Ovidium* de Arte amandi, carmine Italico redditum, sine ulla temporis et loci nota edidit. — Ubinam vero *Florentius* hic *Argentinensis* typographiam exercuerit, lubens ego cognoscerem; licet Venetiis vel saltem intra Venetam ditionem exercuisse omnino putem."

Bibliotheca Maphaei *Pinelli* Veneti magno iam studio collecta a Jacobo *Morellio* Bibl. Venetae D. Marci Custode descripta et annotationibus illustrata. Tom. II. p. 383. n. 5051.

Titulus accurate ad archetypum expressus est a Morellio in Epistola ad Antonium Comitem *Bartolini* p. IV. ubi, quae de hac Editione in Catalogo latine scripsit, Italicis verbis iterantur. Memoratur ea a Panzero Tom. IV. p. 6. n. 22. In quanam bibliotheca hoc Pinellianum exemplum hodieque lateat, quamvis scire curaverim, tamen adhuc ignoro. Quare rogandus nunc est publice, quisquis est, possessor, ut hanc Editionem diligenter excutiat, studiique sui fructum, communium litterarum caussa, nobiscum communicet.

II. Bartoliniana 4.

ALBIVS TIBVLLVS EQUES RO✕ P✕
Iuitias alius fuluo sibi cōgerat auro
Et teneat culti iugera magna soli✕

De hac Editione agit Morellius in Epistola infra laudata*), eamque ibi ita fere describit: Carmina

*) Lettera del Ch. Signor Ab. *Jacopo Morelli* al Nobile Signor Conte *Antonio Bartolini*, Commendatore del Sacro Ord. Gerosolimit. Nella quale ragionasi sopra due sconosciute Edizioni di *Tibullo*, e *Claudiano*, al predetto Commendatore appartenenti. Subiuncta est Epistola Operi egregio: Saggio Epistolare sopra la Tipografia del Friuli nel Secolo XV. del Conte *Antonio Bartolini* Udinese — In Udine, MDCCXCVIII.

in tres libros, litteris maiusculis indicatos, distributa sunt; quartus non est separatus a tertio nisi hac inscriptione, Ad Messallam. Singulis Elegiis, nec tamen omnibus, praepositum est breve elogium, earumque litterae initiales, si forte reperiantur, formae sunt minusculae. Character litterarum est rotundus, sed paullo rudior et grandior, quam in aliis huius aevi exemplis, ita ut pagina quaeque ad summum versus 24 exhibeat. Versus, ut in primis Chalcographiae rudimentis, inaequales. Singulare hoc est, nullum aliud interpunctionis signum inesse, nisi parvulam litteram x, nunc pro maiore, nunc pro minore στιγμῇ adhibitam, quod alibi vidisse non meminerat Morellius. (Est ita etiam in Editione Regiensi, quae nullo nec commate nec punctis interstincta est, sed eorum loco ubique haec signa + et ‡ habet.) Charta notata est littera B. circulo inclusa. Haec nota invenitur in libris, a Thoma Ferrando, typographo Brixiano, impressis, v. c. in Propertio sine anni indicio. Panzer Tom. IV. p. 263. n. 147. Num igitur Tibullus etiam e prelo Ferrandino exiit? Non est probabile. Nam character, in quadam similitudine, tamen est dissimilis, nec convenit scripturae genus, v. c. diphthongi *ae* et *oe* separatae sunt in Propertio, coniunctae in Tibullo.

Haec Editio, quod in primis animadvertendum est, nullum prorsus in fine additamentum habet, nec Marsi epigramma, nec Vitam Tibulli, nec aliam subscriptionem; qua nota distinguitur ab omnibus, quae noverim, Saeculi XV. exemplis. Absunt quidem epigramma et Vita etiam ab exemplo Pinelliano. At hoc tamen habet eo loco carmen Ovidianum et, quod supra posui, distichon recens. Ergo haec plane diversa sunt exemplaria, e diversis procul dubio libris profecta, nec ullo modo credibile est, nullam in iis reperiri lectionis diversitatem, quod precario proposuit Morellius in Epistola loco memorabili, quem infra describam*). Ad me ipsum haec scribebat vir praestantissimus:

*) Verba Morellii haec sunt Epist. p. VII. Ma non è da aversi in istima questo Tibullo soltanto per la grande età che porta seco, e per la novità sua. Vuol farsene conto, e principal-

Maxime vellem ne facultas mihi deesset satisfaciendi petitioni tuae honestissimae de duabus Tibulli editionibus antiquis; at quomodo id facere ulla ex parte possim non video. Exemplar Pinellianum cum tota ea Bibliotheca iam an. 1789. emptionis iure Londinum translatum est, ibidemque libri omnes, auctione facta, divenditi sunt: nullum autem aliud exemplar Venetiis exstat. De exemplari Bartoliniano, hisce in regionibus unico, quod post eius descriptionem a me editam rursus vidi nunquam, ut primum litteras tuas accepi, ad Bartolinum ipsum Utini degentem scripsi, eumque rogavi, ut ab aliquo perito viro collationem Tibulli sui fieri curaret, variasque lectiones ad me mitteret — Falleris, dum putas, duarum editionum illarum varias lectiones omnes me excerpsisse easque apud me esse: tanti id facere curae mihi non fuit. Potest autem esse *torrear* in Audiffrediana editione,*) quam nunquam vidi; quemadmodum postquam epistolam edidi, in codicibus MSS. nonnullis legi compertum est. Ego senii incommodis et valetudinis infirmitate affectus non nisi levibus litterarum studiis vacare possum — — Neque vero in Bibliotheca Veneta Marciana, quae una apud nos exstat, post tantam librorum iacturam, quantam rerum vicissitudines postremis hisce annis attulere, exemplaria antiquarum Tibulli aliorumque classicorum

mente, *per essere sparso di buone lezioni, che tutte insieme, o per la maggior parte, nelle stampe di quel tempo non eran comuni; e perchè mostra di non essere ricopiato da altra edizione;* quando non lo fosse da quella rarissima *per Florentium de Argentina* —

*) *Audiffredianam* dicit Morellius Editionem Tibulli eam, quacum coniunctus est Propertius a. 1472. in exemplo Parisiensi, de quo egi primo loco in praefatione et statim uberius agam. In bibliotheca Veneta tum, quum Epistolam ad Ant. Bartolinum scribebat Morellius, eadem Tibulli editio exstitisse videtur sine Propertio. Ait enim p. V. Può però Tibullo trovarsi separato da Properzio, senza data veruna, *come di fatti v' è nella Libreria di S. Marco di Venezia, ed altrove.* Hoc Venetum exemplum exhibuisse videtur III. 5. 27. *terrear* pro *torrear*, quod habet Bartolinianum. Scribit enim Morellius p. VIII. Unica è poi quest' edizione, che chiamerò *Bartoliniana*, ad avere nell' Elegia quinta del libro terzo v. 27. in vece di

Atque utinam vano nequicquam terrear *aestu!*

auctorum editionum deesse, mirum esse debet. De bonis verbis a te de me scriptis ingentes gratias habeo, meamque in te observantiam ex animo testor. Venetiis die XIX. Augusti MDCCCXVIII.

III. Editio a. 1472. 4. min.

ALBII TIBVLLI EQUIT RO. POE-
taeqꝫ Clarissimi Liber Aelegiaꝝ Primus ĩcipit

Ad finem huius editionis Epitaphium Tibulli, (auctore Domitio Marso) legitur ita:

E quoq: uirgilio comitē nō aequa tibulle
Mors iuuenē cāpos misit ĩ elisios
Ne foret aut elegis molles q̧ fleret amores
Aut caneret forti tristia bella pede.

Accedit breve Poetae elogium, ut scribit Panzerus Tom. IV. p. 8. id est, Vita Tibulli. *Char. lat. sine sign. cust. et pagg. num.* Adde etiam sine loci nota et anni, qui subiectus est Propertio. Hanc Editionem primus omnium accurate descripsit et a Veneta princ. a. 1472. de qua deinceps agetur, distinguendam esse vidit Audiffredus in Catal. historico critic. Rom. Edd.

come porta la lezione cemunemente adottata,

Atque utinam vano nequicquam torrear *aestu*,

come ha un Codice Vaticano allegato da Achille Stazio nel comento sopra il Poeta. — Atqui etiam Audiffredianum exemplar, quod non discrepat a Parisiensi, habet ibi *torrear*, quod claris litteris lectioni Aldinae *terrear* adscripsit Gregorius noster. Num igitur illud Venetae bibliothecae exemplar sine Propertio diversum fuit ab Audiffrediano? Non putaverim. Nam et titulus utriusque libri idem est, nec discrepant Variantes reliquae, a Morellio enotatae. Enimvero quis credat, errasse, in tanta praesertim professionis confidentia, Morellium, virum accuratissimum? Ergo de Veneto illo exemplo ampliandum. De Bartoliniano agit Harlesius Brev. Notit. Litt. Rom. a. 1803. p. 36.

Saeculi XV. p. 440. quem sequitur Morellius in Epistola p. V. non sequitur Heynius p. XLV. Ed. III. Hanc, rogatu meo, cum Ald. a. 1502. contulit Gregorius Zalycus Thessalonicensis ad exemplum Parisiense, in quo, sicut in Audiffrediano, Tibullo adiunctus est Propertius cum hac libri primi inscriptione:

> SEXTI. AVRELII. PROPERTII. NAV
> TAE. VMBRI. INCIPIT. LIBER. AELE
> gia¼ uel monobiblos Ad tullum

In cuius fine haec adiecta est subscriptio:

> SEXTI. PROPERTII. NAVTE: AVRE
> LII: POETE. INLVSTRISSIMI: LIBER
> EXPLICIT. SVB. ANNO. DOMINI. M.
> CCCC,,LXXII. MENSIS. FEBRVARII:

E qua subscriptione apparet, hanc esse Editionem illam, cuius exemplum in bibliotheca domestica servabat Vulpius, scribens de Vita Tibulli p. XX. *Sed in editione omnium principe anni 1472. mensis Februarii, quam Broukhusius ignoravit, ego vero domi servo, in calce poematum Tibulli haec leguntur:* Albius etc. — „*In hac Editione* Propertius etiam *primum typis excusus est.*" Paullo frequentior est haec Editio superioribus illis. Romae, nisi fallor, duo exempla reperiuntur, alterum in Casanatensi bibliotheca, alterum in Corsiniana. Vide Catal. Biblioth. Nic. Rossii p. 71. ubi memoratur: *Tibullus* et *Propertius*. 1472. 4. Tibullus sine Propertio exstabat, quod supra vidimus, in bibliotheca Veneta; Propertius sine Tibullo bis in Pinelliana n. 4920. et 4921. De exemplo Berolinensi dixi in praefatione. Nusquam commemoratur *Catullus* vel Tibullo vel Propertio vel utrique comes datus. At exstat tamen Catullus sine anni et loci nota Cantabrigiae in Anglia. Testis est Scipio Maffeius in Mus. Veron. p. CCV. ubi, agens de Catulli loco suspecto Carm. LXVI. (67.) 33 — 34. *Flavus quam molli percurrit flumine* Mello, *Brixia, Veronae mater amata meae:* „quanto," inquit, „mi-

nus haesitandum ob inconditum Elegiae illius distichon, quae corruptissima est, ac propterea in pluribus codicibus, ut in Vaticanis tribus, minime comparet, nec *in editione sine anno et loco,* quam in *Cantabrigensi Academia* vidi, et omnium primam indicavi." Quamnam hanc Editionem esse dicam, et unde domo? Certe non est Veneta princeps a. 1472. In hac enim, ut in reliquis, Elegia illa exstat. Igitur affirmare audeo, servari Cantabrigiae Catullum, diu frustra quaesitum, ad Editionem Audiffredianam pertinentem. Quod confirmare etiam possum argumento probabili. Nam Marklandus, Criticus Cantabrigiensis, ad Propertii IV. 1. 79.

Me creat Archytae soboles Babylonius Horos:

ita scribit apud Burmannum: „*Diu est quod vidi legendum esse,* Horon, *ex sensu. Horos Babylonius creavit me* Horon, *id est, filium suum, et eiusdem nominis. sum* Horos ab Horo. *confirmat codex D'Orvillii,* et prima ed. an. 1472." Rursus non intelligenda est Veneta princeps a. 1472. Haec enim habet *Orops.* At intelligenda est Editio Propertii a. 1472. de qua cum maxime agimus, cui in exemplis Audiffrediano et Parisiensi adiunctus est Tibullus. Haec enim habet *Horon.* Ergo Cantabrigiae exemplum, quod quaerimus, exstare videtur, si non integrum Catulli, Tibulli et Propertii, at tamen Catulli et Propertii, quorum alterum comparavit Maffeius, alterum Marklandus. Nisi forte Marklandus Propertium huius anni aliunde acceptum habuit. Certe etiam in *Bibliotheca Askewiana* (Lond. 1775.) laudantur: *Tibulli et Propertii* Opera, 1472. 4. quod exemplar translatum est post mortem Antonii Askewii in Bibliothecam Musei Britannici. Sed de hac re viderint Philologi Cantabrigienses.*) Habuit

*) In aliis huius Editionis exemplaribus Propertius Tibullum, in aliis, ut in Parisiensi, Tibullus Propertium excipit. Gregorius Zalycus Collationi hanc annotationem subiecit: *J'ai toujours mis à la tête de chaque élégie le titre qui se trouve dans l'édition de 1472.*

Dans cette édition le point d'interrogation n'est pas usité;

etiam *Catullum* sine loc. et anno Martyni-Laguna (A. LZ. a. 1790. p. 650.) sed maioris, non minoris formae, fortasse Parmensem a. 1473.

IV. Editio a. 1472. 4. mai.

Val. Catulli Veronensis Poetae Cl. Liber. Albii Tibulli. eq. Ro. Poetae Cl. Libri (IV). *Propertii Umbri Meuani elegiographi* Libri (IV). *P. Papinii Statii Surculi Syluarum* Libri (V).

In extrema pagina poetae, qui hoc volumine continentur, diverso ordine recensentur:

Tabula librorum qui sunt in pręsenti uolumine.
Albius Tibullus elegiac Scriptor optimus.
Aurelius Propertius Beuanus.
Clarissimi poetę Catulli Veronēsis Epigrāma.
Pub. Papinius. Statius Syluarum.
M.CCCC.LXXII.

Praescriptionem Tibulli exhibui ad Elegiam primam. Haec enim est Editio illa, cuius collationem, Parisiis factam, debemus Bardilio, viro eruditissimo, confusa ab Heynio cum iis, quas adhuc recensuimus, et posita in fronte Editionum omnium, a memet ipso *princeps* dicta et *maior*, quia re vera maioris moduli est, quam illae, nec tamen, quod quidam tradiderunt litteratores, maximi, sed, prout margines latiores a glutinatore plus minusve accisi sunt, nunc ab hac specie propius abest, nunc ab illa. Iam quum haec Editio nullam nec loci nec officinae notam subscri-

très souvent il y a l' ī à la place de l' y grec; ainsi zephirus, lira, sidera;

les mots arena, cartago, sepulcra, lacrymae *sont généralement écrits sans* h.

il y a toujours thorum *pro* torum; totiens, quotiens *pro* toties, quoties.

Deux feuillets à differentes endroits manquent vers la fin de l'exemplaire de l'édition de 1472.

J'ai demandé à la bibliothèque de l'institut, si elle possedait un exemplaire de cette édition, afin de collationner ce qui manque dans l'exemplaire de la bibliothèque du Roi. Elle n'en possede pas.

ptam habeat, factum est, ut viri docti de patria et auctore operis dissentirent. Ac primum quidem Lairius in Specim. Historic. Typogr. Rom. P. II. p. 186. excusam eam esse opinabatur ab Ulrico Hanio; sed, refutatus ab Audiffredo, postea in Ind. Libror. ab inventa typograph. ad a. 1500. P. I. p. 289. e Nicolai Jenson, typographi Veneti, officina prodiisse statuebat. Hodie omnes accedere video Audifiredi sententiae, qui hanc Editionem in Veneta quidem, sed Vindelini Spirensis officina expressam esse proposuit in Catalog. histor. critic. Romanarum Edd. Saeculi XV. p. 123. Quae coniectura haud parum eo confirmatur, quod, teste eodem, summa inter hanc et Martialis, a Vindelino de Spira curatam, editionem intercedit non typorum modo sed chartae etiam similitudo. Hoc igitur probabile est. *Illud certum*, opus *editum esse Venetiis.* Nam editio Parm. a. 1473. quae Catullum et Statii Silvas complectitur, hanc Epigraphen habet: „Correctum p. d. Franciscum Puteolanum: et vere, *ultra impressionem Venetiis factam*, in III. millibus locis emendatum, SS. Catullum et Silvas: ut tu Lector ambobus exemplaribus experiri poteris: itaque nullo mō intelligi possit: et caetera. Impressum Parmae per me Stephanum Corallum. Anno Christi MCCCCLXXIII. secundo Cal. Septembris.“ Iam quum nulla usquam memoretur ante annum 1472. alibi excusa Catulli et Statii Silvarum Editio, sequitur, Corallum ante oculos habuisse eam, qua de nunc agimus, eamque expressam esse Venetiis. Sic etiam argumentatur Marklandus in Praefatione p. XVIII. quod fugit Annalium Typographicorum scriptores.

Huius editionis illud exemplar, quod, teste Bernardo de Montfaucon, Tom. I. p. 309. n. 24. Florentiae in bibliotheca Laurentiana exstare Heynius scribit, postea in bibliothecam eiusdem urbis Magliabechianam translatum esse, patet e Ferd. Fossii Catalogo codicum Saec. XV. etc. Tom. I. p. 496. Fuisse autem olim Angeli Politiani, eiusque manu ad marginem Catulli, Tibulli et Propertii scriptas habere annotationes, contra Montefalconium, de hac re dubitantem, comprobare studebat Bandinius in Catalogo

Codd. Latt. Biblioth. Medic. Laurent. Tom. II. p. 96. seq. ex hac Catullo praeposita notatione: *Angeli Politiani et amicorum;* quae inferiore loco graece repetitur sic: *Ἀγγέλου κτῆμα τοῦ Πολιτιανοῦ καὶ τῶν φίλων.* Et ad calcem Propertii leguntur haec: „Catulli Tibulli Propertiique libellos coepi ego Angelus Politianus iam inde a pueritia tractare et pro aetatis eius iudicio vel corrigere vel interpretari; quo fit, ut multa ex eis ne ipse quidem satis, ut nunc est, probem. Qui leges, ne, quaeso, vel ingenii vel doctrinae vel diligentiae nostrae hinc tibi coniecturam aut iudicium facito. Permulta enim infuerint (ut Plautino utar verbo)

Me quoque, qui scripsi, iudice digna lini.

Anno MCCCCLXXV."

„Propertium cum vetusto Codice contulimus: sed quae de illo nobis sumpsimus, haud adscripsimus huic Codici, sed in libello retulimus, qui est inscriptus: *Antiquarum Emendationum.*" Quae Catullo et Statio subscripta sunt, praetermittimus et illud potius quaerimus, quid tandem impulerit Montefalconium, ut, in tam manifesta Politiani perscriptione, tamen haesitaret viro tribuere animadversiones, poetis illis adscriptas in exemplo Florentino. Gravissimas eum caussas, quamobrem dubitaret, habuisse, sat scio, quandoquidem Bandinium ipsum, post editum Catalogum, in sententiam eius discessisse video in Epistola data ad Santenium Florent. d. VII. Martii MDCCLXXXIV. quae penes me est. Sic igitur ille de hoc quidem argumento:

„Ad alterum vero quod attinet, ad eorum scilicet omnium, quae Politiani manu in editione Anni MCCCCLXXII. notata in meo Catalogo animadverti, descriptionem, *quum*, re melius considerata, *aliqua mihi deinceps suspicio suborta sit*, Politianine revera sint, an alterius animadversiones, correctionesque in editionis nostrae marginibus adpositae, contra vero certissime Politiano adscribenda sint adnotamenta illa, quae in altero eiusdem editionis exemplari, quod Romae in Bibliotheca Corsinia adservatur — videre est, melius Tibi consultum fore existimaverim, si ex Cor-

siniano potius, quam ex nostro exemplari eorundem descriptionem tibi compárares. Hac super re litteras ad Amicum meum *Ioannem Christophorum Amadutium* in archigymnasio Romanae sapientiae Litterarum Graecarum Professorem, et editorum operum fama illustrem dedi, qui hisce mihi verbis vernaculo sermone rescripsit: = *Ad* Corsiniam Bibliothecam *me contuli et editionem* A. MCCCCLXXII. Politiani notis instructam *diligenter inspexi, de quibus haec sentio: eae mihi videntur tumultuarie et sylvarum instar potius quam studii gratia ab ipso exaratae; aliquibus in locis crebrae, rariores alibi, et interdum nullae, quaedam etiam ab ipso auctore postea erasae. Liber ipse partim aevo, partim madore,* quippe bombycinus, *non parum damni perpessus est, ita ut scriptura alicubi evanida, oculorum aciem paene effugiat, et propterea ex longioribus quandoque* Politiani *animadversionibus vix pauca expiscari liceat. His adde Bibliopegi alicuius imperiti oscitantiam, qui in religando Codice, dum illum undequaque tondere satagit, integras interdum lineas e superiori et inferiori margine resecavit, et in laterali voces, partim totas abscidit, partim mutilavit; unde fit, ut, orationis sensu interrupto, quae* Politianus *meditatus est, ea vel diligentioris cuiusque descriptoris captum eludant. Quae quum ita sint, vides profecto, vir doctissime, provinciam hanc nonnisi docto aeque ac patienti viro demandari posse, ac propterea, quum huius generis homines perquam rari sint, non parum impensae requiri, ut par labori merces reddatur.* = Hactenus amicus meus etc."

Alia huius Editionis exempla alibi reperiuntur, unum Argentorati, cui item adscripta sunt Scholia ad marginem et inter versus: duo, quod sciam, in Germania, alterum Vindobonae, teste Haschka in Epistola ad Ahlwardtum, alterum Vimariae, teste Handio in prooemio Silvarum Statii p. XXIX. Fuit etiam unum in bibliotheca Ludov. Ioan. Gaignat, laudatum in Catalogo *) Tom. I. p. 411. n. 1598. sic:

*) *Supplément à la Bibliographie instructive ou Catalogue des Livres du Cabinet de feu* M. *Louis Jean* Gaignat, *disposé et*

Catulli, Tibulli et Propertii Opera, nec non P. Papinii Statii Sylvae. Editio primaria anni 1472. (characteribus Vindelini Spirensis excusa) petit in-fol.

De exemplo Musei Britannici e biblioth. Askew. quod Heynius laudat, non liquet. Vide, quae supra dixi ad n. III. Exstant exemplaria, a quibus abest Statius, cuiusmodi unum Bardilius vidit in biblioth. Reg. Parisiensi. Etiam in Catalogo biblioth. Nicol. Rossii citatur p. 64. „*Catullus, Tibullus* et *Propertius* 4. sine loco et anno. *imperf.*" nunc in bibliotheca Corsiniana, in quam post mortem Rossii cum reliquis eius libris omnibus a. 1785. pervenit. Conf. Catalog. p. 8. Est haec procul dubio editio decurtata a. 1472. quam vel prorsus omittere, vel accuratius designare debebat Panzerus Tom. IV. p. 107. n. 298. adscribens libro ex fide illius Catalogi *fol.* et provocans ad Maittarii Annal. Typograph. Tom. I. p. 752. ubi solus *Catullus* fol. laudatur. Vide, quae tradidit Martyni-Laguna loco supra citato ad n. III.

Iam satis nobis illustrasse videmur locum Heynii *De Tibulli Codd. et Edd.* p. XLIV. scribentis: „Est haec *editio princeps*, Broukhusio nondum visa, sed Vulpio primum cognita." Atqui Vulpius etiam non hanc vidit, sed illam, quam num. III. recensui. „In ea *Propertius* primum excusus est." Tantum abest, ut hoc probari possit, ut veri longe sit similius, editionem illam num. III., quae primo statim ineuntis anni 1472. tempore prodiit, antecessisse Venetam maiorem. „Pinelli exemplar Catalog. T. II. p. 367. n. 4920. solum Propertium, Audiffredi Catullum, Tibullum, Propertium complectebatur." Nempe Pinellianum exemplar pertinet ad n. III. Audiffredianum ad n. IV. „At Harles Notitia Litt. Rom. p. 35. (a. 1789.) huius edit. exemplum se habere professus, Catullum, Tibullum et Propertium laudat; in fine tamen Propertii adscriptum memorat annum 1475." Non poterat aliter scribere Harlesius,

mis en Ordre par Guill. François de Bure. Paris. 1769. II Tomi. 8.

in manibus habens editionem non anni 1472. sed anni 1475. in qua hic numerus subscriptus est Propertio.

Ad hanc Editionem priusquam progrediamur, prius dicenda quaedam sunt de Tibullo a. 1474. fol. quem interponit Index Bipontinus. Huius Indicis auctori nescio an fucum fecerit Broukhusius, laudans eiusdem anni Propertium in praefatione et alibi. Ac Propertius quidem a. 1474. numquam exstitit. Hic mihi commode in manus incidunt schedulae Santenii sub titulo: *Collectanea ad editionem* Propertii *parandam*, quibus hoc argumentum breviter sed docte pertractatur: „Editionem, ait, A. 1474. memorat Broukhusius in praef. p. 5. cuius collationem miserat *Almeloveenius*. Sed eius anni nulla memoratur. In catalogo autem bibliothecae Almeloveenianae occurrit editio A. 1475. ut hanc cum illa confusam fuisse opiner. Broukhusius existimasse videtur, Editionem A. 1474. fuisse Principem; ait enim p. 5. praef. „*Symbolas quoque nonnihil contulit Vir Clarissimus* Theod. Iansonius ab Almeloveen, *facta collatione* editionis principis *cum ea quam illustris Scaliger procuravit. Saepenumero — mihi profuit vetus editio Veneta* A. 1475. *quam re ipsa comperi, nihilo esse inferiorem manuscriptis.* Hanc anno uno antecessit illa, qua usus est Almeloveenius.“ Hinc Broukhusius Fabricio erroris ansam dedisse videtur. imo ipse Broukhusius hanc A. 1474. diserte Principem vocat ad I. 2. 2. Lectio *chon*, quam laudat ibi I. Broukhusius, est revera ex ed. 1472. Alias Variantes ex ed. 1472. aut ex illa a. 1474. excitatas nondum inveni.

Maittarius etiam Anni 1474. editionem laudat loco et impressore non nominato ex Fabricio.“

Ergo Santenius primum eo inclinabat, ut putaret, exemplar illud Almeloveenii fuisse Editionem a. 1475. repertam in eius Catalogo. Mox intelligens, huius Editionis lectionem I. 2. 2. non convenire lectioni illius, rectius colligebat, haec diversa esse exemplaria. Cumque lectionem tributam Editioni a. 1474. reperisset in Editione a. 1472., non dubitabat, hanc illi substituere. Hactenus recte. Sed ita nondum intelligitur, ad utram Editionem a. 1472. perti-

nuerit illud Almeloveenii exemplum, ad maiorem an ad minorem. Nam utraque I. 2. 2. habet *choa:* Ed. 1475. *cea.* At res apparet ex altero Propertii loco IV. 8. 4.

Hic ubi tam rarae non perit hora morae.

Ubi iterum Broukhusius scribit: „profecto poteramus esse contenti lectione veterum membranarum, *Hic ubi tam rarae.* quam et Veneta editio servavit, et illa quae Venetam anno uno praecesserat." Quo loco Ed. min. a. 1472. num. III. habet: *Hic tibi tartareae.* Ex quo apparet, Almeloveenii exemplum non pertinuisse ad hanc Editionem. At enim Ed. maior a. 1472. sicut *Veneta editio* a. 1475. exhibet, *Hic ubi tam rarae.* Ergo Almeloveenii exemplum ad Editionem a. 1472. num. IV. pertinuerit necesse est: nisi revera exstitit Propertius a. 1474. Sed hic a nemine memoratur, nisi a Maittario Tom. I. P. I. p. 336. decepto a Fabricio, Bibl. Lat. Tom. I. c. 14. p. 259. ed. Hamb. V. quem vicissim delusit Broukhusius. Propertius igitur ex anno 1474. abire iussus, secum, nisi fallor, auferet Tibullum Bipontinum, atque adeo Catullum Santenianum ex Ed. Rom. a. 1474. quae passim citatur ad Elegiam a Laurentio nostro seorsum editam, v. c. ad v. 75. Qua in re consentientem habeo doctissimum virum, *Vanpraet*, Parisiensem, magnum opus de Editionibus Saec. XV. parantem et confirmantem, teste Bardilio, exemplaria illa Catulli, Tibulli, Propertii a. 1474. numquam exstitisse.

V. Editio Veneta a. 1475. fol.

Catulli Veronensis Epigrammaton Libellus. Albii Tibulli. eq. Ro. Poetae, Cl. Libri (IV). *Propertii Aurelii* nautae poetae clarissimi Elegia℞ Libri (IV). *P. Papinii Statii Surculi Siluarum Libri* (V).

Ad calcem Propertii legitur:

Propertii Aurelii naute poetae finis. 1475. Catulli. Tibulli. Proptii. &. liber Siluaℝ Statii papinii ĩ isto uolumine cõtinẽt. Et ĩpressi sũt opere et impensa Iohannis de colonia: & Iohannis manthẽ de ghersem qui una Veneciis fideliter Viuunt.

Hanc editionem primus omnium contulit Nic. Heinsius ad Aldinam a. 1515. cui insunt Excerpta Perreii, sub littera G. Acceperat utendam ab Hadr. Wallio. In margine manus viri docti passim varias lectiones adscripserat. Et collatione Heinsiana et editione ipsa usus est Ian. Broukhusius. Fuit etiam in apparatu Petri Burmanni Secundi. Nescio an ad hoc Burmannianum exemplum pertineat proprie, quod Santenius privatim notavit: „In Ed. 1475. signaturae in Statio desinunt in *m.* et in Ovidii Sapphone incipiunt in A. Ab Ovidio autem ad Propertium continuantur per B." Abesse a nonnullis exemplaribus Statium Panzerus etiam monuit Tom. III. p. 108. n. 189. Integrum habuit Harlesius, cuius exempli orae a Cortio adscriptas esse in Tibullo lectiones varias cod. MS. Guelferbytani n. 63. 5. et paucas emendationes ad Statii Silvas, scribit in Brev. Notit. Litterat. Rom. a. 1789. p. 36. Scatere hanc Editionem mendis typographicis queritur Denisius, agens de exemplo bibliothecae Garelliae, quae a. 1784. Vindobona Lembergam translata fuit.*) Convenit quidem huic Editioni compluribus locis cum Venet. a. 1472. Sed valde errat Heynius, scribens, illam ex hac *descriptam* esse p. XLV. ed. III. quod vel prima statim Libri I. Elegia confutat. Nam v. 20. Venet. a. 1472. habet, *munera vestra*, Venet. a. 1475. *munera nostra*, notante Heinsio ad Ald. a. 1515. Ibid. v. 71. illa habet *nec amare decebit*, Venet. a. 1475. *nec amare licebit.* Porro Eleg. II. v. 55. Venet. a. 1472. exhibet *seu foemina fiet*, Venet. a.

*) *Memorabilia Biblioth. Garell.* p. 52. n. 14. Ab hoc exemplari aberat Statius. Conf. *Catalogue des Livres de la bibliotheque de feu M. le Duc de la Valliere* Tom. II. P. I. p. 75. n. 2422. et *Biblioth. Pinelli* Tom. II. p. 313. n. 4496.

1475. *fiat.* Ibid. v. 65. illa habet *quem posset habere,* haec, *quom posset habere.* Elegia III. 1. prior habet *Messala,* posterior *Messalla;* v. 4. illa, *mors modo nigra,* haec, *mors precor atra.* v. 13. *tamen est deterrita nunquam — tamen est deterrita nusquam.* Ibid. v. 18. Venet. a. 1472. *Saturni sacram* — Venet. a. 1475. *Saturni* aut *sacram me tenuisse diem.* Haec, credo, sufficient ad confutandum Heynii errorem, fortasse etiam Handii, qui in prooemio Silvarum Statii p. XXX. ne desiderat quidem magnopere Ed. Venet. a. 1475. quum ex collatione Catulli, quam habet, cognovisset, eam *fere* totam cum Veneta prima convenire.

VI. Editio Romana a. 1475. 4. min.

ALBII TIBULLI Elegiae.

In fine:

Presens opus Tibulli albici *imprimi fecit G. Tibullus*) de amidanis de Cremona Rome Anno Iubilei et a natiuitate domini* MCCCCLXXV. *die mercurii.* XVIII. *mensis Iulii Sedente clementissimo Sixto papa Quarto Anno eius felici Quarto.*

Accedit:

ALBII TIBULLI Vita cum Commentario in eiusdem Elegias auctore Berardino Cillenio Veronensi.

Praeit, etiam in Edd. Venett. cum commento Cyllenii, *Auctoris elegia ad Baptistam Ursinum aerarii Pontificii custodem et Urbis gymnasii vicerectorem bene meritum.* In fine commentarii eadem ver-

*) Erat id nomen illo tempore non infrequens. Apud Montefalc. Bibl. MSS. p. 106. inter Vaticanos n. 2794. referuntur epistola tres Tibulli 1. ad Io. Auenionensem. 2. ad Ge. Trapezuntium. 3. ad Porcellum. HEYN. Alii *Georgium Tibullum* e numero typographorum eximendum, eique substituendum esse censent *Georgium Lauerum* (Laur) Germanum, qui Romae inde ab a. 1470. usque ad a. 1481. artem typographicam exercuit, iisdem fere typis usus, quibus expressus est Tibullus. Vid. Audiffredi Catal. Histor. Critic. Roman. Edd. Saec. XV. p. 178. et p. 473.

ba, quae Tibullo subiecta sunt, repetuntur, nisi quod, *Sixto papa Quarto Anno ejus felici Quito*, legitur, minus recte, monente Heynio, qui hanc Editionem primus omnium et adhuc solus comparavit, scribens ita: „Nulli adhuc superiorum editorum Tibulli, nec ipsi Maittario *) haec editio innotuisse videtur. Nobis eam videre contigit in bibliotheca Dresdensi Electorali. Exstat etiam in bibliotheca Regia Parisina n. 976. Nota quoque fuit Barthio. — Nonnullae in ea a vulgata diversitates, inprimis in libro IV. erant; vitia vero scripturae eadem, quae in scriptis occurrunt. Poterat tamen in plerisque cum Italicis Heinsii, inprimis Colotiano, convenire videri. Primum in hac editione Cyllenii commentarii vulgati fuere, non in Veneta 1493. ut olim Fabricius tradebat. (Bibl. Lat. Tom. I. p. 91. ed. Ernest.) Neque tamen is ipse editionem adornasse videtur, vel verba Tibulli castigasse: ipsius enim lectio perpetuo ab ea abit, quae in textu servatur. Doctrinam vero illius viri et ingenium tum in interpretatione tum in critica, si tempora, in quibus vixit, consideres, satis admirari non possis; unde Barthius ad Statii Theb. IV. 445. de eo loquens: *cuius sane labor multis locis illustrat clarius optimum poetam, quam ex eius aevo sperari poterat.* Edidit enim sua commentaria Romae 1475. etc. **) Laudat eum passim etiam Broukhusius. Conf. *Memorab. bibl. reg. Dresd.* T. I. p. 421. ubi de Cyllenio nonnulla docte disputantur." Et nos ipsi eum, ut par erat, hic et illic satis laudavimus, v. c. ad II. 5. 23 et 39. Conf. III. 2. 15. Sane dolendum est, non perfecisse Bernardinum Cyllenium vel Cillenium, quod ad calcem com-

*) Maittarius Annal. Typograph. Tom. I. P. I. p. 348. commentarium sine textu memorat. Tale exemplum exstat etiam Romae in bibliotheca Casanatensi. Audiffredi p. 178.

**) Hunc Barthii locum laudat Saxius in Onom. Litter. P. II. p. 476. et tamen scribit ipse: „*Bernardinus Cyllenius*, Veronensis, aliis nude *Bernardinus Veronensis*, Philologus, hoc anno 1475. primus *Tibullum* cum Commentario edidit *Venetiis*." Nec Tibullum edidit Cyllenius, nec Commentarius prodiit hoc anno *Venetiis*, sed *Romae*, monente etiam, quem Saxius citat, Camusato in Observatt. ad Ciaconii Biblioth. p. 396.

mentarii professus est his verbis: Hactenus ex ingenio nostro Tibulli elegias enodavimus, prosecuturi lucubrationes coeptas in *Propertium* et longas in *Catullum* peregrinationes, si ex his labores nostri probabuntur.

Haec Romana Editio classica dici haberique debet, in universa lectione discrepans a superioribus, sed familiam ducens in exemplis Saeculi XV. reliquis, Venetis quidem, quibus additus est commentarius Cyllenii, omnibus ab a. 1485. vel 1487. usque ad a. 1500—1520. quae tamen paullatim magis magisque, interveniente praesertim Avantio, ab illa discesserunt. Discrepat ea saepenumero a Venet. a. 1472. ut I. 1. 54. ubi *hostiles* habet cum Ed. min. a. 1472. Bartolin. et Venet. a. 1475. pro *exiles*. Rursus ibid. v. 57. exhibet, *Non ego laudari* cupio pro *curo*, quod inest etiam Venet. a. 1475. notante Heinsio ad Ald. a. 1515. in qua est *cupio*, sicut in Ald. a. 1502. Porro I. 3. 58.

Ipsa Venus campos ducet ad *Elysios.*

At habet ea etiam lectiones proprias, in secundarias editiones plane non illatas, v. c. I. 1. 54.

Parcite. de magno est *praeda* tenenda *grege.*

ubi Venet. a. 1487. praeivit statim *petenda*, servata tamen verborum structura, *de magno* est — *grege*, cuius ab hoc tempore tenacissimae sunt editiones, excepta Vicentina, omnes, etiam Plant. a. 1560. Gryph. a. 1561. Grasser. a. 1607. nunc demum ad me delatae. Mutavit structuram iterum Broukhusius, sequente Vulpio (a. 1749.), obnitente Heynio. Menda, quae exemplo tam antiquo inesse nemo mirabitur, statim emendata sunt in Venetis, v. c. I. 1. 57. ubi a Romana abest praepositio *e* in verbis *Adsitis divi: neu vos* e *paupere mensa:* quod additum est in Venetis et Ald. a. 1502. Nam Ald. a. 1515. habet, *nec vos e paupere mensa.* Corrigendum igitur, quod scripsi in Analectis: Aldd. *Adsitis — neu vos e.* Scribere enim debebam Ald. a. 1502. *neu vos e.* Ald. a. 1515. Muretus, Statius et Scaliger, *nec vos e.* Digna est editio Romana, quae denuo excutiatur et diligentius.

Huic editioni subiungi solet ex fide Catologi Biblioth. Broukhusianae:

Tibullus, Propertius, Catullus Mediol. 1480. fol. Laudatur a Maittario Tom. I. P. II. p. 776. et a Saxio in *Catalogo Librorum, qui Mediolani editi fuere ab a.* 1465. *usque ad a.* 1500. *chronologica serie digesto*, qui exstat in Philippi Argelati Bononiensis *Biblioth. Scriptor. Mediolanens.* Tom. I. P. I. p. 575. Contra ea Heynius: De editione Mediolanensi 1480. quam iactant, nondum aliquid exploratum quod sit constat. Est quoque suspecta Panzero Tom. II. p. 40. n. 174. Non suspecta est Santenio Bibl. Crit. Tom. I. P. III. p. 58. qui tamen numquam viderat.

VII. Editio Regiensis a. 1481. fol.

TIBULLUS. Catullus. Propertius.

In fine operis:

Propertii Aurelii naute poetae finis.

Clariſſimo℞ poeta℞ Tibulli: Catulli:
& Propϱtii: ϱeor℞ uita opϱa Regii lepidi
accuratiſſie ipϱſſa: Auctoribϱ Prospϱo odo-
ardo & Alberto mazali regiēſibϱ: Anno
Sa. 1481. 19. Kl? octo. D. H. eſt d. S9o.*)

Haec Editio princeps habebatur a Gerard. Ioanne Vossio, qui in *Aristarcho* II. p. 392. n. 2. Tom. II. p. 87. ed. Amstel. de loco Catulliano I. 8—10. disputans: *Rectum*, inquit, *est* patrona, *prout habent*

*) Sic extrema haec verba descripsit, cui plura debeo, e Catalogis, in bibliotheca Gottingensi repositis, Excerpta, Georg. Klindworthus, vir doctissimus, nisi fallor, e Ferd. Fossii *Catal. Codd. Saec.* XV. *impressorum* etc. Tom. II. p. 701. Panzerus Tom. II. p. 392. n. 2. habet: D. H. Eſt. D. L. Ab exemplo Lipsiensi, quo nunc utor, abest ultima plagula. De duobus

edd. vett. etiam prima omnium, quae Regii Lepidi prodiit anno MCCCCLXXXI. Panzerus Tom. II. p. 592. n. 2. eandem *quartam* dicit *ex Veneta* 1475. *expressam.* Hoc verum est. Delati enim tandem sumus ad editionem, ex altera paene ad verbum expressam, certe in Tibullo, diverso tamen ordine poetas illos exhibentem, et Statii Silvis destitutam. Habet Regiensis, sicut Venet. a. 1475. vitas trium poetarum, auctore Hieronimo Alexandrino; in fine Tibulli Summam Vitae, e codd. descriptam, Epitaphium: *Te quoque Virgilio* etc. Elegiam Ovidii: *Memnona si mater* — ante Catullum, Hexticlum Guarini Veronensis Oratoris Clarissimi in bellum (sic) Valerii Catulli eius concluis: *Ad patriam uenio* — et in omni lectione, quam supra notavi ad Venetam a. 1475. cum hac convenit, etiam iis locis, quibus id monere oblitus est Heinsius ad Ald. a. 1515. v. c. *munera nostra* v. 20. Caute tamen supra scripsi *paene ad verbum.* Nam est etiam, ubi discrepent exempla illa. Sic I. 1. 37. Veneta habere videtur, *nec vos e paupere mensa,* ut est in Ald. secunda, cui Heinsius adscripsit *neu* E. id est, Regiensis, omissa littera G. qua designare solet Venetam a. 1475. Rursus I. 2. 18. Veneta habet *reserat*, Regiensis *referat,* quod non fortuito factum esse, docet Ald. a. 1515. eandem scripturam exhibens, quam postea expresserunt Ach. Statius in contextu et Commentario sine ulla varietatis notatione, Gryph. a. 1573. Graevius a. 1680. et, si forte, alii editores. Est etiam *referat* in cod. Voss. I. De lectione IV. 1. 14.

Paruaque coelestes pacauit *mica*, *nec illis* —

ut est in Ald. 1515. adhuc dubito. Heinsius primum versui adscripsit *is* EG. hoc est, in Venet. a. 1475. et Regiensi legi *coelestis* pro *coelestes.* Tum verbo *pacauit* subscripsit *pla* (placauit) m. s. G. Quod significat, nisi fallor, *placauit „manu scriptum“* esse in margine

punctis vide, quae supra monui ad n. II. Nusquam ea animadverti in hac Editione. Titulus: Albii Tibulli† eq† Ro† Poetae† Cl† liber Primus q sptis diuitiis et militia Delia amet et amori seruiat.

G. Nam vir doctus varias lectiones exemplari eius adscripserat. Ergo in Venet. a. 1475. erit, sicut in Reg. *pacauit*, non, quod Broukhusius putabat, *placauit*. Alia loca notare oblitus sum.

Haec Editio diligenter post Heinsium a me ipso excussa est. Variantes, Antonii Clementii studio excerptas, a Iacobo Gallaeo acceperat Broukhusius, editor Cantabrigiensis a Dennisono, qui eam comparaverat cum editione Raphelengiana. Habuit quoque in manibus Heynius. In exempli Berolinensis, quo ego aliquamdiu una cum Lipsiensi usus sum, schedula praefixa Ioann. Anton. Verdanus Mediolanensis, olim bibliothecae Iacobi Superantii, Senatoris Veneti, praefectus haec notavit: *Notae perpetuae, quibus hic Liber illustratur; exaratae fuerunt ipsa* Alexandri Synclitici *manu. Fuit autem is nobilis Cretensis et Iuris in Patavina Academia interpres summus, celeberrimi Iacobi Cuiacii discipulus atque aemulus. Vidimus Anthologiam sive Florilegium diversorum Epigrammatum, Graecis Aldi characteribus anno* MDIII. *Venetiis editum, eodem calamo* Synclitici, *similibusque annotationibus insignitum et ex eius libri collatione certam annotatoris manum in hoc nostro deprehendimus.* Io. A. Verdanus.

Eadem verba praescripta erant exemplo Pinelliano, teste Morellio Tom. II. p. 314. n. 4498. Ex quo intelligitur, hoc idem aere suo sibi comparasse Santenium, inde venisse ad Diezium, eoque mortuo, in Bibliothecam Regiam Berolinensem esse illatum. Caeterum P. Burmannus Sec. exemplar habuit, quod sic describitur a Santenio in schedula privata: In editione A. 1481. Reg. Lepidi annus impressionis subiectus est Propertio in calce. Tum in exemplari Burmanni sequuntur:

Hoc volumine Domitius inseruit:

Sylvarum Statii Papinii libros quinque a se emendatos.'

Commentarios quos in Sylva composuit.

Commentariolos in Sappho Ovidii, quos edidit.
Propertii loca obscura a se elucubrata.
Particulam ex tertio libro suarum observationum.

Not. Particula tamen haec ex III. libro Observationum in Burmanni exemplari non conspicitur. SANT.

Haec additamenta sine dubio ex Editione Statii Silvarum Rom. a. 1475. decerpta et Regiensi agglutinata fuerunt in exemplari Burmanniano. Vide Panzer. Tom. II. p. 456. n. 194.

VIII. Editio Vicentina a. 1481. fol.

CATULLI. Tibulli. *Propertii Carmina et Statii Sylvae.*

Tibulli inscriptio ita expressa est:

ALBII TIBULLI + eq. Ro + Poetae + CL.

Ad calcem Statii: *P. Papinii Statii Sylvarum Liber Vltimus Explicit.* M.CCCCLXXXI. *Actum* Vincentiae *per magistrum Iouan - nnem renensem et Dionysium Berthochum.* Sequitur tribus foliis impressum: *Carmen* Ioannis Calphurnii *poetae Clarissimi ad Ioannē Inderbachiū Pontificē Tridētinū de laudibus ejus et de interitu Beati Simonis infantis a Iudeis mactati.*

Est haec Editio critica, a Io. Calphurnio nobili conatu nec infelici successu curata, eademque dignissima, quae a me post Heynium denuo accuratissime excuteretur, experto, maius aliquid informasse animo Calphurnium, quam Cyllenium, qui numquam contextum emendatiorem edidit, quod perfecturum se fuisse in prooemio scribit ille, nisi operarum negligentia obstitisset. Qua de re quaedam tam prudenter monita illic reperiuntur, ut gratum me facturum harum rerum amantibus arbitrer, si potiora in hunc locum transscri-

bam. Scribit autem Ioan. Calphurnius *Hermolao iuris utriusque doctori peritissimo, Oratori facundissimo et philosopho eruditissimo* ita:

Homines aetatis nostrae, Hermolae facundissime, qui litterarum perquam studiosi sunt, mirifice laetari possunt, quod in immensam librorum copiam inciderint, qua et prisca aetas et ea, quae nostram praecessit, caruerit; quae quidem ex impressorum numero tantum crevit, ut iam necesse sit non bibliothecas totas sed domos implere. Verum, ut inquit poeta ille clarissimus, *et urticae proxima saepe rosa est.* Non potuit hoc divinum munus, ut in humanis accidere solet, ex omni parte esse perfectum. Huic enim unum deesse video, diligentem et accuratam librorum castigationem. Sine hac quicquid fit frustra fieri necesse est. Nam et discentibus sensus obscurus, et doctis taedium minime tolerandum insurgit. Hinc et nausea, quaedam deponendi assiduam lectionem oboritur, quam nonnunquam pluribus delicatis et copia ipsa suggerit. Huic rei pulcherrime succurrant, qui possint, quique singulari facundia ac eruditione praediti sint. Huic tu succurre etc. Cur autem haec ad te scribam, paucis accipe. Superioribus diebus a quibusdam adolescentibus studiosis rogatus, ut Propertium aut, si nollem hunc, Papinii Sylvas lectione quotidiana interpretarer, ne desiderium eorum frustrarer, promisi me facturum, quod vellent. Quapropter cum percurrere coepissem *id opus, quod Venetiis impressum est,* quodque hos poetas clarissimos continet, *Catullum, Tibullum, Propertium* et *Sylvas:* tot mendis refertum esse deprendi, ut longe plura essent vitiosa et depravata, quam quae emendata. Nullus certe sensus ex his elici poterat. Confestim conveni nonnullos impressores et eos cohortatus sum, ut iterum id opus imprimerent ea correctione, quam pollicitus sum. Possum igitur gloriari me *non id emendasse, sed fere totum exscripsisse,* ut quis deprendere poterit collato utroque exemplari. Statueram tamen nihil negotii cum impressoribus habere, quod et ipsi ea, quae emendata acceperunt, invertere et permutare soleant. Quare si qua praetermissa vel immutata inveneris, non mihi adscribito sed impressoribus. Nam plerumque, ut dixi, vel inver-

tunt syllabas aut aliquas omittunt litteras vel addant, quod relinquendum: sicut eo loco Catulli (XLVII. 2.) *famesque mundi* ego *memi**) emendaveram, utramque dictionem impresserunt. Et in eo carmine (LVI, 5.) *Deprendi modo* (*pupullum*) pupulum *puellae — pupulum* omiserunt. Et in eo versu (XLVI. 11.) *Diverse variae viae reportant*, *viae* reliquerunt. Haec tantum notasse contentus, ne quis me negligentem fuisse existimet in eo, quod ad communem litteratorum commoditatem editur. Hanc igitur placido vultu, ut soles, emendationem suscipe etc.

Hic primum quaeritur, quaenam sit Veneta illa, quam se emendasse profitetur Calphurnius vel, ut alii scribunt, Calpurnius? Est, nisi fallor, Veneta princeps a. 1472. Nulla enim ratione intelligitur, cur, si Venetam a. 1475. ante oculos habuisset, recipere ex hac noluerit v. c. I. 5. 4. *mors precor atra* pro *mors modo nigra* et v. 18. *Saturni* aut *sacram* pro *Saturni sacram me tenuisse diem*; I. 5. 70. *orbe rotae* pro *rota*; I. 8. 1. *Non ego* celari *possum* pro *celare*. Quibus locis consentit cum Venet. 1472. Saepius meliorem lectionem intulit, ut I. 2. 53. pro *fiet* habet *fias*; I. 4. 56. *Formae non* ullam, pro *illam*, quod monere oblitus sum ad illum locum. Hic fortasse secutus est antiquiora exempla. Nam illud habet Ed. min. a. 1472. hoc, nisi fallor, Bartoliniana. Sic ei convenit cum iisdem exemplaribus III. 5. 11. in lectione, *sacrilegos — admovimus ignes*. Solus ille edidit I. 4. 55. *Rapta* feret *primo post afferet ipse roganti.* ubi Venetae habent, *dabit — ipsa volenti.* Menda Calpurnius multa sustulit reponens v. c. I. 4. 9. *O fuge* pro *Offuge*; II. 1. 55. *minio* pro *nimio*; II. 3. 55. *fusci* pro *fusi*; II. 3. 43. Cui *lapis externus curae est*, pro *Quid*. At relicta sunt vel potius illata ab operis menda haud pauca, v. c. I. 6. 46. *nec* aciem *Flam-*

*) *Memmi* omnium primus sive ex ingenio sive e libro quodam scripto reposuit Calphurnius. Edd. a. 1472 et 1475. cum Regiensi habent *mundi*. Illud statim adsumpsit Parthenius in Brix. a. 1486. male tamen scribens *mēmii*, ut est etiam in Venett. 1491. 93. vel *Memmii*, quod habent Ald. a. 1502. et Grasser. a. 1607. Rectius Ald. a. 1515. Plantin. a. 1560. Gryph. a. 1561. *Memmi*, quod exhibet Cod. Paris. n. 7989. a secunda manu, et e suo libro reposuit Scaliger.

mam monet *amans uerbera torta timet*, pro *nec* acrem non et *amans*. In primis I. 3. 9. *Delia non usquam, quae me* cum mittere *urbe Dicitur ante omnes* consueuisse *deos*. ubi primus omnium Dousa in margine Plantin. 1592. emendavit *quam*, primus ita, quod sciam, edidit Broukhusius. Cum iis, quae ad hunc locum notavi, conf. Corn. Nepot. XXV. 21. *Atque* antea *quidem morbi diuturnitatem moleste ferebat*, priusquam *hoc ei accideret*. Postquam etc. Sic edidit Gruterus, haud dubie e libro scripto. Male alii omittunt *antea — ferebat*. Aristoph. Nub. 771. ed. Wolf. De Calpurnio sic scribit Avantius in Epistola ad Augustinum Moravum: *Quis ante* Calphurnii *castigationem Catulli scripta non stomachosus attingebat? Hic porro, quantum humani vires ingenii passae sunt*, uno mense elaboravit, *ut quatuor illi poetae emendatiores haberentur*.

Exemplar Pinellianum notatum erat variis Codd. lectionibus, monente Morellio Tom. II. p. 314. n. 4497. Exemplo in Biblioth. Magliabech. Bernard. Pisanus Variantes adscripsit, ut ipse ad finem testatur, collato emendatissimo F. Puccii exemplari An. 1502. referente Bandinio: *Iuntar. Typogr. Annales* P. I. p. 123. De exemplo Gottingensi vide, quae monui ad librum III. p. 423. et alibi. Exemplum sine Statio habuit Harlesius, Supplem. ad Brev. Not. P. II. p. 508.

IX. Editio Veneta a. 1485. fol.

Albii Tibulli Equitis Romani Poetae clarissimi Elegiarum libri cum comment. Bernardini Veronensis.

Praecedit huius *Carmen ad Baptistam Vrsinum* et *Vita Tibulli*. In fine alia *Poetae Vita* et in eius laudem carmina (sine dubio Marsi epigramma et duo illa disticha, quae subiuncta sunt etiam Venett. a. 1487. 91. 93. — et Ed. Rom. descripta a me ad IV. 14. p. 675.).

Tum: Venetiis *Antonius Battibos Alexandrinus impressit anno salutis* M.CCCC.LXXV. *quinto nonas Martias.*

Editio a nemine adhuc excussa, memorata a Denisio Supplem. Maittar. Tom. I. p. 205. a Morellio Bibl. Pinell. II. p. 385. et Panzero III. p. 224. n. 887. Vide Heynium p. XLVIII. ponentem, quod probabile est, expressam eam esse ad Ed. Rom. (1472.) 1475. eamque recte substituentem *Cat. Tib. Propertio* cum comment. ant. Venetiis a. 1485. fol. quod opus memoratum a Maittario Tom. I. P. I. p. 469. pertinere suspicatur ad Ed. Venet. 1475.

X. Editio Brixiana a. 1486. fol.

Tibullus cum commentariis Bernardini Veronensis. *Propertius* cum breuibus commentariis Domitii Calderini. *Catullus* cum commentariis Parthenii.

In fine *Tibulli*: Brixiae *impressum per Boninum* de Boninis de Ragusia anno salutis MCCCCLXXXVI. *die* XVIII. *Februarii.* In fine *Propertii* — XVII. *Chalendas Apriles.* In fine *Catulli* — XI. *Kal. Maias.*

Haec Editio iam excussa fuit a Broukhusio. Conuenit eius lectio fere cum Romana, ut tantum non ex ea descripta videri possit. II. Ex hac Romana, non dicam, descriptae, sed tamen profectae sunt etiam Venetae inde ab a. 1487. Apparet res e notabili hoc lectionis consensu. II. 4. 39.

At tibi, quae pretio victos abducis *amantes*

Eripiant positas *ventus et ignis opes.*

IV. 8. 4.

Atque Eretino *frigidus* amnis *agro.*

At est etiam, ubi discrepent hae Edd. v. c. I. 3. 14. Venett. 1487—93. et, nisi fallor, Rom. habent *Quom*

flecteret. Brix. *Cum fleret*. IV. 15. 1. Rom. *nobis:* Venetae omnes cum Brix. *titulis*.

XI. Editio Veneta a. 1487. fol.

Albii Tibulli Carmina cum commentariis Bernardini Cyllenii. In fine: *Impressum* Venetiis *per magistrum Andream de palthascichis Catarēsem*. M.CCCC.LXXXVII. *decimo octauo Kalen. Ianuarias*. Sequitur *Catullus* cum Ant. Parthenii Lacisii commentariis sine anni et loci nota. Accessit *Propertius* cum comment. Ant. Volsci a. 1488.

Accurate de hac editione agit Heynius. Quod vero addit: De Propertio v. Santen. praef. ad Propert. p. XIII. qui sane non 1487. sed 1488. prodiit Tibullo tamen et Catullo comes: non animadvertit, Santenium ibi agere de Propertii editione sine commentario locoque et anno impressionis. Nempe, quod scribit Santenius in Collectaneis: „habuit Burmannus exemplar, in quo colligati sunt *Catullus* Brixiae per Boninum 1486. *Tibullus* cum comment. Cyllenii per Andr. de Palthascichis Venet. 1487. Signaturae desinunt in — f —, tum subiicitur *Propertius* signatura *h*, sine comment. sine loco et anno impressionis. Hanc editionem Propertii, credo, Burmannus vocat Venetam 1487. Est Vicentina 1481.“ Recte. Est Vicentina. Sed quando Burmannus laudat Venetam (Beroaldi) a. 1487. quae numquam exstitit, intellige Venetam a 1491. Error ortus est e subscriptione, de qua videbimus infra. Habeo nunc in manibus illud Burmanni exemplar, et confidenter pronuntio, omnes lectiones, citatas ab illo e Veneta 1487. reperiri non in Vicentina, quam satis negligenter comparavit Burmannus, sed in Veneta 1491.

Tibulli Veneta a. 1487. ducta est e Romana a. 1475. mutata tamen subinde una et altera lectione. Sic II. 1. 66. Romana (apud Heynium) habet, ut Venett. 1491. 93.

Cantat: et appulso *tela sonat latere.*

At Veneta a. 1487.

Cantat et a pulso *tela sonat latere.*

Hoc igitur recte notavit Broukhusius, quod ego negabam in Analectis. Idem recte notavit, hanc Editionem exhibere I. 7. 51.

Illius e *nitido stillent unguenta capillo,*

ubi praepositio *e* abest a Venett. 1491. 93. Dele igitur meum, *quod vix crediderim,* in Analectis.

XII. Editio Veneta a. 1491. fol.

TIBULLUS Catullus et Propertius cũ commento.

Hoc ordine in hac et proxima Editione poetae tres se excipiunt, non eo, quem constituit Panzerus Tom. III. p. 297. n. 1368. praeposito Catullo. In fronte Tibulli cum commento Bernardini Veronensis positum est, sicut in Venett. 1485 et 1487. Carmen *ad Baptistam Vrsinum*, cui adiuncta est ab editore Vita Poetae, diversa ab ea, quae in fine descripta est e Codd. Sequitur *Catullus* cum comment. Antonii Parthenii. Tum *Propertius* cum comment. Philippi Beroaldi, ad cuius calcem legitur:

Cõmentarii in Proptiũ *a Philippo beroaldo editi* Anno salutis M.CCCC.LXXXVII. *ĩpressi uero* Venetiis *a Boneto locatello Bergomẽsi. Cui necessaria exhibuit Nobilis uir Octauianus Scotus Modoetiensis.* Anno eiusdẽ salutis nonagesimo primo supra millesimũ ac quadringentesimũ. Quinto Idus decembres

Sit Christe Rex piissime
Tibi patriq; gloria
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Accedit Hieronymi Salii fauentini in inuidum carmen, et Registrum.

Haec est Editio illa, quam Burmannus vocat Propertii Venetam a. 1487. Error est manifestus. Nam quum oculi haererent in anno Commentarii, numeris maiusculis expresso, factum est, ut annum Impressionis, verbis designatum, praetermitterent. Hoc idem accidit viro docto, qui illud exemplar Burmannianum indicavit in Catalogo Bibl. Santen. p. 102. n. 4. scribens: *Tibullus, Catullus et Propertius cum comment. P. Beroaldi*, Venet. 1487. perg. Corrige 1491. nec quaere in pluteo, quod non reperitur nisi in Catalogo. Heynius hanc editionem minus accurate vocat *meram* repetitionem superioris a. 1487, ad quam tamen recte notavit similem errorem in Append. Catal. Bibl. Lugd. p. 513. notatum etiam a me ad Tibullum I. 6. 84. Hoc loco corrigenda et perficienda est annotatio, posita in Analectis ad I. 9. 9. Excidit ibi post verba „Ed. min. 1472." lectio *perituras*. Sic enim haec Editio habet. Nec accurate scripsit Heynius: „Venetae *perituras*." Falso Broukhusius: *Cyllen.* id est, *Venet.* 1487. *petituros*. Nempe Veneta princeps a. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep. habent:

Lucra petituras parentia per freta *ventis*.

Vicent. *petituros* per *freta patentia*. E contrario Venet. a. 1487. non *petituros* habet, sed

Lucra perituros per freta patentia *uentis*.

At Venett. 1491. 93. cum Ed. min. a. 1472. habent *perituras* per *freta patentia*. De Rom. et Brix. nihil notatum reperio. Iam in Excerptt. Perr. est, sicut in Venet. 1487. *perituros*. Cui voci Heinsius adscripsit: „m. s. G." id est, nisi fallor, in margine G. (Venet. 1475.) manu scriptum quoque esse *perituros*. Ergo iterum erravit Broukhusius scribens: *perituros* G. Postea in Ald. 1502. editum est, quod legitur in Cod. Lips.: *petiturus* per *freta patentia*. Tandem in Ald. 1515. recepta a nobis lectio expressa est.

XIII. Editio Veneta a. 1493. fol.

TIBULLUS Catullus et Propertius cũ comento.

In fine: *Commentarii in Proptiū a Philippo Beroaldo editi Anno salutis. Impressum Venetiis p Symonē beuilaqua Papiensem.* M.CCCC.LXXXXIII. *die.* XXVI. *mensis Iunii.*

Sit Christe Rex piissime —

Omissus est in hac subscriptione post *salutis* anni numerus 1487. Sequitur Hier. Salii carmen et Registrum, ut supra. Nam haec est mera repetitio Ed. superioris a. 1491. De ea vide, quos laudat Panzer. Tom. III. p. 339. n. 1674. At meum exemplar magnam habet commendationem ab adiunctis. Insunt enim 1. *Syllius Italicus cum commentariis Petri Marsi.* Venet. a. 1493. — 2. *Tib. Cat. Propertius.* — 3. una editione continentur: *Statii Syluae cum Domitii Commentt.* servato in subscriptione numero anni 1475, *Statii Thebais* cum Lactantii Commentt. *Statii Achilleis* cum Marantii Commentt. *Domitii elucubratio* etc. cui subscriptum est: *Hoc per Barthol. de Zanis de Portesio Venetiis impressum opus foeliciter explicit.* 1494. die 15. Martii. — 4. *Senecae Tragoediae* cum duobus commentis. Venet. per Matthaeum Capeasam parmensem 1493. die 18. Iulii.

Memoratur etiam Venet. a. 1497. fol. apud Panzerum Tom. III. p. 409. n. 2178. Sed haec quoque est, ut e subscriptione patet, repetitio Venetae a. 1491. Illam, credo, habuit Martini-Laguna, laudans *Cat. Tib.* et *Propertium* Venet. a. 1498. per errorem, nisi fallor, pro a. 1497.

XIV. Editio Veneta a. 1500. fol.

TIBULLUS cum commentariis Cyllaenii Veronensis. *Catullus* cum commentariis Parthenii Veronensis et Palladii patauini. *Emendationes Catullianae* per Hieron. Auancium Veronensem et eiusdem *in Priapeas Castigationes. Propertius* cum commentariis Philippi Beroaldi. *Annotationes in Propertium:* tum per Domitium Calderinum: tum per Ioannem Cottam Veronensem. *Haec omnia sunt ex exemplaribus emendatis domini Hieronymi Auancii.*

Praefatio inscribitur: *Emendationum Hieronymi Auancii Veronensis in* Lucretium, *in* Catullum: *in* Priapeias: *in* Statii Syluas. *Editio secunda.* Nempe *prima* harum Emendationum, certe in Catullum *Editio* prodierat Patavi a. 1494. curata ab Augustino Morauo Olomucensi, qui in prooemio de iis ita scribit: Haec scripta *Leonicus Patauinus, Iacobus comes Iuliarius Veronensis, Aurelius Ariminensis,* Calfurnius Brixiensis, *nulla non laude maiores, sedulo perlegerunt ac mire commendarunt.* E contrario Scaliger ad Catull. XII. 1. Marrucinitatem Avantio exprobrat, qui pro *Marrucine Asini* intulerit *Inter coenam Asini.* Et Santenius in Collectaneis: Avantius in hac editione textum Beroaldinum hic illic immutavit non semper cum bono iudicio. Unde in eius Editione Beroaldus saepe verba explicat, quae in textu frustra quaeras. Vide Collatt. ad Eleg. ultimam Propertii.

De Tibullo Heynius: „Etiam haec editio ex superioribus Venetis repetita est, exemplar tamen ab Avantio mendis typographicis purgatum esse debuit, ante quam operis typographicis excudendum traderetur." Idem tamen ad Venet. a. 1520. insigne mutatae in utraque editione lectionis exemplum profert ex I. 4. 34. In Veneta 1487. et sequentibus a. 1491. 93. erat adhuc, (sicut in Rom. a. 1475.) *tardos dies.* At in edd. 1500 et 1520. *stultos* legitur, sicut in commentario Cyllenii. Recte. Aliam lectionis varietatem expedire non potuit Avantius. Nempe IV. 1. 14. Venet. 1487. habet:

Paruaque caelestes placuit *mica: nec illis*
Semper in aurato taurus cadit hostia cornu.

Sic, inquam, habet illa, non, quod Broukhusius scribit, *placavit*. Quamquam *placuit* sine dubio positum erat pro *placauit,* sicut est etiam in Rom. et Brix. testibus Heynio et Broukhusio. At postea in Venett. 1491. 93. locus ita interpolatus est:

Paruaque caelestes pauit *mica* saepe: *nec illis* —

violato metro in voce *mica.* Huic errori ansam praebuit Cyllenius, qui quum scriptum in libro quodam re-

perisset *pauit*, id est, *pacauit*, illud proprie sumpsit pro *cibavit* a *pasco*. Quid Avantius? Hic intelligens, metrum violari in *mica*, ex altera editione *placauit*, ex altera recepit *saepe* et locum ita construxit:

Paruaque *caelestes* placauit saepe, *nec illis*
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Mihi ipsi in annotatione ad locum accidit, quod saepe librariis, ut, simili quodam Horatii loco delusus, *mica* scriberem pro *sale* in laudato ibi versu Tibulli III. 4. 10.

Farre pio placant *et saliente* sale.

Hactenus de Avantio. Cottam quod attinet et Domitium, eorum Annotationes quaerentibus se non sistunt. Notaverat Broukhusius, monente Santenio, haec: „Cotta periit A. 1511. aut 1512. ipse aetatis 28. Commentationum in Propertium nemo meminit, non Gyraldus, non Iovius, non Panvinus, non Valerianus, non Fracastorius." Burmannus quoque non invenerat nec Domitium nec Cottam: sed ex Broukhusio, credo, notaverat: „Corn. a Beughem in Incunabulis Typographicis laudat commentarium Ioannis Cottae Veronensis in Propertium, qui prodierat Venet. 1500. cum Domitii Calderini et Beroaldi in eundem poetam commentariis", ut certe titulus ostentat.

Novissimae hae editiones a. 1500 et 1520. parum discrepant, nec opus est postremam hanc scorsum recensere. Illa in fine habet: *Impressum* Venetiis *per Ioannem de Tridino de Cereto alias Tacuinum.* MD. *die uero* XIX. *Maii. Regnante inclyto principe Augustino Barbadico;* haec: Venetiis *in aedibus Guilielmi de Fontaneto Montisferrati anno Domini* MDXX. *die* XII. *Iulii. Inclyto Leonardo Lauretano Principe.*

XV. Editio Lipsiensis a. 1500. 4.

Albii Tibulli Elegiographorum optimi, elegia de amoribus et laudibus Messallae. *Lipsiae* per Iacobum Thanner.

Exstat in bibliotheca Dresdensi, sed sine anni et typographi ulla mentione, quam ex Maittario (App. p. 556.) supplevi. Nunc Panzer quoque memorat Tom. I. p. 497. n. 249. Litterarum typi sunt neogothici. Curatam esse editionem a Gregorio Conicensi, ex Leichii Annal. Typogr. Lips. p. 76. didici. Referendam eam esse ad classem alteram ex Veneta 1475. deductam, iam supra significavi. Heyn. Lectionem huius exempli, enotatam ab Heynio, diligenter se comparasse cum Editione illa, quam Lipsiae a *Conrado Kachelouen* expressam esse narrat Panzerus Tom. I. p. 499. n. 274. ait Censor huius operis in Ephem. Goth. a. 1793. pl. 52. p. 462. idemque confirmat, Variantes utriusque editionis plane et ubique inter se convenire. Habuit ille in manibus idem exemplar, quod Panzerus habuit, e bibliotheca Neostadiensi. Negat, nomen Conradi Kachelouen libro impressum esse, nec dubitat pronuntiare, Neostadiense exemplum esse Thannerianum. Nunc video, Panzerum ipsum in Ind. Bibliogr. Tom. V. p. 428. verba „*Lipsiae, Conr. Kachelov.*" uncinata exhibuisse et adscripsisse, *Sine loco et anno.* Ergo ipse, quod supra posuerat, incertum reddidit ac suspectum. Quid censes, Harlesium? Hic omnia confundens ita scribit in Brev. Notit. Litterat. Rom. a. 1789. p. 225.

Tibulli elegia de amoribus et laudibus Messalae, Lipsiae 4. 1500. — *Act. Tibulli* elegiae libri II. *L. Annaei Senecae* Biga tragoediarum. cura *Conr. Celtis.* 4. circa finem saec. XV.

Hic, satis apparet, primo loco significari editionem Thannerianam, qua usus est Heynius. Quale vero alterum opus est, quod secundo loco memoratur: *Act. Tibulli* elegiae libri II? Est, inquit Harlesius, (Supplem. P. I. p. 350) editio Tibulli cura *Conradi Celtis*, de qua vide *Schnizer* Bibl. Neostad. ad Aissum, part. II. p. 23. Ac Schnizerus quidem re vera ibi memorat opus sub hoc titulo: „*Act.* Tibulli Elegiae Libri duo: Luc. Ann. Senecae Biga Tragoediarum cura Conradi Celtis": videturque in ea opinione fuisse, ut crederet, utramque editionem curatam esse a viro hoc celeberrimo. Sed de editione Tibulli curata a Celte ego numquam fando audivi, neque Klupfelius in *Conspe-*

ctu operis *de Conradi Celtis Protucii Vita et Scriptis* quem a. 1813. Friburgi edidit Ruefius, ullam fecit huius editionis mentionem. At memoratur ibi p. 12. *Hercules Furens* et *Coena Thyestis; L. Annaei Senecae* biga tragoediarum cura C. Celtis. Huius editionis exemplo illi, quod exstat in biblioth. Neostad. agglutinata est editio Tibulli, quam Panzerus Conrado Kachelovén, Schnizerus, certe Harlesius, tribuebat Conrado Celti, cuius nomen inscriptum est non nisi Bigae tragoediarum Senecae. Hactenus ego obscuram hanc rem meo Marte expedire conatus sum. Sed volebam porro scire, an exemplo Neostadiensi re vera praescriptum esset *Act.* pro *Alb.* Tibulli? an *libri* II. pro *libri* IV? Utrum hac, an alia editione usus esset Panzerus, qui sic scribit: *Albii* Tibulli Elegiarum *Libri* IV. Qua de re certiorem me facturum esse putaveram Bardilium. Sed huic nondum copia data est inspiciundi libri. Idem tamen quaedam ad me perscripsit de antiquo Bibliothecae Heidelbergensis exemplo sine anni et officinae nota, quod nunc ipsum ante oculos habet. Hoc multis locis discrepat a Thanneriano, monente etiam, qui comparavit, Vossio p. XXVII. nec conveniunt litterarum typi gothici illis, quibus expressus est coniunctus cum eo Propertius ex officina Martini Lantzpergenss. Lips. a. 1495. quippe maiores et aliter formati. Haec sine dubio est memorabilis editio, sed originis incertae et difficulter indagandae, siquidem lacera est a fronte usque ad I. 6. 71. *Et si quid peccasse* etc. nec in fine habet nisi: *Summa vite albii tibulli*, expressa fideliter ad Codicem aliquem v. c. in voce ɔ*tubernalis*. Sequitur *Epitaphiū Tibulli*. Cum sign. a—g. lin. 20. 4. Qua in re convenit illi cum exemplo Neostadiensi apud Panzerum Tom. I. p. 499. n. 274.

Editiones Saeculi XVI.

Iam alterum Typographiae saeculum ingredienti in ipso statim limine mira mihi obiicitur editionum classis, forma et lectione similis Aldinae a. 1502. origine et charta longe diversa. In huius fraudis vestigio me primum posuit varietas lectionis, observata in Aldina apud Tibullum IV. 1. 108. ubi tria huius editionis ex-

emplaria, quae ipse possideo, ita differunt, ut unum, haud dubie archetypum, exhibeat: *Fortis* iapigiae *miles*, secundum et tertium *inpigiae*. Mox accuratius inquirens deprehendi, haec exemplaria locis permultis discrepare non solum in Tibullo, sed etiam in Catullo et Propertio, redire autem rem ad menda typographica. Tum animadverti, duo e tribus exemplaribus meis meras esse repetitiones Aldini, in alia officina fabricatas, sicut illud, quod in Commentario ad librum primum subinde memoravi sub titulo *Ed. Vet. sine a. et l. indicio*, v. c. ad I. 5. 7—8. deinde ad II. 1. 37—38. vocavi *Ed. Ald. a.* 1511. cuius mentionem iniecerunt multi. Nunc etiam scio, Aldum iam ipsum de hac re questum esse cum temporum suorum aequalibus, accusantem publice fraudulentae illius fabricationis typographos Lugdunenses in Gallia, qui editiones suas eo, quo dixi, modo repeterent, ipsumque laboris sui fructu privarent. Quae res ut mire corrupit annales typographicos, ita etiam perturbavit lectionis per Aldinam propagatae historiam criticam:

CATVLLVS. Tibvllvs. Propetivs. a. 1502. 8.

Sic est in archetypo Aldino, certe meo, non *Propertivs*.*) Insigne Aldi, delphinus anchorae involutus, ab hac editione abest. Sequitur in altera tituli pagina Manutii Epistola, inscripta sic: *Al. Ma. Ro. Marino Sannvto* Patritio *Veneto* Benedicti *Filio. S.* Ad finem Catulli legitur *Hieron. Auancii* ad Marinum Sanutum epistola, qua continentur emendationes in Lucretium. Ad calcem in altera plagula est: *Venetiis* in aedibvs *Aldi.* Mense Ianvario. M.DII. nec sine privilegio vt in caeteris; in altera, *Catvllvs. Tibvllvs. Propertivs.* Quae plagulae saepe abiectae a glutinatoribus opinionem pepererunt, hanc editionem etiam, ut Hey-

*) Annales de l'Imprimerie des Alde, ou Histoire des trois Manuce et de leurs Editions. Par Ant. Aug. Renouard. — Tom. III. p. 7. *Le titre porte tantôt* Propertius, *tantôt* Propetius, *mais cette faute typographique ne dénote pas une double édition. La correction a été faite pendant le tirage.* Etiam exemplaria duo adulterina, quae penes me sunt, in titulo habent *Propetivs*, in fine *Propertivs*, sicut Ald.

nius scribit, *sine anni et loci nota prostare.* Tria huius archetypi exempla simul ob oculos habebat Freytagius (Adparat. Litter. Tom. I. p. 487.) nulla in re a meo discrepantia, unum adulterinum habuit, nisi forte notitiam suam ex alio libro hausit, Panzerus Tom. VIII. p. 353. n. 121. Adulterinum, inquam, habuit, quia Epistolae Aldi in eo praescriptum erat: *Al. Ma. Marino Sannuto Patritio Veneto* Leonardi *F.* S. omisso *Ro.* et exhibito *Leonardi* pro *Benedicti* F. Illud fortasse casu omissum. Sed exstare exemplaria, quae *Leonardi* habeant, certo certius est. Nempe Leidae servatur exemplar, quod ita describit Santenius in Collectaneis: „In bibliotheca Lugd. Bat. p. 262. Hist. 574. exstat editio, quae non habet anni notam: videtur charactere proxime accedere ad Aldin. 1502. vel *Iuntinam.* Quod vero singulare est, legitur in inscriptione praefationis:

Sannuto Patritio Veneto *Leonardi* filio.

In Aldina autem 1502.

— Patritio Veneto *Benedicti* filio.

In *Iuntina*, sicut in Ald. 1515.

Patricio Veneto *Benedicti* filio.

In exemplari etiam Lugdunensi penultimus praefationis versus desinit in voce *una;* in Aldinis in voce *redire;* in Iuntina in voce *cum.*“ Haec Santenius, recte monens, archetypum Ald. a. 1502. habere *Patritio,* Ald. a. 1515. *Patricio.* Idem recte addit, in his binis exemplaribus penultimum praefationis versum desinere in *redire.* At duo alia exemplaria, quae ego possideo, desinunt ibi, sicut in ea editione, quam Iuntinam dicit Santen. in voce *cum,* et in inscriptione tamen habent *Patricio — Benedicti.* Ergo haec rursus diversa sunt a Leidensi. Sed quaenam tandem est *Iuntina* illa? Nempe ea, quae sic memoratur in Catal. Bibl. Santen. p. 105. n. 52.

Catullus, Tibullus, Propertius ed. antiq. sine loco et anno. (Catulli quaedam cum vett. MSS. sunt collata.)

Habet ea in titulo *Propetius.* Ad finem in schedula separata, *Catvllvs. Tibvllvs. Propertivs.* Vir

doctus in fronte libri annotavit: *In Propertio* primam Aldinam *secuta fuit haec editio.* Ad finem Tibulli eadem manus: Iuntina *haec Propertii* editio *primam Aldi secuta est, quae prodiit* 1502. Praefatio huius ed. inscribitur:

Al. Ma. Ro. Marino Saunvto *Patricio*
Veneto Benedicti Filio. S.

Hanc editionem vidi, comparavi, agnovi, esse eam, quam ego nunc simpliciter Ed. Vet. vocavi, nunc Ed. Ald. a. 1511. Perperam sine dubio. Sed quo iure vocatur *Iuntina?* Longe diversum titulum habet Iuntina, longe diversam praefationem et subscriptionem, quod infra demonstrabitur. Ergo illud Santenianum, nunc Berolinense, exemplum est Aldinum, *sed* adulterinum, sicut meum, id est, *Lugdunense,* quod in omni fere lectione conspirat cum Bardiliano, nunc liberalitate viri humanissimi item meo. Haec duo exemplaria non eodem tempore impressa sunt Lugduni. Nam et charta videtur esse diversa, nec semper convenit lectio, v. c. I. 5. 57. Bardilianum habet sicut archetypum: vivebant rege *prius, quam;* meum contra *prius, qua.* Ab utroque abest Avantii Epistola post Catullum. Et satis constat, Lugdunenses brevi temporis intervallo editiones Aldinas iterasse. Renonard Tom. II. p. 17. et p. 197. n. 3. Prima eodem a. 1502. prodiisse videtur. Nam libellus Aldi Manutii, quo emptores de hoc mangonio certiores facit, editus iam est Venetiis XVI. Martii M. D. III. Ibi inter alia haec leguntur: (Renouard. Tom. II. p. 208.) „*Sunt iam impressi* Lugduni (*quod scierim*) *characteribus simillimis nostris: Vergilius. Horatius. Iuuenalis cum Persio. Martialis. Lucanus.* Catullus cum Tibullo: et Propertio. *Terentius.* in quibus omnibus nec est impressoris nomen: nec locus: in quo impressi: nec tempus, quo absoluti fuerint. *In nostris uero omnibus sic est: Venetiis in aedibus Aldi Ro. illo: uel illo tempore.* Item nulla in illis uisuntur insignia. *In nostris est Delphinus anchorae inuolutus: ut infra licet uidere.* Praeterea deterior in illis charta: *et nescio quid graue olens,* characteres uero diligentius intuenti sapiunt: (*ut sic dixerim*) gallicitatem quan-

dam. — *In fine Catulli eam: quae in meo est:* epistolam praetermiserunt.“ Haec omnia conveniunt in duo illa exemplaria, Bardilianum et Santenianum sive meum. Sed Delphinum anchorae involutum nec Renouardus vidit in archetypo Catulli, Tibulli et Propertii, nec ego. Hic duo huius generis exempla in manibus habuit Tom. II. p. 198. n. 9. et 10. unum Pinellius (Catal. p. 316.), quod Harlesius in Supplem. I. p. 535. dicit esse *Lugdunense* ex officina *Guil. Huyon* secundum coniecturam Barth. Mercier de Saint Leger in *Journal des Sav.* Mart. a. 1790. Huc haud dubie etiam pertinet *Catvllus. Tibvllvs, Propertivs* apud Ald. MDXI. 8. quae editio memoratur ab Ungero *Dissert. de Aldi Pii Man. Rom. Vita et Meritis* ed. Geret. p. CVIII. Ita, inquit, Catalogus librorum Aldd. ab amico quodam adornatus et usibus meis concessus.*)

Iam illud exemplorum par, quod ego possideo, quantopere differat ab archetypo, ex his Variantibus patet:

Ald. a. 1502.					Edd. Lugdd.
I.	1. 34.	*petenda*	—	—	*petanda*
—	3. 77.	*stangna*	—	—	*stagna*
—	— 85.	*lucerna*	—	—	*lucenar*
—	4. 7.	*Sic ego*	—	—	*Sic ergo*
—	10. 17.	*esse e stipite*	—	—	*esse stipite*
II.	3. 42.	*iungere*	—	—	*iugere*
—	5. 73.	*ferunt*	—	—	*serunt*
IV.	1. 64.	*Cimmerion*	—	—	*Cimmerion*
—	— 86.	*erumpat*	—	—	*errumpat*
—	— 108.	*iapigiae*	—	—	*inpigiae*

Ad exemplum Aldinae primae facta est longe illa rarior Editio Iuntina:

*) Laudatur in *Serie dell' Ediz. Ald.* p. 34. et a Panzero Tom. VIII. p. 405. At Renouardus Tom. I. p. 93. *Cette édition m' est inconnue. Le grattoir n'aura pas pu fermer facilement la date de* 1511; *je soupçonne plutôt qu' une méprise dans un catalogue aura donné lieu à l'annonce de cette édition idéale.*

Catvllvs, Propertivs, Tibvllvs, *olim magna ex parte emendati per* Aldum Manutivm Romanum *Virum doctissimum, nunc recogniti per* Benedictum Philologum Florentinum. 1503. 8.

Ad calcem: *Florentiae* impressi opera et impensa Philippi Bibliopolae Giuntae F. Florentini. Anno Salutis M.D.III. Nonis Augustas Petro Soterino Vexillifero foelicissimo.

Sic legitur apud Baudinium, *Iuntarum Typographiae Annales* P. II. p. 5. non *Avgustus*, quod Panzerus dedit Tom. VII. p. 7. n. 4. nec *Sotenno*, quod Heynius. Praefatio haec est:

Benedictus Philologus Florentinus litterato iuveni *Bonacursio Pepio* Excellentiss. V. Doc. *Francisci* filio S.

En tibi, mi Bonacursi, C. Valerii Catulli, Propertii et Tibulli labores herculeos, gordiano iugo inexplicabiliores, muneri mittimus, quos, non minus docte, quam diligenter, ac laboriose quintum abhinc mensem *Aldus Manutius* Romanus recognovit, et recognitos suis typis imprimendos curavit, ad communem studiosorum utilitatem = inseruimus et his Poetis, eorum vitas per *Petrum Crinitum*, graece et latine apprime doctum, compositas, scientes tibi iuveni litterato, caeterisque studiosis, plurimum placituras. De quo in praesentia parcius; nam praedicatione nostra non indiget, satis enim doctissimis lucubrationibus suis clarus futurus est, quas brevi publicare est animus = Vale, Benedictumque tuum perinde ac soles, ama.

M.D.III. Non. Octobris.

Haec editio utrum mera sit Aldinae repetitio nec ne, quum nemo eam adhuc, quod sciam, excusserit, in medio relinquendum. At longe a priore discessit Aldina secunda:

Catvllvs Tibvllvs Propertivs. — *Venetiis*, etc. mense Martio. M.D.XV. 8.

Correcta et emendata est haec editio, in Tibullo utique, ut Heynius scribit, a viro docto, etsi eius nomen proditum non est — facta plerarumque, quae se-

entae sunt, editionum fons et fundus, inprimis Muretinae 1558. Insigne correctionis exemplum statim offert I. 2. 65. ubi Aldus sive Avantius intulerat in contextum:

Ferreus ille fuit, qui te cum possit *habere,*
Maluerit praedas stultus, *et arma sequi.*

ut est in Anglic. uno, Goth. Hamb. et Lips. At in Aldina secunda repositum est *posset.* Inest sane huic loco aliquid ἄκυρον, quod Criticos mirum in modum exercuit. Scaliger totam hanc Elegiae secundae particulam a v. 65 — 70. transtulit in primam, ima summis miscens et legens *fuat — possit* — Maluerit — stultus. Guyetus *fuit* a *fuim* derivabat: Heinsius corrigebat *sinu.* Offenderunt omnes ad structuram, *ille* fuit *ferreus, qui* maluerit *stultus.* Nam recte per se scribi, *fuit*, qui *maluerit*, ut *inventus est*, qui *dixerit*, hoc quidem neminem fugere potuit. Corn. Nepos XXV. 6. 4. *Multorum consulum praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus* — Qui *ne cum Q. quidem Cicerone* voluerit ire *in Asiam*, quum *apud eum legati locum obtinere* posset. Hic nonnulli legunt *voluit.* Sed *voluerit* pendet a superioribus, constructione Cornelio in primis frequentata. Apud Tibullum veram lectionem servasse mihi videbatur Cod. Voss. 3. *Maluerat*, qua omnis concidit huius loci ambiguitas. Conf. Orat. post Red. in Senat. c. 2. 4.

Aldinam primam exprimunt Edd. Parisienses apud Sim. Colinaeum et Basileenses; secundam Gryphianae, nec tamen inter se, nec cum Aldinis ubique consentiunt. Sic Ald. 1502. habet I. 9. 9. *per freta patentia*, Colin. 1529. *parentia per freta*, ut Venet. princ. 1472. cum aliis; Basil. 1569. *patentia per freta*, quod in neutra legitur Aldina; rursus Gryph. 1561. *per freta patentia*, Gryph. 1573. *parentia per freta.* Aliud exemplum vide in Analectis ad III. 5. 9. Gryphianae 1561. adscripta est varietas lectionis ex ed. Muret. 1558. quae postea aucta est in Gryph. 1573. Variantibus ex ed. Ach. Statii 1567. Idem factum in Plantinianis, quarum primam a. 1560. vitio nu-

meri natam putat Heynius, ego autem in manibus habeo:

Catvllvs, Tibvllvs, Propertivs, Cor. Galli Fragmenta. *Omnia ex Vetust. exempl. multò quàm anteà emendatiora, additis Annot.* Antverpiae, *Ex officina Christophori Plantini.* 1560. Cvm Privilegio. (12).

Abest ab hac editione prooemium cum Notarum Explicatione, quod praepositum postea est editioni 1569. Habet Vitas poetarum, auctore Petro Crinito, quae vicissim absunt ab hac, lectionem autem cum eadem fere communem. Secutus est editor plerumque Muretum, admissis interdum etiam emendationibus ex commentario, quas ille in contextum non intulerat, v. c. II. 1. 58. *duxerat hircus oues.* ubi Muretus in contextu habet *auxerat*, in Scholiis *duxerat.* II. 5. 16. recepit quidem versum, a Mureto omissum, *Et potum pastas ducere fluminibus;* sed et stellulam praefixit et in margine notavit, *Versus Aurispae.* Est etiam, ubi a Mureto discrepat, v. c. II. 5. 69. hic edidit *Tiberis*, ille *Tiburs*, notans in margine: *Sic legit Brassicanus.* III. 4. 28. Muretus *Stillabant*, hic primus omnium edidit *Stillabat*, e Georg. Fabricii Castig. in Terentii Adelph. I. Sc. 2. (57. *olet unguenta*) quam laudat in margine. Libros scriptos adhibuisse non videtur editor, sed ubique, quod praestat, iudicium sanum in recipiendis lectionibus et delectum acerbum adhibuit. Idem singularem intulit, quod alibi vidisse non memini, scripturam diphthongi graecae *ει* pro latina *ei*, et *e* in numero plurali, item pro *i* longa in vocibus graecis, v. c. I. 1. 7. *viteις* pro *vites*, v. 18. *auειs*, v. 67. *Maneιs*; I. 7. 21. *arenteιs* — *Seιrius.* IV. 1. 69. *Seιrenum.* Quam scripturam Pulmannus mutavit in *vites* — *arentes*, *Seirius* et *Seirenum.* Hanc enim editionem excepit altera ex eadem officina:

Catvllvs Tibvllvs Propertivs. *Antverpiae.* Ex officina Christophori Plantini M.D.LXIX.

Mirum, in titulo non memorari *Corn. Galli Fragmenta*, quae in hac editione leguntur post Tibullum

cum prooemio Theod. Pulmanni. Nempe Catullum et Tibullum Victor Giselinus et Pulmannus, Gallum Pulmannus solus curavit: Propertium Canterus. Santenius in Collectaneis ita: Fabricius quidem et Ernestius in Bibl. Lat. I. c. XIV. §. 9. crediderunt, hoc anno Propertium separatim esse editum a Cantero; sed eos falli satis patet ex his verbis, huic editioni praefixis: „En tibi, candide lector, Catullum et Tibullum doctissimorum virorum lectionibus a Victore Giselino et Theodoro Pulmanno Craneburgio studiose et diligenter collectis, emendatos. *quibus suo iure accessit Propertius* Gulielmi Canteri Scholiis ita illustratus, nihil ut amplius ad optimum poëtam recte intelligendum desiderari posse videatur.“ Ex his verbis neutiquam efficitur, Propertium *coniunctum* cum Catullo et Tibullo prodiisse, et ex editione ipsa manifesto apparet, illum separatim editum esse. Nam signaturae continuantur a Catullo ad Gallum sine interruptione. At post Gallum incipit novus titulus cum nova signatura: *Sex. Propertii Elegiarum Libri* IIII. *Cum Scholiis Gul. Canteri.* Antv. *Ex off. Christ. Plantini.* M.D.LXIX.

In Tibullo consentit haec editio plerumque cum Plant. 1560. Mutata tamen in universum haud pauca sunt, primum in orthographia. Nam illata illa in priorem diphthongi graecae scriptura prorsus abiecta est. *Messala* mutatus est in *Messallam.* Pro *caetera, contempserat, paulatim* substituerunt editores *cetera, contemserat, paullatim.* At etiam novas lectiones intulerunt, v. c. I. 2. 82. *deripuisse* pro *diripuisse.* I. 4. 27. *transiet aetas, Quam cito non* etc. perperam pro, *transiet aetas Quam cito: non* etc. Ibid. v. 81. *Eheu quam lento Marathus* pro *Eheu quam Marathus lento.* II. 5. 69. *Tiberis* repositum est pro *Tiburs.* Variantes in margine auctae sunt e Statiana editione, ex qua correxerunt subinde lectionem Mureti, quam in caeteris sequuntur. Inter illas Variantes reperiuntur etiam lectiones Scaligeri, qui memoratur adeo in *Notarum Explicatione*, prooemio subiecta. Hoc mihi iniecit suspicionem, proditam in commentario ad librum Tibulli IV. 9. 2. et

ad Marsi epigramma, circumferri huius editionis exemplaria adulterina, quibus falsa anni nota impressa esset. Qua in suspicione me confirmabat Vossius, qui in ora exemplaris sui Epitaphio Tibulli adscriptum ait esse ante Scaligerum a Pulmanno: *Epigramma* Marsi *de morte Tibulli*. Haec notatio a meo exemplo abest. Aut igitur alia ille usus est editione, aut tribuit Plantinianae, quod legitur in ora Lugdunensis a. 1573. quam ad verbum ex illa descriptam esse putabat. Unde vero notatio illa venit in hanc editionem, quum Scaliger affirmet in Ed. a. 1577. se primum illud Tibulli Epitaphium auctori suo asseruisse e pervetusto schedio, id est, Cuiaciano, quod praescriptum haberet nomen *Domiti Marsi?* Quae quaestio etiam pertinet ad lectiones quasdam Scaligeri, partim Plantinianae, partim Lugdunensi adscriptas, nec decidi ante recensionem horum exemplarium potest. Editio igitur Lugdunensis hunc titulum habet:

Catvllvs. Tibvllvs. Propertivs. Item, Corn. Galli Fragmenta. — Lugduni. Apud Ant. Gryphium. M.D.LXXIII. 12.

Haec editio nomen Gryphianae vix meretur; in omnibus sequitur Plantin. 1569. ut et Plantini praefatiunculam et Canteri Scholia transsumpserit. Santen. Interest inter utramque hoc: 1. Plantiniana post Tibullum habet Corn. Gallum, Gryphiana Gallum habet post Propertium: 2. Plantin. ante Propertium titulum habet separatum, Gryph. non nisi praefationem Canteri: 3. Plantin. non habet Vitas, Gryph. habet Vitas e Petro Crinito: 4. Plantinianae longe pauciora adscripta sunt, quam Gryphianae, praesertim inde a III. 4. 65. ubi incipit fragmentum Cuiacii, cuius tantum non omnem lectionis diversitatem in margine habet Gryphiana, velut hoc ipso loco v. 65. *dominae fera verba minantis*] validos tentare labores. Porro IV. 1. 2. *valeant*] nequeant. Vs. 59. (44) *Quisque tibi maiora gerit*] Nam quis te maiora gerit. Vs. 60. *gelidos quos irrigat unda*] gelida quos erigit unda. Vs. 185. *fecundis indeficientia mensis*] fecundas ad deficientia messes: (sicut Scaliger primus, partim e Cuiac. edidit). Vs. 189. *accitos — admonet*

annos] ante actos — Vs. 200. *mittere chartas*] vincere *chartas.* Vs. 205. *fato properat*] celerem *properat.* Sic Scaliger edidit, non monito lectore. At Heinsius margini Ald. 1515. huic lectioni, fortasse a Perreio notatae, adscripsit CC. id est, Cod. Cuiac. Vs. 210. *In quencunque hominem*] Quandocunque *hominem.* Sic Cod. Cuiac. apud Scaligerum et Heinsium. His interiectae sunt aliae aliunde repetitae lectiones, velúti v. 12. *deus asscensurus Olympum*] deus accessurus Olympo; quae incognita adhuc lectio, sicut reliquae, quas commemorare longum est, absunt omnes a Plantin. a. 1569. At huic rursus communes sunt cum Gryph. a. 1573. nonnullae emendationes Scaligeri ad Catullum. Carm. XXII. (25) 11. *Inusta turpiter tibi flagella* conscribillent] Margo Plant. „*Scalig.* conscabillent." Marg. Gryph. „*Scalig.* conscabillent, *alii* cousigillent." Ubinam, quaeso, miram hanc lectionem protulit Scaliger? Cui in *prima editione*, monente etiam Is. Vossio p. 65. non displicuit quidem, quod alii legunt, *concribillent* (etiam in comment. Ed. 1582.), sed in postremis curis (a. 1600.) merito reiecit. Porro Carm. XXXVII. (39) 11. *Aut* parcus *Vmber, aut obesus Etruscus*] Margg. Plant. et Gryph. „*Scalig.* porcus." Ita re vera edidit Scaliger, scribens in commentario: „Iam notum studiosis, olim *adolescentes nos* hic *porcus* pro *parcus* legisse." Hic fortasse intelligit Notas in Varronem (p. 21. ed. Bip.), ubi hanc emendationem proposuit, unde transferri sane potuit in Plantin. hinc in Gryph. sicut notata ibid. v. 19. lectio *russam* pro *rufam*, quam item Scaliger proposuit ad Varronem p. 232.

At rursus Carm. XL. (42) 13. *Non assis facis*, o lutum, *lupanar*] Marg. Plant. „*Scal.* o blitum, lupanar." Marg. Gryph. „*Scal.* oblitum lupanar." Illius lectionis *o blitum* auctorem esse Scaligerum, nunc primum comperio, nec habuit compertum Heinsius, qui eandem proposuit in Adversar. p. 643. At compertum habuisse videtur Ach. Statius, scribens: Vir quidam eruditus legit *O blitum.* duobus verbis. — Quisnam vir ille eruditus? Certe non Avantius, qui emendavit *oblitum* lupanar. An igitur Statius etiam,

cuius editio prodiit a. 1566. in mente habuit Scaligerum, cuius editio prima prodiisse demum fertur a. 1577? Hanc quidem editionem, fieri non potuit, ut in mente haberet. At ille fortasse emendationem reperit in Notis ad Varronem, editum a. 1565. Ego non reperio, nec coniectura probabilis est. Nam Scaliger, qui edidit *o lutum, lupanar,* in commentario plane nullam facit mentionem lectionis *o blitum.* Quod sine dubio fecisset, si vel in Notis ad Varronem eam proposuisset, vel in Editione *prima*, quae hunc titulum praefert:

CATVLLI, TibvllI, PropertI, *nova editio.*

Iosephus Scaliger Iul. Caesaris F. recensuit. *Eiusdem in eosdem Catigationum Liber.* Ad Cl. Puteanum Consiliarium Regium in suprema Curia Parisiensi. *Lutetiae*, apud Mamertum Patissonium, in officina Rob. Stephani 1577. 8. Cum privilegio Regis.

Quo sensu *nova editio* dici potuerit Scaligerana *prima*, fateor, me non intelligere. Rectius ita inscripta est secunda a. 1582. et tertia a. 1600. An igitur aliqua his tribus editionibus *prior* exstitit? Ego nescio. Sed audiamus Scaligerum ipsum. Hic in Catulli Carm. LXII. (64) 308 edidit:

His corpus tremulum complectens undique vestis —

Et in commentario quidem ad Ed. a. 1582. scribit: „In veteribus libris pro *vestis* legebatur *quercus.* quod nos *olim* licet mendosum enarrare conati sumus. Id si cui placet, per me quidem sequatur licet. Haec tamen vera est lectio, *quam nunc publicamus.*" Ad quem locum provocant Heynius p. LVII. ed. III. et Martyni-Laguna p. 652. ut demonstrent, editionem a. 1582. non esse meram repetitionem editionis a. 1577. sed retractatam. Atqui Scaliger etiam a. 1577. edidit *vestis*, nec in commentario alteram lectionem *quercus* aliter enarrare conatus est, sed iisdem plane verbis enarravit, in eo certe exemplari, quo ego nunc utor. Ergo fortasse intelligendae sunt Notae in Varronem p. 174. ubi Scaliger lectionem *quercus* enarravit; unde ea transferri potuit in oras Plantin.

et Gryphianae. At idem Scaliger in commentario ad ed. 1600. eandem illam animadversionem iteravit quidem, sed addidit etiam aliquid, scribens: Haec tamen vera est lectio, quam nunc publicamus, „et quam *priore editione* non assequebamur.“ Hic *prior editio* non potest esse prima a. 1577. nec secunda a. 1582. in quibus est *vestis*, non *quercus*, nisi verba illa extrema referenda simul sunt ad lectionem versus sequentis 309. cum illo cohaerentis, quem ille profecto longe aliter interpretatus est in ed. 1600. quam in edd. 1577. et 1582. Manet tamen vel sic suspicio editionis *prioris*, quum etiam Io. Auratus carmen, iam primae editioni a. 1577. praefixum, inscripserit ita: „*In Catullum, Tibullum et Propertium a Io. Scaligero*, iuvene nobili, *Verona oriundo*, nuper *emendatos*.“ Scaliger natus 1540. annum tum agebat trigesimum septimum, in quo aetatis gradu constitutos *iuvenes* appellare non solet consuetudo hodierna. Utcunque tamen sit, illud in oculos incurrit, lectiones Scaligeri, margini Plantinianae adscriptas, si a Carm. XXII. 11. et Carm. XL. 13. discedas, potuisse transscribi e Notis in Varronem, Variantes contra, quae ultro e fragmento libri Cuiac. adscriptae sunt Gryphianae, non potuisse innotescere Anton. Gryphio a. 1573. nisi alterutrum ponamus, aut illum idem Cuiacii fragmentum in manibus habuisse, aut editionem Scaligeri, anno 1573. priorem. Caeterum Propertio etiam cum Scholiis Canteri, sicut Gryphiano 1573. adscriptae sunt duobus locis lectiones Scaligeri: I. 3. 16. *Osculaque admota sumere*, et arma *manu*. Margg. „Scaliger *tarda* legit.“ At Scaliger in contextu trium editionum habet *et arma*, in commentariis scribit: Putavi olim adolescens legendum, *sumere tarda*. I. 20. 27. *carpere palmis*. Margg. „Scaliger *plumis* legit.“ At hic in contextu habet *palmis*, in commentariis nihil ad locum. Broukhusius lectionem *plumis* Livineio, Livineius ipse Scaligero tribuit.

Inter editiones Scalig. 1582 et 1600. nonnullae minoris formae prodiere, quae vel omittuntur vel confunduntur ab Heynio. Hic Plantinianam Antw. 1587. et eiusdem anni Lugdunensem in Batavis unam eandemque esse censet. Illam ipse in manibus habuit, hanc Santenius, qui scribit in Collectaneis:

CATVLLVS, Tibvllvs, Propertivs — *Leidae* 1587. 12. memoratur in Catalogo Ian. Broukhusii n. 232. p. 56. Porro idem: exemplar Broukhusianum Lugd. Batav. apud Rapheleng. anni 1587. nunc ipse possideo: et hanc editionem, iudicio viri docti castigatam, secutus est Douza filius:

CATVLLVS, Tibvllvs, Propertivs, Iampridem viri docti iudicio castigati, et *Nunc denuo recogniti ac variis Lectionibus et Notis illustrati a* Iano Dousa Filio, Accessit Pervigilium Veneris. — *Lugduni Bat.* Ex officina Plantiniana apud Franc. Raphelengium. M.D.XCII.

Hanc omnium emendatissimam editionem appellat Nic. Heinsius ad Virgil. Aen. VII. 110. Repetita est a. 1603. fundus autem editio superior 1569. HEYN. Dousa ipse in prooemio scribit: „Editionem sequutus sum, quae minima illa ac manuaria forma ante aliquot annos hic excusa, et iudicio viri docti castigata est, ad hoc exemplum, tantum si quae essent lectiones, quae speciem recti prae se ferrent, aut de quibus quis in utramque partem arbitrari posset, ad oram ponere non neglexi." Loquitur de editione Leidensi a. 1587. supra memorata. In hac igitur editione reperietur lectio, recepta a Dousa, cuius ego fontem indagare non potui II. 1. 27.

Nunc mihi nunc fumo *veteris proferte Falernum*
Consulis, *et Chio solvite vincla cado.*

Claudit saeculum editio Scaligeri tertia et ultima cum commentario multis locis retractato, in Bibliopolio Commeliniano a. 1600. Haec editio repetita est hoc titulo:

CATVLLI, Tibvlli, Propertl *nova editio.* Iosephus Scaliger Iul. Caesaris F. recensuit etc. Excudebat Iacobus Stoer. M.DCVII. 12.

De hac editione Heynius scribit: „Mera est repetitio editionis 1600. in sordida charta, qua *Lugdunenses* eo tempore utebantur." His verbis adductus editor Bipontinus post *Stoer* inculcavit *Lugduni*. Sed nomen urbis a titulo abest. Nec Stoerius, quod sciam, Lugduni, neque vero, quod mihi excidit in Analectis ad I. 10. 68. Parisiis Chalcographiam exercuit, sed Genevae. Prodiit tamen eodem anno Lugduni editio, quam nemo memoravit:

CATVLLI, Tibvlli, PropertI *nova editio.* Iosephus Scaliger Iul. Caesaris F. recensuit etc. *Lugduni*, apud *Anthon. de Harsy.* M.DCVII. 12.

Hoc exemplum exstat in bibliotheca Rostochiensi. Eadem est huius atque superioris editionis charta, idem litterarum character, eaedem signaturae. At editio Stoerii unum idemque insigne in fronte habet atque in fine, editio contra Anthonii in fronte aliud insigne habet, in fine idem quod Stoeriana. Subest aliqua fraus, similis illi, qua editus est eodem anno Hagae simul Comitum et Londini Horatius Cuningamii, nulla re alia, nisi insignibus nominibusque librariorum diversus. Habeo ante oculos utriusque editionis exempla.

Melioris notae videtur esse, nec tamen est eiusdem anni editio Lugdunensis haec:

CATVLLI Tibvlli PropertI *Opera* quae exstant omnia, ad vetustiss. cod. Bibliothecae *Iac. Grasseri* fideliter edita. Quibus accesserunt CornelI Galli fragmenta. *Lugduni* MDCVII. 12.

Non valde antiquum fuisse codicem, *quo in celebrioribus Galliae et Angliae Bibliothecis meliorem deprehendere potuisse* negat Grasserus, statim in oculos incurrit. Nam apud Catullum Carm. I. 9. in contextu habebat Pontani commentum:

Qualecunque quidem, ora per virorum.

Atque adeo Avantii interpolationem Carm. XII. 1.

Inter coenam Asini, *manu sinistra*,

quam vereor, ne intulerit in contextum suo Marte Grasserus. In Tibullo nullam ego memoratu dignam lectionem deprehendi, futiles e contrario haud paucas, ut IV. 13. 1. *Nulla tuum* titulis *subducet* pro *nobis*. Vana est professio editoris. Caeterum Grasserus in titulo posuit *PropertI*, in libro ipso *Propertii*, sicut *Valerii* Catulli, *Albii* Tibulli: Scaliger ubique *i* productam; contra quam fecit Bentleius, qui in fronte habet *Terentii*, in recessu *Terenti*. Malui ego sequi consuetudinem hodie usitatam, quam vel hanc inconstantiam vel illam etiam constantiam.

Reliquas huius et sequentis aevi Editiones recensere eo minus attinet, quo accuratius eas percensuit Heynius.

ALBII TIBULLI
ELEGIAE.

ALBII TIBULLI
ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera multa soli,

V. 2. magna.

ELEGIA I.

Ed. princeps a. 1472. inscriptionem libri primi cum argumento Elegiae primae coniungit ita: Albii Tibulli eq. Ro. Poetae. Cl. Liber Primus quod spretis divitiis et militia Deliam amet et amori serviat. Nempe nulla Elegia in hac editione ab altera numero, sed unaquaeque praemissa inscriptione vel brevi carminis argumento distinguitur. Eundem operis titulum habent Edd. Reg. Lep. a. 1481. et eiusdem anni Vicentina. Harum tamen Editionum varietates, notatae iam a Broukhusio et Heynio, satis demonstrant, neutram expressam esse ad principem omnium, quam nos comparatam exhibemus accuratissime.

1—2. DIVITIAS ALIUS] Hunc locum laudat Diomedes grammaticus libr. III. c. de poematis gene-

ribus p. 481. Putsch. ubi primus versus nunc ita legitur:

Divitias alius fulvo sibi conferat *auro.*

Nempe in V. C. Diomedis, teste Heinsio, vitiose exaratum erat, sibi *conserat*. Hinc Putschius de coniectura fecit *conferat*. Obstat huic lectioni consuetudo, quae, ut Gellius scribit XII. 13. cum omnium domina rerum, tum maxime verborum est. Ovid. XVII. Epist. 224.

Purpura nempe mihi, pretiosaque texta dabuntur:
Congestoque auri pondere *dives ero.*

Tibullum ob oculos habuit Claudianus II. in Ruf. 134.

Quid nunc divitiae, *quid* fulvi *vasta* metalli
Congeries, *quid purpureis effulta columnis*
Atria, prolataeve iuvant ad sidera moles?

Sed Claudianus sententiae sanitatem corrupit, *atria* vel palatia substituens iugeris. Nam Tibullus, vetustissimorum poetarum exemplo, recte coniunxit *aurum* et *agros*, tamquam duo praestantiora divitiarum genera, quae *κτήματα* dicuntur eximie. Homer Il. ι. 125.

Οὔ κεν ἀλήϊος εἴη ἀνὴρ, ᾧ τόσσα γένοιτο,
Οὐδέ κεν ἀκτήμων ἐριτίμοιο χρυσοῖο,
Ὅσσα μοι ἠνείκαντο ἀέθλια μώνυχες ἵπποι.

Ubi manca foret sententia, si cum Bentleio medium versum eiiceres. Prorsus autem a vero aberrat idem vir doctissimus, corrigens: *οὐκ ἀναέθλιος εἴη ἀνήρ.* — Pindarus Nem. VIII. 63. *Χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδών* —.

2. IUGERA MULTA SOLI] Cod. Paris. et Ed. pr. 1472. *iugera magna.* Ita alii quoque libri scripti editique. Audiamus Santenium, de hoc loco disputantem ad Balbum p. 1829. „Tres mei cum aliquorum reliquis, *magna;* quod significat *multa*, sive, quae cum multa sint, magnum regionis spatium occupant. Ad Diomedem autem l. 3. p. 481. fine quod provocat Broukhusius, *multa* defendens, sciendum, antiquas editiones servare: „Elegia est carmen compositum hexametro versu pentametroque, ad invicem positis, ut:

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,

Et teneat culti iugera magna *soli.*"

Certe *magnus* in iis, quae pondere, mensura, numero constant, non raro ad vim τοῦ *multus* prope accedit, ut — Virgilius I. Aen. 148. *magnum* populum dixit frequentem, magno numero constantem. Tibullus II. 6. 22. *magnum* foenus appellat, quod Propertius III. 1. 22. *duplex,* Ovidius Rem. 174. *multum.*" Poterat Santenius exemplis uti, magis ad rem pertinentibus, tum Graecorum tum Latinorum, v. c. Theocriti XXIV. 106.

Εὔρυτος ἐκ πατέρων μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις.

Horat. I. Serm. 6. 4.

Olim qui magnis legionibus *imperitarunt.*

Nam, quod Wakefieldius substituit, *regionibus*, speciosum illud quidem est, nec tamen certum. Versus Saturnius in Acilii Glabrionis tabula apud Atilium Fortunatianum p. 2680.

Fundit, fugat, prosternit maximas legiones.

Sed *μεγάλαι ἄρουραι*, quas dicit Theocritus, respondent illae potius *immensis campis*, quos a *multo iugere* accurate distinguit Tibullus II. 3. 41.

Praedator cupit immensos *obsidere* campos,
Ut multo *innumeram* iugere *pascat ovem.*

Similiter III. 3. 5.

Aut ut multa *mei renovarent* iugera *tauri,*
Et magnas messes *terra benigna daret.*

Horatius, qui *magna* scribere poterat, tamen *multa* praetulit, sententiam, quam supra illustravimus, ita exprimens Epod. XV. 19.

Sis pecore et multa dives tellure *licebit,*
Tibique Pactolus fluat.

Quae vero idem vocat *immetata* Scytharum Getarumque *iugera* III. carm. 24. 12. laudante Vossio, ea tantum hinc distant, Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. Totum paene Tibulli versum suum fecit Ovidius III. Fast. 192.

Iugeraque *inculti* pauca tenere *soli.*

Albinovan. II. 34.

Paucaque *pomosi* iugera culta *soli.*

Accedit, quod in V. C. Diomedis, teste Heinsio,

Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:

V. 3. **adsiduus**, 4, **quoi**,

item legitur, *multa*, non *magna*. Quare non dubitandum, quin Tibullus scripserit:

Et teneat culti iugera multa *soli*.

3. QUEM LABOR ASSIDUUS] Hanc scripturam exprimunt Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Numquam *adsiduus*. Sententiam ipsam v. 3 — 4. egregie illustrat Homerus Il. κ. 97 — 101.

Δεῦρ' ἐς τοὺς φύλακας καταβείομεν, ὄφρα ἴδωμεν,
μὴ τοὶ μὲν καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ
κοιμήσωνται, ἀτὰρ φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται.
Δυσμενέες δ' ἄνδρες σχεδὸν εἵαται· οὐδέ τι ἴδμεν,
μήπως καὶ διὰ νύκτα μενοινήσωσι μάχεσθαι.

Eiusmodi labor, qui semper instat, saepe de improviso venit, recte dici potest militem *terrere*. Hinc *metus*, *terror*, *labor* promiscue de bello frequentantur. Vide Heinsium et Ruhnkenium ad Velleium II. 28. Nec tamen mirum est, viros doctissimos in hoc loco offendisse. Musgravius malebat *exerceat;* Vulpii amicus *torreat;* Heynius:

Quem clamor subitus *vicino terreat hoste*.

Parum probabiliter! Vide Santenium Biblioth. Crit. T. I. P. III. p. 66. Quod mihi nuper excidit commentum, etsi minus nunc placet, tamen, quoniam locus in vitii suspicionem semel adductus est, hic apponam: *Labor* militem vulgo non *terrere* dicitur, sed potius *terere*, *frangere* etc. Statim succurrit ille apud Horatium miles gravis *armis* I. Serm. 1, 5. *multo iam* fractus *membra* labore; — cui convenit cum Ulysse, *annis* minime gravi, apud Homerum Od. θ. 136. *οὐδέ τι ἥβης δεύεται, ἀλλὰ κακοῖσι συνέῤῥηκται πολέεσσιν.* Avienus: *Voverat* attritus *quondam per proelia miles.* Hoc frequentat Livius, v. c. VI. 8. *cohortatus milites, ne tamquam Veios oppugnantes in ope-*

re longinquo sese tererent — *oppidum cepit.* Ibid. c. 27. *Latinis, Hernicis, Praenestinis iam intentari arma, civium magis quam hostium odio, ut* in armis terant plebem, *nec respirare in urbe, aut per otium libertatis meminisse sinant.* Quae verbi *terere* potestas e graeco fonte fluxit. Herodotus VI. 12. οἱ Ἴωνες, οἷα ἀπαθέες ἐόντες πόνων τοιούτων, τετρυμένοι τε ταλαιπωρίῃσί τε καὶ ἡλίῳ. Gregorius Corinth. p. 534. ed. Schaef. τὸν καταπεπονημένον τετρυμένον λέγουσι. Apud Theocritum I. 45. occurrit ἁλίτρυτος γέρων, id est, qui marino vitae genere *detritus iam* ac *retorridus* est; ut scribit Gellius XV. 30. Sed huc in primis pertinet Minerva Ἀτρυτώνη, interprete Hesychio, ἀκαταπόνητος, ἄτρωτος (ἄτρυτος) ἐν μάχῃ. Apollonius inepte addit: παρθένος γὰρ ἡ θεός. Vide Heynium ad Il. β. 157. „Ut vero Latine gravia et molesta *laboriosa* dicuntur, sic etiam a Graecis ἄτρυτα·" monente Valckenario ad Theocrit. Adon. 7. Ἁ δ' ὁδὸς ἄτρυτος. (Deteret *invalidos et via longa pedes*, Tibull. I. 9. 16.) Ad hanc igitur normam scribi potuisse a Tibullo putabam:

> *Quem labor assiduus*
> *vicino* deterat *hoste.*

Sed praestat receptam lectionem tueri, quam expressisse videtur Ovidius IV. ex Pont. 9. 81.

> *Quaere loci faciem,*
> *Scythicique incommoda caeli,*
> *Et quam* vicino terrear hoste, *roga.*

Horatius I. carm. 26. 3. *quis sub Arcto Rex gelidae* metuatur *orae,* Quid Tiridaten terreat, *unice Securus.*

4. MARTIA CUI SOMNOS CLASSICA PULSA FUGENT] Vossius h. l. reposuit *quoi* pro *cui*, ut I. 5. (6.) 31. et I. 10. (11.) 44. At per reliquos libros hoc pronomen in mira versatur varietate. Nam II. 1. 80. et II. 2. 6. recurrit *cui;* mox II. 5. (6.) 18. denuo infertur *quoi.* Rursus Messal. 184 — 86. *Cui.* Quo teneam *vultus mutantem* Protea nodo? Praestat in his carminibus retinere *cui*, praeeunte in primis Ed. a. 1472., ne cogamur etiam reponere *quoius* vel *quius*, quod utrumque exhibent duo codices apud Broukhusium IV. 12. 4. Vide Cassiodor. p. 229. Cod. Paris. item semper *cui* ha-

Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

V. 6. exiguo.

bet, numquam *quoi.* — *Classica pulsa* illustrat locus Plutarchi Symp. II. Quaest. 4. Vol. VIII. p. 528. ed. Reisk. *ἐπιεικῶς γὰρ ἀπολαύειν τὰ νεώτερα πράγματα κειμένων ἐν τοῖς παλαιοτέροις ὀνομάτων, ὥς που καὶ τὸν αὐλὸν ἡρμόσθαι λέγουσι, καὶ κρούματα αὐλήματα καλοῦσιν, ἀπὸ τῆς λύρας λαμβάνοντες τὰς προσηγορίας.* Aristophanes Av. 682. *Ἀλλ', ὦ καλλιβόαν κρέκουσ' αὐλὸν φθέγμασιν ἠρινοῖς.* Claudian. XVII. 312.

Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda *chelys.*

5. VITAE TRADUCAT INERTI] Martial. Spect. IV.

Turba gravis paci placidaeque inimica quieti,
Quae semper miseras sollicitabat opes,

Traducta est Gyaris — Quem locum comparat Fruterius Verisim. I. 6. non ut confirmet veterem Tibulli scripturam, sed ut convellat. Nam et apud Martialem praefert aliorum librorum lectionem, *Tradita Gaetulis*, (quam etiam tuetur Vossius II. Art. Gramm. c. 58.) et apud Tibullum corrigit *vita traducat inerti*, id est, *infamet*, ut explicat Gronovius Elench. Antidiatr. T. II. p. 209. ed. Lips. quod merito reiecit Heynius. Nihil propius a locutione Tibulli abest, quam quod scribit Terentius Phorm. Prol. 1.

Postquam poeta vetus poetam non potest
Retrahere ab studio et transdere hominem in otium,
Maledictis deterrere, ne scribat, parat.

Atqui hoc etiam paullo insolentius dictum. Sed insolentia non semper est nuntia corruptelae. Equidem scripturam Martialis, a Fruterio reiectam, probabilem, Tibulli unice veram habeo. Pindarus, orans, ut Psaumidi senectus contingat tranquilla ad finem usque vitae, simili utitur orationis inversione, scribens

Ol. V. 48. *σέ τ', Ὀλυμπιόνικε, Ποσειδανίοισιν ἵπποις ἐπιτερπόμενον, φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευτάν.* — Ovidius de Numa proprie XV. Metam. 482.

> *Conjuge qui felix Nympha ducibusque Camenis*
> *Sacrificos docuit ritus*, gentemque *feroci*
> Assuetam bello pacis traduxit ad artes.

Hanc nunc vitam *inertem* dicit Albius noster. Sallustius Iug. c. XLIV. *Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Spurii Albini proconsulis*, iners, *imbellis*, *neque* periculi *neque* laboris *patiens*, lingua *quam* manu *promptior*, *praedator ex sociis et ipse praeda hostium*, *sine imperio et modestia habitus.* — Sed lege librum ab initio c. I—IV. et nihil amplius desiderabis. Tamen adiiciendus Naevii locus est, propter constructionis scilicet *insolentiam*, apud Macrobium VI. Saturn. 5. p. 601.

> *Sylvicolae homines* bellique inertes.

6. ASSIDUO LUCEAT IGNE FOCUS] Magnus librorum, ut Cod. Paris. Ed. a. 1472. etc., consensus est in lectione *assiduo*. Accedunt veteres Grammatici, codices certe istos, qui *exiguo* servant, aetate et auctoritate longe superantes, Marius Victorinus p. 2583. Atilius Fortunatianus p. 2679. Censorinus Fragm. de Metris p. 2725. et 28. quibus locis Tibulli versus quinquies descriptus legitur, servata semper lectione *assiduo*. Verum Heynius, cui accedit Vossius: *exiguo*, inquit, *igne* se commendat, ne bis occurrat intra paucos versus vox *assiduus*. Hoc profecto argumentum nullius instar momenti habet, quandoquidem infra v. 39 — 42. eodem spatio interiecto, deinceps ponuntur *antiquus* — *antiquo*. At ita fortasse paupertatis notio melius declaratur. Quasi vero Tibullus omnium se mortalium pauperrimum dici haberique voluerit, is cui et alia contigerant abunde,

> *Et domus et victus, non deficiente crumena.*

Quaerere autem vim sententiae in pronomine *meus*, quae Vossii ratio est, id agi statuentis, ut *proprius* focus luceat igne quamvis *exiguo*, hoc quidem non magis in hunc locum convenit, quam in similem

illum Ovidii XI. Epist. 104.

Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae,
Ut meus *ex isto* luceat igne *rogus.*

Cadit totum sententiae pondus in adiectivum: *Dum meus* assiduo *luceat igne focus.* Quibus verbis universe, ut *perennis* sit domestica felicitas, optat Tibullus. Aeschylus Agam. 1445. (26.)

Οὔ μοι Φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν,
Ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ' ἑστίας ἐμῆς
Αἴγισθος, ὡς τὸ πρόσθεν εὖ φρονῶν ἐμοί.

Nempe *focus extinctus* ut summae paupertatis indicium est, ita etiam summi moeroris. Hinc idem Aeschylus Choeph. 625. ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων ponit de laesa coniugii fide ortoque inde domestico luctu. Ovidius I. Trist. 3. 43.

Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis
Contigit extinctos *ore tremente* focos.

Variant ibi quidem libri, aliis *exstructos*, aliis *aeternos* vel *externos* substituentibus. Sed Heinsius, *Extincti*, inquit, *foci* recte se habent. Nam ignis extinguebatur in exilium ituris. Iuvenalis III. 214.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Quem locum illustrat Kirchmannus IV. de Fun. Rom. c. 11. — Iam focus *exiguo* igne *lucere* nec commode satis dicitur, nec rebus Tibulli convenienter. Haec exiguitas potius caderet in chorum illum Aristophanis Pac. 440. idem votum hoc modo exprimentem:

μὴ λαβεῖν ποτ' ἀσπίδα.

Μὰ Δί', ἀλλ' ἐν εἰρήνῃ διάγειν με τὸν βίον,
Ἔχονθ' ἑταίραν καὶ σκαλεύοντ' ἄνθρακας.

Vide igitur, ne res melius procedat, si ista sic reciprocentur: Lectio *assiduo* vel propter repetitionem vocis retinenda est. Suaviter enim focus Tibulli *assiduo igne* lucens opponitur *assiduo* militis *labori.* Deinde *exiguus ignis* designaret hominem, in magna inopia viventem, qualem describit Leonidas Tarent. ep. LV.

κενεή σε περιστέψαιτο καλιή,
Ἣν θάλποι μικκὸν πῦρ ἀνακαιόμενον —

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.

quod a Tibulli conditione alienum est. Accedit, quod etiam a Statio I. Silv. 2. 255. felix praedicatur *divesque* foco lucente *Tibullus*, et a Martiale in iis, vitam quae faciunt beatiorem, referuntur

Res non parta labore, *sed relicta*,
Non ingratus ager, focus perennis.*)

7 — 8. IPSE SERAM] Propertius III. 17. 15.

Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles.

Scaliger huic distícho praeposuit illud, quod sequitur, *Nec Spes destituat* — statuens, hoc cum superiore ita cohaerere: dum meus focus assidue luceat, nec seges eludat sementem. Addit ille: Quam bene haec duo disticha inter se coagmentata sint, quid melius probaverit, quam absurditas illa, quam efficiebat interrupta sententia interiectum distichon, *Ipse seram* —. Hoc in errorem coniecit Heynium, qui, etsi pristinum servavit versuum ordinem, longius tamen Scaligero progressus contendit, distichon hoc pro fragmento a caeteris diverso habendum esse. Nihil profecto minus. Antea Tibullus dixerat, secuturum se in posterum esse *vitam inertem*, hoc est, a re militari longe remotam. Quo sensu infra v. 57. repetit:

Non ego laudari curo, mea Delia. Tecum
Dummodo sim, quaeso, segnis inersque *vocer.*

Et sic poeta ab Horatio laudatur II. Ep. 1. 124.

---

*) Lapis apud Fabrettum Inscript. c. IV. p. 283.
coniuns. kara
mihi. mecum. bene. vixit. semper. honeste
prestiti. quod. potui. semper. sine. lite. recessi
unus. amicus. erat. tantum. mihi. qui
praestitit. omnia. semper. honeste
T. Fl. Hermes. V. Q.
TVNC. MEVS. ASSIDVE. SEMPER. BENE. LVXIT. AMICE. FOCVS

Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
Praebeat, et pleno pinguia musta lacu.

Militiae *quamquam* piger et malus, *utilis urbi.*

Iam ut declaret Tibullus, se tamen in otio de negotiis cogitare, illi vitae inertiae nunc opponit, quibus se in posterum daturus sit, rei rusticae curas, primo quidem commemorans arborum, in primis *vitium*, culturam v. 7 — 24. deinde arationem et pecuariam v. 25 — 34. utrobique fretus pietate erga deos, laeta omnia portendente. Hunc planum facilemque sententiarum ordinem vide, quam misere perturbaverit Scaliger, una summis miscens.

9. NEC SPES DESTITUAT] Verbum *destituat* hic absolute ponitur, ut in eadem locutione apud Liv. I. 41. *Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eiicit: simul quae curando vulneri opus sunt, tamquam spes subesset, sedulo comparat, simul*, si destituat spes, *alia praesidia molitur.* Lucanus II. 727. *lassata triumphis* Destituit *fortuna tuis.* Quem locum ut docte illustrat, ita egregie contra Bentleium, *triumphos tuos* legentem, defendit Ruhnkenius ad Velleium II. 69. Neque reperias, *quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum et Cassium.* Cuius loci initium me admonet, ut de nexu huius distichi cum posteriore aliquid addam. Nempe verba: *Nec Spes destituat* — non ita accipienda videntur, quemadmodum Scaliger caeterique interpretes, quos viderim, omnes acceperunt, quasi haec esset formula precantis vel optantis, sed potius hoc sensu: *Nec Spes facile destituerit, sed* —. Cuius fiduciae caussam afferens Tibullus, continuo scribit: *Nam veneror* etc. Prior ratio omnem hanc inter se conciliandi spem praecidit. Tibullus IV. 1. 45.

Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat; *seu iudicis ira*
Sit placanda: tuis poterit *mitescere verbis.*

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis:
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante Deo.

Ib. v. 100.
Tunc tibi non desit *faciem componere pugnae*.

10. PINGUIA MUSTA] Balbus carm. 19. p. 155. ed. Retz. *Nec madido pressit* pinguia musta *pede*. Pinguia musta sumsit a Tibullo I. 1. 10. ubi quod Heinsius tentabat *spumea*, haud scio an Propertianae orationi magis conveniret, qui III. 15. (17.) 17.
Dummodo purpureo spument *mihi dolia* musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Tibulliana simplicitas amat proprietatem: ut *vinum pingue* dicitur Horatio II. Serm. 4. 65. Conf. Targam ad Cels. II. 18. n. 74. unde noster p. 157. med. *pinguia vina*. SANTEN. p. 1820. Balbus expressit Tibull. I. 5. 24.
Pressa*que veloci candida* musta pede.
Ubi in nonnullis libris legitur *pinguia musta*, quod reposuit Broukhusius.

11. DESERTUS IN AGRIS] Domitius Calderinus Elucubrat. p. 2. hunc locum comparans cum Propert. I. 4. 23. legit *in agro*. Muretus laudat Xenoph. I. Memor. 1. 14. Adde Lucian. Alexandr. 30. T. II. p. 237. de Rutiliano: εἰ μόνον ἀληλιμμένον που λίθον ἢ ἐστεφανωμένον θεάσαιτο, προςπίπτων ἀεὶ καὶ προςκυνῶν. Stipes *desertus* non est, ut recte Vossius monet, *defixus*, quae Broukhusii explicatio est, sed in loco deserto h. e. infrequente positus. Propertius I. 20. 36.
Roscida desertis *poma sub* arboribus.
Moschus III. 21.
Οὐκ ἔτ' ἐρημαίῃσιν ὑπὸ δρυσὶν ἥμενος ᾄδει.

12. FLOREA SERTA] Ed. a. 1472. et Cod. Paris. *florida serta*.

13. ET QUODCUNQUE MIHI POMUM] Horatius

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores;
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce, Priapus, aves.

II. Serm. 5. 12.

dulcia poma,
Et quoscunque feret *cultus tibi fundus honores*,
Ante Larem *gustet venerabilior Lare dives.*

14. PONITUR ANTE DEO] Ed. a. 1472. cum Cod. Paris. et aliis:

Libatum agricolae ponitur ante deum.

19. FELICIS QUONDAM, NUNC PAUPERIS AGRI CUSTODES] Cod. Paris. *felices.* Exc. Lips. *horti:* forsitan e Virgil. Ecl. VII. 34. *custos es pauperis horti.* Locum Tibulli imitatur auctor carminis 83. in Priap.

Aerari quondam *custos*, nunc *cultor agelli.*

Sed maior suavitas inest in illa adverbiorum structura, qua usus est Tibullus etiam III. 1. 23.

Haec tibi vir quondam, nunc *frater*, *casta Neaera*,
Mittit et accipias munera parva, rogat.

Cicero pro Sull. 1. *in caeteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque notam omnibus* quondam, nunc *quasi intermissam agnoscerent.* Curtius III. 11. 25. *reginas dominasque veras* quondam, nunc *alienis nominibus invocantes.* Vulgo *tunc.* Propertius II. 28. 61.

Redde etiam excubias divae nunc, ante *iuvencae.*

Euripides Hec. 60. νῦν ὁμόδουλον, πρόσθε δ' ἄνασσαν. Similiter *nunc et post* coniungit auctor epigrammatis in Ardeatis templi pictorem apud Plin. H. N. XXXV. 37. *Dignis digna loca picturis condecoravit Reginae Iunoni' Supremi coniugi' templum Marcus Ludius Helotas Aetolia oriundus, Quem* nunc et post semper *ob artem hanc Ardea laudat.* Qui locus satis firmat veterem lectionem in fragmento Ennii apud Cic. I. de Offic. 24. 11.

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.

V. 19. pauperis, agri.

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postque magisque *viri* nunc *gloria claret.*

Ubi Muretus VI. Var. Lect. c. 14. perperam reposuit: *Ergo* magisque magisque *viri*. Vide Santenium ad Catulli El. ad Manl. 48. Hinc illustrandus est locus difficilis Pindari IV. Pyth. 113. *ἦ μάλα δὴ μετὰ καὶ νῦν, ὥςτε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ, παισὶ τούτου (τούτοις) ὄγδοον θάλλει μέρος Ἀρκεσίλας.* Hic particulam *μετὰ* non esse coniungendam cum voce *παισὶ*, vidit Hermannus. Sed locum unice illustrat Ennius. Suetonius in Tib. c. XXI. *Deos obsecro, ut te nobis conservent et valere* nunc et semper *patiantur, si non populum Romanum perosi sunt.* — Ad rem ipsam pertinet locus Horatii II. Serm. 2. 132.

Nunc *ager Umbreni sub nomine,* nuper *Ofelli*
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii.

Quae lectio longe praeferenda videtur Bentleianae. Non ille memor erat epigrammatis graeci, quod legitur apud Scholiasten Luciani Nigrin. 26. T. I. p. 66. Anal. Brunck. T. III. p. 238.

Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτέ, νῦν δὲ Μενίππου·
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ κεῖνος ἔχειν μέ ποτ᾽ ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
Οἴεται. εἰμὶ δ᾽ ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ Τύχης.

20. FERTIS MUNERA VESTRA] Haec est librorum lectio tantum non omnium. Cuius elegantiam non capientes editores primi substituerunt *nostra* (quod exstat tamen etiam in Cod. Paris.). *Fertis munera vestra* est,

Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
Nunc agna exigui est hostia magna soli.

V. 21. Tum.

iure quodam vestro aufertis, accipitis munera *vobis debita*. Illud graece dicitur *φέρειν*, hoc *φέρεσθαι*. Xenophon Oecon. I. 4. *νὴ Δία, καὶ πολύν γε μισθὸν, ἔφη ὁ Κριτόβουλος, φέροιτ᾽ ἂν, εἰ δύναιτο οἶκον παραλαβὼν τελεῖν τε ὅσα δεῖ, καὶ περιουσίαν ποιῶν αὔξειν τὸν οἶκον.* Ibid. §. 6. *Γελοῖον μέντ᾽ ἂν εἴη, ἔφη ὁ Κριτόβουλος, εἰ ὁ τοὺς ἐχθροὺς αὔξων προςέτι καὶ μισθὸν τούτου φέροι.* Ubi male Zeunius corrigit *φέροιτο*. Theocritus I. 128.

> *Ἔνθ᾽, ὦ ̓́ναξ, καὶ τάνδε φέρ᾽ εὐπάκτοιο μελίπνουν*
>
> *Ἐκ καρῶ σύριγγα καλὰν, περὶ χεῖλος ἑλικτάν.*

Hic item Reiskius perperam corrigit *φέρευ πακτοῖο*, probante Brunckio, non Valckenario: „nec ut praemium certaminis Pani, sed ut Deo suo moriens fistulam donabat Daphnis." Broukhusius laudat Virgil. V. Aen. 245. de Cloantho victore, cui Aeneas

> *Vinaque et argenti magnum* dat ferre *talentum.*

Quod accurate ita exprimit Orpheus Argon. 586.

> *Πυγμαχίης δὲ τάπηθ᾽ ἁλιανθέα δῶκε φέρεσθαι*
>
> *Ἀθλοφόρῳ Πολυδεύκει· ὁ γὰρ κλυτὸν ἤρατο νῖκος.*

At, ubi Diomedes victoriam reportavit, Homerus Il. ψ. 512.

> *Δῶκε δ᾽ ἄγειν ἑτάροισιν ὑπερθύμοισι γυναῖκα,*
>
> *Καὶ τρίποδ᾽ ὠτώεντα φέρειν· ὁ δ᾽ ἔλυεν ὑφ᾽ ἵππους.*

21. TUNC VITULA] Non variant libri. Vossius tamen ut hoc loco, ita per totum librum *tum* reposuit, sequente consona qualicunque, v. c. I. 8. 45.

> *Tollere* tunc *cura est albos a stirpe capillos.*

Qui versus ita legitur apud Propertium III. 25. 13.

> *Vellere* tum cupies *albos a stirpe capillos.*

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: Io messes, et bona vina date.
Iam possum modo non contentus vivere parvo,
Nec semper longae deditus esse viae:

V. 25. Iam modo, iam.

Hic tres Codices habent *tunc*, quod apud Tibullum, paucis exceptis, cuncti servant, idque utroque loco retinendum censeo. Apud Virgilium I. Georg. 588. vulgo editur, *Tum cornix*. At Nonius c. III. in *Pluvia* habet: *Tunc cornix*. E contrario apud Propertium I. 1. 3. sine ulla diversitate legitur:

Tum mihi *constantis deiecit lumina fastus*.

Idem optima mea exemplaria exhibent I. 9. 19.

Tum magis *Armenias cupies accedere tigres.*

Enimvero I. 7. 21.

Tunc me *non humilem mirabere saepe poetam.*

Ubi tamen duo Codd. Guarn. et Dresd. offerunt *Tum me* — quod reponendum videtur. Nam fieri potuit, ut pro diversitate consonae sequentis modo *tum* scriberetur, modo *tunc*, idque more quodam Graecorum, quem caeteroquin non nisi in compositis verbis observare solebant Latini. De qua re eleganter scribit Priscianus p. 556. *Hanc autem mutationem litterarum sciendum est, quadam naturali fieri vocis ratione* propter celeriorem motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus. Sed vide, quae annotavimus infra ad I. 8. 45.

22. HOSTIA MAGNA] Edd. veteres, in his princeps omnium a. 1472. cum Cod. Paris. *hostia parva*. Muretus e libris scriptis reposuit *magna*. Plautus Pseud. I. 3. 95.

Nolo victimas; agninis me extis placari volo.

25. IAM MODO NON POSSUM] Muretus, *modo*

non, inquit, est *μονονουχί*· etsi sunt, qui aliter sentiant. — In his fuisse videtur Beroaldus, qui, nescio ubi, hanc dictionem perperam interpretatus est, teste Grammatico non Latino, sed, quod mireris, Graeco. Nempe Phavorinus ita scribit in v. *Ἐξηπάτησε τὴν παρθένον. ἐξεπλάνησεν, μονονουχὶ ὑποσχόμενος ὄρη χρυσοῦ.* (Terentius Phorm. I. 2. 18. *modo non montes auri pollicens.*) *Χρῶνται παρὰ τοῖς Λατίνοις ταύτῃ τῇ φράσει Τερέντιος, Σουετόνιος καὶ Βαλλήριος, λέγοντες· μόδονον βὲλ ταντοῦμνον. ἀλλὰ τινὲς οὐκ εὐδόκιμοι ἐξηγηταὶ, καὶ κατὰ τὰ πρῶτα ὁ Βερόαλδος, τὸ ὅλον τῶν Ἑλληνικῶν γραμμάτων ἄπειρος, οὐ συνιεὶς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν, Λατινικὴν φράσιν διέφθειρεν.* Hoc etiam pertinet ad Broukhusium, cum Brodaeo statuentem, alteram negationem deesse. Quod fieri nulla ratione potest. Nam si Tibullus ita intelligi voluisset, *non modo* non *possum contentus vivere parvo*, sibi ipse repugnaret: sin vero ita, Iam modo *non possum non*, oratio foret a Latinitate aliena. Nemo enim umquam *non possum* posuit pro *non possum non.* Vulpius locum ita explicat: „Non modo, inquit poeta, possum tenui victu contentus esse, quod antea non poteram: non tantum longis itineribus valedicere, rem augendi caussa susceptis; verum etiam in summa animi securitate indulgere otio, sedens aestate propter aquam sub arbore.“ Hoc si dicere volebat Tibullus, ecquid caussae fuisse dicemus, cur non potius scriberet, *Non modo iam possum?* Sed friget sententia, neque poetae tam eleganti convenit. Quid multa? Vitium hic locus procul dubio contraxit gravissimum, quo induci se passus est Heynius, ut versus 25 — 54. aliunde illatos esse contenderet. Libri tamen consentiunt, si discedas ab Excerpt. Scalig. *Quippe ego iam possum* substituentibus — quae mera est interpolatio — et a Codd. Askew. et Guelferb. qui exhibent, *Iam modo nunc possum.* Cuiusmodi locum forsitan ob oculos habebat Bentleius, ita scribens ad Terent. Phorm. II. 5. 9. „Sed vide an Parasito minime stulto aut somnolento id conveniat, ut v. mox 40. tam

cito immemor sit nominis, quod hic, id est, *modo iam nunc ante* memoraverat, *Stilphonis*." Guyetus quid conatus sit, vides. Exstat enim in medio contextu editionis Vossianae: *Iam modo, iam possum* — quam Tibulli esse scripturam, cras fortasse credam, non hodie. Nam adverbium *modo*, sic temere inculcatum, non nisi otiosum est orationis complementum. Equidem, qui similiter scripserit, neminem reperio praeter Sidonium Apollin. c. II. 545.

> *Nam* modo *nos* iam *festa vocant, et ad Ulpia poscunt*
> *Te fora, donabis quos libertate Quirites.*

Quo tamen exemplo frustra sit, qui confirmari credat lectionem Guyeti. Ut nunc est, desideratur aliquid, quo repetita primariae sententiae propositio rite excitetur et amplificetur, v. c. *Iam volo, nam possum* —, si praesertim aliquid excidisse post haec verba credas. Quod quum parum sit probabile, nunc in eam sententiam inclino, ut omnem huius versus duritiem, omnem orationis insolentiam tolli posse putem hac verborum traiectione:

> *Iam possum* modo non *contentus vivere parvo.*

Ait Tibullus, posse se nunc contentum vivere parvo; sed non absolute, quandoquidem, ut scribit IV. 1. 188. *desiderium superest* et *cura novatur*,

> *Cum memor anteactos semper dolor admovet annos.*

Hoc ad universum Elegiae argumentum, totamque Tibulli vitam relatum unice probabat Schaeferus, in cuius contubernio dimidium fere mensis suavissime transegi Lipsiae, nunc ipsum valedicturus viro optimo, meisque mihi oculis cariori. Vel sic tamen malim versum ita interpungere:

> *Iam possum*, modo non contentus, *vivere parvo.*

ut adverbia *iam* et *modo* de diverso tempore sumantur, *parvo* autem referatur simul ad *contentus* et ad *vivere*, sicut apud Propertium III. 3. 39.

> *Contentus niveis semper vectabere cycnis.*

Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

V. 28. rivum.

Ille ego, ait, qui modo non contentus eram parvo, iam possum vivere parvo contentus. Quod mihi longe praeferendum videtur. Nam ita hic versus, ut tota haec Elegia, opponitur loco querulo carminis in Messalam (v. 182 — 191.) maturius haud dubie et eo tempore scripti, quo nondum parvo contentus erat Tibullus, vix pueritiam egressus. Posuit igitur nunc *modo* pro *nuper* vel *paullo ante*, non veritus, ne coniungendo verba *modo non* alio sensu, quam pro μονονουχὶ, ambigue loqueretur, quemadmodum nec Propertius veritus est, ne in ambiguitatem incideret, quum verba *tantum non* alio sensu poneret, quam quo vulgo sumuntur II. 26. 39.

> *Illa meis* tantum non *umquam desit ocellis.*

26. LONGAE] Ed. a. 1472. *longe*, hoc est, *longae*. Nam pro *ae* haec Editio semper habet ę vel etiam *e* simpliciter. Vide, quae annotavimus infra ad I. 2. 52.

27. SED CANIS AESTIVOS ORTUS VITARE] Ed. a. 1472. *hortus*. Hanc lectionem ne dignam quidem habuit, quam commemoraret, Cyllenius, qui, quamvis in contextu Edd. Venet. 1491. 93. exstet *ortus*, tamen in Commentario bis profert, *aestivos aestus*. Eaedem voces confunduntur IV. 1. 65. de Cimmeriis:

> *Queis numquam candente dies apparuit* ortu.

Ubi pauci libri habent *aestu*, quod arripuit Vossius, invito Tibullo, qui ibidem scribit similiter v. 157.

> *Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus.*

Male etiam Bentleius ad Horat. I. Serm. 6. 126. corrigit *aestivos ictus*. Nam maximus ut splendor, ita etiam aestus tribuitur Caniculae *orienti*. Homer. Il. ε. 4.

Δαΐέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ᾽ ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι, λελουμένος Ὠκεανοῖο.

Hunc locum imitatur Apollonius Rhod. III. 1228.

Χρυσείην δ᾽ ἐπὶ κρατὶ κόρυν θέτο τετραφάληρον,
Λαμπομένην οἷόν τε περίτροχον ἔπλετο φέγγος
Ἠελίου, ὅτε πρῶτον ἀνέρχεται Ὠκεανοῖο.

Vide Comment. de Orphei Argon. p. 50. Archilochus apud Plutarch. III. Symp. T. II. p. 658.

Ἔλπομαι πολλοὺς μὲν αὐτῶν Σείριος καταυανεῖ,
Ὀξὺς ἐκλάμπων·

ut praeclare corrigit Wakefieldius V. Silv. Crit. p. 153. pro *ἐλλάμπων*. Aristophanes Pac. 304.

Ἡμέρα γὰρ ἐξέλαμψεν ἥδε μισολάμαχος.

Plato, qui fortasse ob oculos habebat laudatum Homeri locum, Symp. p. 172. ed. Bip. *ἡ μὲν γὰρ ἐμὴ (σοφία) φαύλη τις ἂν εἴη καὶ ἀμφισβητήσιμος, ὥσπερ ὄναρ οὖσα· ἡ δὲ σή, λαμπρά τε καὶ πολλὴν ἐπίδοσιν ἔχουσα· ἥγε παρὰ σοῦ νέου ὄντος οὕτω σφόδρα ἐξέλαμψε καὶ ἐκφανὴς ἐγένετο πρώην ἐν μάρτυσι τῶν Ἑλλήνων πλέον ἢ τρισμυρίοις.* Adde Apollonium Rhod. III. 957. quem locum perperam cum Homer. Il. ε. 4. comparat Brunckius, praeeunte Heynio ad Virgil. VIII. Aen. 589. — *Vitare* aestivos ortus dictum est, ut apud Homer. Il. π. 213. *βίας ἀνέμων ἀλεείνειν.* Ubi Heynius, *Nova* vi vox ultima posita pro *arcens*, non *evitans*. Atqui eodem sensu Latini ponunt *vitare*. Lucretius V. 954.

Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare *imbresque coacti.*

„*Ἀνέμων βίας* diligunt Hellenistae," ut scribit Boeckhius Graec. Tragic. Princ. p. 149. Diligit etiam Homerus. Il. ψ. 713. Empedocles v. 401. *ἀνέμων μένος.* Alii *βίας.*

28. AD RIVOS] Haec lectio nemini adhuc suspecta fuit, nisi Burmanno, corrigenti *rivum* vel *ripam.* Illud placuit Vossio, errorem ortum esse statuenti e superioris versus voce *aestivos.* Cuius generis emendationes saepe protulit, v. c. I. 4. 11. Utrumque bene habet, sed

Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum, oblita matre, referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite: de magno est praeda petenda grege.

V. 31. foetumve. 34. *Omittitur* est.

rivos praeferendum est propter librorum consensum. Lucretius II. 29.

Attamen inter se prostrati in gramine molli
Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae,
Non magnis opibus iucunde corpora curant.

29. BIDENTEM] Cod. Paris. *bidentes.*

31. NON AGNAMVE — FETUMVE] Ed. a. 1472. *Non agnam ne — foetumque.* Cod. Paris. *fetumve.*

34. DE MAGNO EST] Verbum *est* aberat a quibusdam Statianis et ab uno ..eo, sed ego non ausim delere. Saepe noster sic solet, et quidem in penthemimeri. Tamen valde placet scriptura unius Heinsiani, *de magno praeda petenda grege est.* BROUKH. Cod. Paris. *de magno est.* Ed. a. 1472. — *de magno praeda petenda grege est.* Praestat haud dubie. verbum in finem versus reiicere, quam prorsus eiicere, quod, ubicunque fieri per metrum potuit, Vossius fecit, sic censens orationem evadere ποιητικωτέραν, v. c. I. 4. 4.

Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.

Ibid. v. 32.

Qui prior Eleo est *carcere missus equus.*

Vereor, ne quis in posterum, hac fretus auctoritate, v. c. apud Propert. I. 8. 24. edat:

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem.

V. 56. Palen.

Dicite, quo portu clausa puella mea.

V. 26.
Et licet Eleis, illa futura mea.

Sed verbum *est* frequentari in fine pentametri, docet etiam Quintilianus, sic scribens IX. 4. 863. *Et quidem optime est sibi iunctus anapaestus, ut qui sit pentametri finis* — leve praesidium est. *Nam synaloephe facit, ut ultimae syllabae pro una sonent.* Neque tamen opus est, imitari Broukhusium, quum syllabae, in vocalem brevem desinentes, longe sint frequentiores in fine pentametri, quam existimasse videtur Hermannus Metr. p. 143. Caeterum Heynius scribit: Post hunc versum aliqua intercidisse nullus dubito. Reliqua bene cohaerent usque ad finem Elegiae. — Ego, quamvis quaerens, nullum reperire possum lacunae vestigium.

56. PALEM] *Palen*, sicut in quibusdam libris legitur Statianis, editorum nemo in ordinem recepit, praeter Vossium. Exstat tamen, nisi fallor, in Ed. a. 1472. Atqui graecas terminationes non nisi in graecis nominibus servare solent optimi auctores. Quare, ubi Balbus quoque *Palen* scripsit carm. I. p. 117., Santenius breviter sed docte p. 1789. *Graecam*, inquit, *formam huius vocis equidem ignoro.* Editur quidem hodie etiam in Ovid. IV. Fast. 746.

Silvicolam tepido lacte precare Palen.

Sed Heinsius in commentario sine ullo varietatis indicio legit *Palem.* Simile mendum illatum video a non nemine Virgil. Ecl. I. 62.

Aut Ararin *Parthus bibet aut Germania* Tigrin.

Satis constat e Charisii annotatione p. 69., Virgilium scripsisse *Ararim* et *Tigrim*, sicut *Irim* et *Parim*; quod confirmant versum hunc citantes Gram-

Adsitis, Divi, neu vos de paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.

matici Priscianus p. 989. et Maximus Victorinus p. 1962.

57 — 40. ADSITIS, DIVI] Cod. Paris. *Assitis.* Sic infra II. 1. 81. *Sancte, veni dapibus festis.* Hic comparandus est locus classicus Hom. Od. η. 201.

*αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς ἡμῖν, εὖτ᾽ ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·
δαίνυνταί τε παρ᾽ ἄμμι καθήμενοι, ἔνθα περ ἡμεῖς.*

57. NEU VOS DE PAUPERE MENSA] Ed. a. 1472. cum Cod. Paris. et Edd. Venet. 1491. 93. *neu vos e paupere mensa.* Broukhusius *de* reposuit e libris Statianis et suis. *Dona* de *mensa et* e *fictilibus* dicuntur, sicut apud Terentium Eun. III. 2. 11. *dona a Phaedria;* Propert. III. 7. 14. *spolia ex illo.* IV. 10. 11. *spolia ex humeris.* — Scaliger ex *infimae vetustatis* Codice assumpsit *e parvis fictilibus* pro *puris.* Sed recte Broukhusius, Non quam *parva* essent illa vasa referebat, sed quam essent *pura.* De vasis fictilibus, quibus pro simplicitate prisca diis libare veteres Latini solebant, idem multa congessit scriptorum loca. Addam aliquot Graecorum exempla. Eratosthenes in Epistola ad Hegetorem Lacedaemonium apud Athen. XI. p. 482. B. *κυάθῳ μὲν οὖν οὐδὲν ἐχρῶντο τότε, οὐδὲ κοτύλῃ. Κρατῆρα γὰρ ἵστασαν (ἔστησαν,* Macrob. V. Saturn. 21.) *τοῖς θεοῖς, οὐκ ἀργυροῦν, οὐδὲ λιθοκόλλητον, ἀλλὰ τῆς Κωλιάδος γῆς.* Patet idem e narratione Herodoti V. 88. p. 416. de Argivis et Aeginetis, statuentibus: *Ἀττικὸν δὲ μήτε τι ἄλλο προςφέρειν πρὸς τὸ ἱρὸν, μήτε κέραμον, ἀλλ᾽ ἐκ χυτρίδων ἐπιχωριέων νόμον τολοιπὸν αὐτόθι εἶναι πίνειν.* Ubi vide Valckenarium. Sed hic mos paullatim in desuetudinem venit. Laudat Broukhusius Cicer. IV. in Verr. 21. domus *erat ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent, etiamsi praeterea nihil esset argenti; patella grandis cum sigillis ac simulacris Deorum; patera,*

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

qua mulieres ad res divinas uterentur; turibulum. Hic locus in mentem revocat fragmentum Sophronis apud Athen. VI. p. 250. A. *Σώφρων δ' ἐν Γυναικείοις Μίμοις φησί· Τῶν δὲ χαλκωμάτων καὶ τῶν ἀργυρωμάτων ἐμάρμαιρε Δοκία.* Quod fragmentum misere corruptum nuper in Comment. de inscript. Vasculi Locris in Ital. reperti p. 4. ita emendavimus: *Τῶν δὲ χαλκωμάτων καὶ τῶν ἀργυρωμάτων ἐγάργαιρε Ἀ οἰκία, aeneis vero et argenteis vasis* repleta erat domus. Hanc emendationem, sic satis certam, ita confirmant Scholiastes ad Aristoph. Acharn. v. 3. et Suidas in v. *Ψαμμακοσιογάργαρα*, nullus ut dubitationi relinquatur locus: *καὶ τὰ Γάργαρα δὲ ἐπὶ πλήθους ἐτίθετο, ὡς ἐν Λημνίαις· Ἀνδρῶν ἐπακτῶν πᾶσ' ἐγάργαιρ' ἑστία. καὶ παρὰ Ἀριστομένει ἐν Βοηθοῖς· Ἔνδον γὰρ ἡμῖν γάργαρα. καὶ παρὰ Σώφρονι· Ἁ δὲ οἰκία τῶν ἀργυρωμάτων γάργαιρε.* Miror Stephanum, qui utrumque Sophronis locum ob oculos habebat in Indice Thes. Gr. Ling. sub vocibus *Γαργαίρω* et *Μαρμαίρω*, alterum ex altero non emendâsse, nec vidisse, unum hunc eundemque esse locum. Quod mihi certe fit probabile, cogitanti, nulliùs scriptoris verba magis perturbasse grammaticos, quam Sophronis.

39. FICTILIA POCULA] His infra I. 10. 7. substituuntur *lignea* pocula: *nec bella fuerunt*, Faginus *adstabat quum* scyphus *ante dapes.* Sed lutum sive argillam primam fuisse materiam, e qua opera conficere tentaret rudis artium aetas, constans est aliorum opinio. Hinc ipsi Vulcano apud Hesiodum Opp. 60. tribuitur ars non fabrilis, sed figlina, *γαῖαν ὕδει φύρειν.* Qui locus non obversabatur Wesselingio de Aristobulo p. 153. Hac via inclaruit Prometheus, dictus ob hoc a Phaedro IV. Fab. 14. 3.

auctor vulgi fictilis,

Qui, simul offendit ad

Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
Si licet, et solito membra levare toro.

V. 44. referre.

fortunam, *frangitur.* Quo nihil dici fingique potest elegantius.

43 — 44. PARVA SEGES SATIS EST] Exc. Pocchi cum paucis libris, *Parva satis mensa est.* Sed *parva seges* opponitur fructibus,

Quos tulit antiquo condita messis *avo.*

Sequitur, *requiescere lecto* — et *solito membra levare toro.* Qua eiusdem sententiae amplificatione nihil usitatius est classicis auctoribus, in primis Homero, cuius notissima sunt exempla Il. *κ.* 2.

Εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ.

Il. *η.* 482.

Κοιμήσαντ᾽ ἄρ᾽ ἔπειτα, καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο.

Vide Comment. de Orph. Argon. p. 37. Verum Fruterius, hanc priscae simplicitatis ubertatem parum advertens, pro *lecto* reposuit *tecto;* probante Broukhusio, otiosam enim esse *lecti* vocem, quum sequatur *toro:* alius *levare* mutavit in *referre,* quoniam praecessit *requiescere lecto*, quod parum differt a locutione, *membra levare toro.* Sic veteres scriptores interpolantur. Nihil recepta lectione verius est, nihil sanius. Horatius II. Ep. I. 139.

Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
Condita *post frumenta,* levantes *tempore festo*
Corpus *et ipsum animum spe finis dura ferentem,*
Cum sociis operum pueris et coniuge fida
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,

Quam iuvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero detinuisse sinu!
Aut gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre iuvante, sequi!

V. 47. quom.

Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.

Ovidius Rem. Am. 265.

Nocte fatigatum somnus, non cura puellae
Excipit et *pingui* membra *quiete* levat.

44. SI LICET] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Scilicet.*

46. DETINUISSE SINU] Alii libri, in his Cod. Paris., *continuisse.* Et ita est in Edd. a. 1472. Venet. 1491. 93. Cyllenius tamen in Commentario non nisi *detinuisse* habet. Quam lectionem confirmant Codd. Palat. Corvin. Monac. Vossiani duo, Askew. Excerpt. Colot. et Virgilius IV. Aen. 84.

Aut gremio *Ascanium, genitoris imagine capta,*
Detinet, *infandum si fallere possit amorem.*

47. HIBERNUS AQUAS QUUM FUDERIT AUSTER] Cod. Paris. *ibernus.* Ed. a. 1472.

Aut gelidas hybernus *aquas* cum *fuderit Auster.*

Nempe *cum* pro *quum* omnibus illa habet locis, excepto versu suspecto I. 2. 25. ed. Voss.

En ego quum *tenebris tota vagor anxius urbe.*

48. IMBRE IUVANTE] Edd. veteres *igne*, quod primus eiecit Scaliger, praeeunte tamen Mureto. Nam etsi utramque lectionem ferri posse putabat Muretus, tamen, quod in libris quibusdam invenerat, *imbre iuvante,*

Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.

V. 49. contingat! Sit. 50. Hyadas.

egregie confirmavit loco Sophoclis, qui legitur apud Ciceronem II. ad Attic. 7. Nunc *vero quum cogar exire de navi, non abiectis sed receptis gubernaculis*, cupio *istorum naufragia ex terra intueri*; cupio, *ut ait tuus amicus Sophocles*, καὶ ὑπὸ στέγῃ Πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί. Quae ultima verba recte Grotius vertit, *curis solutus*. Nam εὕδειν dicitur de homine otioso, eodemque, ut Tibullus reddit, *securo*. Vide Schaeferum ad Sophoclis Oed. Col. 307. Hinc recte nuper vir doctus defendit lectionem Theocrit. II. 126.

> εὗδον δ', εἴ κε μόνον τὸ καλὸν στόμα τεῦς ἐφίλησα.

Eodem sensu Latini dicunt *dormire*. Terentius Phorm. V. 9. 17.

> *Sic factum est*. N. *perii misera*. P. *et inde filiam*
> *Suscepit iam unam*, dum tu dormis.

Hinc lux adfertur eleganti loco Plauti Curcul. I. 3. 25.

> *Quid tu?* Venerin' pervigilare *te vovisti, Phaedrome?*
> *Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit*. Ph. tace.
> Pa. *Quid taceam? quin tu is* dormitum? Ph. dormio, *ne occlàmites*.
> Pa. *Tu quidem vigilas*. Ph. at meo more dormio. hic somnus mihi.

49 — 50. HOC MIHI CONTINGAT] Ovidius III. Amor. 2. 9.

> Hoc mihi contingat: *sacro de carcere missis*
> *Insistam forti mente vehendus equis*.

Ubi Heinsius supplet *si*, item ut apud Albinov. El. III. 15. Quae ratio huic Tibulli loco accommodari nequit. — *Sit dives iure*. Exc. Scalig. et Commel.

O quantum est auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.

V. 51. zmaragdi.

rure. Obstat Propertius III. 4. 21.

Praeda sit haec illis, quorum meruere labores.

— *Tristes pluvias.* Heinsius, Forte *tristes Hyadas,* „nam *imbre* praecesserat." Eodem argumento utitur supra v. 48. *imbre iuvante:* Minus placet *iuvante,* „quia praecessit *quam iuvat,* forte *fovente.*" Hanc viam ingressus Vossius infinitis paene locis Tibulli gratiam nativamque simplicitatem detraxit, ut I. 5. (4.) 63.

Hic iuvenum series teneris immixta *puellis*

Ludit, et assidue proelia miscet *Amor.*

I. 6. (7.) 79.

Firmaque conductis *adnectit licia telis,*

Tractaque de niveo vellere ducta *putat.*

II. 4. (5.) 55.

Heu, quicunque dedit *formam coelestis avarae,*

Quale bonum multis addidit *ille malis.*

III. 4. 56.

Namque haec in nitido corpore *vestis erat.*

Sic scripsit Tibullus. At ille cum aliis de caussis, tum quod versu 30. praecessit *in niveo corpore,* de coniectura edidit:

Ima videbatur talis illudere palla,

Quae cocco nitido corpora *vestierat.*

Nihil vidi magis! Nihil dicam amplius! — De Euripide, easdem voces repetente, vide Valckenarium ad Phoen. 360. p. 240. — Ed. a. 1472. v. 50.

Quis *maris et tristes ferre potest pluvias.*

51. POTIUS PEREATQUE SMARAGDI] Hanc verborum structuram ex uno Statiano libro, cui consentiunt Askew. et Bern., restituit Broukhu-

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias.

sius. Vulgo *pereat potiusque.* Sed copula illic elegantius traiicitur et rectius verbo, quam adverbio subiungitur. Callimachus Del. 323.

ἃ Δηλιὰς εὕρετο νύμφη
Παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν.

Ubi Stephanus apte comparat Tibulli I. 3. 56.

Messalam terra dum sequiturque mari.

Heinsius, Lege *pereat pereatque smaragdi:* ut *potius* subintelligatur. Perperam! — *Smaragdi* exprimunt veteres Editiones, nisi fallor, omnes. Ed. a. 1472. consentiente Cod. Paris.

O quantum est auri pereat potiusque smaragdi.

Alteram scripturam *zmaragdi* operose defendit Vossius, duce Broukhusio ad Propert. II. 13. (16.) 43. ubi libri scripti sine exceptione servant *smaragdi.* Tamen Broukhusio obtemperavit Burmannus. Ergo audiamus Priscianum p. 564. *S quoque sequente m, ut Smyrna, smaragdus.* Nam vitium faciunt qui z ante m scribunt. Numquam enim duplex in capite syllabae potest cum alia iungi consonante. *Lucanus quoque hoc ostendit in X.* (121.)

Terga sedent crebro maculas distincta smaragdo.

Nam si esset z ante m, subtrahi in metro minime posset, nec staret versus. S enim in metro saepe vim consonantis amittit. „Idque adeo verum est, ut vetustiores Grammatici illius apud Latinos scribendi moris omnino nullam fecerint mentionem.“ Hemsterhusius ad Lucian. T. I. p. 94. — Sed hinc non efficitur, Meleagrum epigr. XCI. scripsisse *τοξεῦ*, quod nuper temere in contextum illatum est, sed scripsit haud dubie:

οὔ με λέληθας,
Τοξότα, Ζηνοφίλας ὄμμασι κρυπτόμενος.

54. UT DOMUS HOSTILES] Ed. a. 1472. cum Cod. Paris.

Ut domus exiles *praeferat exuvias.*

Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia, tecum
Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer.

V. 57. curo! Mea Delia, tecum.

55. ME RETINENT VINCTUM] Balbus c. 80. p. 179.

Dicam equidem, cultae retinent te vincla puellae.

Probat cum Heynio et duobus antiquis meis codicibus vulgatam Tibulli lectionem I. 1. 55.

Me retinent *vinctum formosae* vincla *puellae.*

Tertius codex recentior:

Me retinet *vinctum formosae* cura *puellae.*

SANTEN. p. 1842. Lectionem *retinet cura* servat etiam unus codex Broukhusii. Nec ea per se contemnenda est. Propertius I. 1. 35.

Hoc, moneo, vitate malum, sua *quemque* moretur
Cura *neque adsueto mutet amore locum.*

Idem I. 8. 1.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?

Horatius I. Ep. 14. 6.

Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur.

Verum eodem iure Tibullus scribere potuit *vinctum vincla retinent*, quo Homerus v. c. Il. ε. 385.

τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος, κρατερός τ' Ἐφιάλτης,
παῖδες Ἀλωῆος, δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ.

Od. χ. 189.

σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέον θυμαλγέϊ δεσμῷ.

Male igitur Edd. Venet. 1491. 93. *victum.* Recte Ed. a. 1472. cum Cod. Paris.

Me retinent vinctum *formosae* vincla *puellae.*

57—58. NON EGO LAUDARI CURO] Pauci libri

Te spectem, suprema mihi quum venerit hora,
 Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
 Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

V. 59. quom. 61. mea Delia.

cupio. quod inde manavit in veteres editiones, praeter Vicent., quae habet *curo.* Nec tamen prior lectio spernenda est. Cicero I. de Offic. 19. *Facillime autem ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est,* gloriae cupiditate. *Qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui.* laboribus susceptis periculisque aditis, *non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.* Guyetus malebat *quaero.* Verba, *mea Delia*, ita interiecta sunt, ut nescias, utrum ad prius membrum referenda sint, an ad posterius; similiter ut apud Theocritum III. 18.

"Αλφιτά τοι πρῶτον πυρὶ τάκεται· ἀλλ' ἐπίπασσε —
Θέστυλι δειλαία — πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;

ubi alii aliter interpungunt. Nec multum interest. Tamen apud Tibullum sequi malim veterum editorum interpunctionem, Heinsio etiam probatam ad Ovid. II. Am. 16. 20., quam Vossii, ne vi sua priventur illa: Tecum *dummodo sim.* Caeterum Scaliger huic disticho subiunxit El. 2. 71 — 72.

Ipse boves, modo sim tecum, mea Delia, *possim*
Iungere et in solo pascere monte pecus.

eamque iterationem vicinae in proximo compellationis dulcem et blandam vocat Broukhusius, non ego. Nec illa probari potest huius compellationis iteratio, quam v. 61. proposuit Beckius, assumpsit Vossius,

Flebis et arsuro positum, mea Delia, *lecto,*

pro *positum me* — cuius ego mutationis caussam nullam reperio.

62. TRISTIBUS ET LA-

Flebis; non tua sunt duro praecordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.

CRIMIS OSCULA MIXTA DABIS] Ed. a. 1472. *lachrymis.* Propertius I. 5. 15.

> *Et tremulus* maestis *orietur* fletibus *horror.*

Ubi *maesti fletus* displicent Burmanno, nec probantur censori Bibl. Crit. Vol. II. P. II. p. 7. scribenti, Frigent sine dubio *maesti fletus:* neque habet vim hoc attributum, quum *fletus* non nisi maesti esse queant. — Hanc animadversionem elevant *tristes lacrimae* Tibulli, et *maestae querelae* I. 8. 53. Virgil. IV. Georg. 515.

> maestis *late loca* questibus *implet.*

XI. Aen. 38.

> maesto*que inmugit regia* luctu.

Vel sic tamen egregia est Burmanni emendatio:

> *Et tremulus* mixtis *orietur* fletibus *horror;*

quam hoc ipso Tibulli loco confirmat vir doctissimus. Vide Bentleium ad Horat. IV. 1. 22. Aeschylus Sept. ad Theb. 241. (224.)

> *Ποταίνιον κλύουσα πάταγον ἄμα*
> *Ταρβοσύνῳ φόβῳ τάνδ᾽ ἐς ἀκρόπτολιν*
> *Τίμιον ἕδος, ἱκόμαν.*

Ubi in cod. Med. D. pro *ἄμα* legitur *ἄμμιγα.* Sophocles Trach. 517.

> *Τότ᾽ ἦν χερὸς, ἦν δὲ τόξων*
> *Πάταγος, ταυρείων τ᾽*
> *Ἀνάμιγδα κεράτων.*

63 — 64. DURO PRAECORDIA FERRO VINCTA] Cod. Paris. Guelf. et Voss. 3. *Iuncta.* Edd. Venet. 1491. 93. *Victa.* Transtulit Tibullus ad animum humanitati patentem, quod de corpore vulneribus obnoxio dixit Homerus Il. δ. 509.

> *ὄρνυσθ᾽, ἱππόδαμοι Τρῶες, μήδ᾽ εἴκετε χάρμης*
> *Ἀργείοις! ἐπεὶ οὔ σφι λίθος χρὼς, οὐδὲ σίδηρος,*
> *χαλκὸν ἀνασχέσθαι ταμεσίχροα βαλλομένοισιν.*

Ferro vincta praecordia dicuntur ut apud Homerum Il. ο. 713. *φάσγανα μελάνδετα,* ubi Heynius

Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
 Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
 Crinibus, et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
 Iam veniet tenebris Mors adoperta caput.

comparat hunc Tibulli locum, laudatque Aeschyli Sept. ad Theb. 43. *σάκος μελάνδετον*, *ferro obductum*. Sic Tibullus I. 9. 69. auro vincire *lacertos*. Iam continuans translationem addit, *nec in tenero* stat *tibi corde silex*. Ubi non sufficit, si *stat* simpliciter reddas *est*, ut Heynius, vel si compares, ut Vossius, Virgil. Ecl. II. 26.

> *quum placidum ventis* staret *mare:*

quod prorsus alienum. Illud huc pertinet, quod legitur VI. Aen. 470. de Didone:

> *Nec magis incepto vultum sermone movetur,*
> *Quam si* dura silex *aut* stet *Marpesia cautes.*

Vel potius illud commentarii instar habens Tibulli II. 4. 7.

> *O ego, ne possim tales* sentire dolores,
> *Quam mallem in gelidis montibus esse* lapis:
> Stare *vel insanis* cautes *obnoxia ventis,*
> *Naufraga quam vasti tunderet unda maris!*

Ennius apud Festum in *Neminis:*

> lapideo
> *Sunt* corde *moltei, quos non miseret neminis.*

70. IAM VENIET TENEBRIS MORS ADOPERTA CAPUT] Vide, quae dicentur infra ad I. 3. 50. *nunc leti mille* repente *viae*. Quam lectionem satis fir-

Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.

mat egregius Neoptolemi locus apud Diodor. Sic. XVI. 92. cuius particulam descripsit Heynius, nos alia de caussa totum dabimus: *Φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας· Φρονεῖθ' ὑπερβαλλόμενοι δόμων δόμους, ἀφροσύνᾳ πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι. Ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπουν κέλευθον ἕργῳ σκοτίαν, ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα, μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας θανάτῳ πολύμοχθος Ἅιδας.* Neoptolemo igitur convenit partim cum Claudiano, cuius locum supra descripsimus ad v. 1. partim cum Pindaro, Theocrito, Tibullo, aliis. Nam quod ille dicit *μεγάλων πεδίων ἀρούρας*, id Pindarus vocat *πεδίον ἀπέραντον*, Theocritus *μεγάλας ἀρούρας* et *πλατέα πεδία* XVII. 102. Appianus I. de Bell. Civ. 7. *πεδία μακρά*, Horatius *multam tellurem*, Tibullus *immensos campos*, nemo *iugera magna*. — Caeterum *Mors tenebris adoperta caput* interpretem nuper nacta est persona sua dignum, hoc est, *tenebris adopertum* et obscurum, qui animadvertit, in hac imagine rem primariam esse *caput adopertum*; caput enim *operire* lugentes, ergo etiam *Mortem*. Huic si forte occurret aliquando apud Homerum deus

— — — *νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους·*

mirabitur, quid sit, quod deus ille *humeros* habeat nube involutos, non *caput*, et ritum aliquem Antiquitatis circumspiciet, quo rem tam mirabilem expediat. Tu videbis Heynium, Mortem obscuram face sua satis illustrantem, et Tenebrionem istum cum mala gratia dimittes. Confer, quae dicentur in Analectis ad hunc locum.

71. NEC AMARE DECEBIT] Pauci libri *nec amare licebit*. Quod reposuit Gebhardus. Eadem verba confunduntur apud Terentium Ad. I. 2. 27.

et illum tu tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,

Potius quam, ubi te exspectatum eiecisset foras,

Alieniore aetate *post faceret tamen.*

Ubi duo libri *decet* pro *licet.* Sed ut apud Terentium legere praestat *licet*, ita apud Tibullum *decebit.* Vide Bentleium ad Horat. II. Ep. 2. 215.

Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo

Rideat et pulset lasciva decentius *aetas.*

Hinc Tibullus mox v. 73. *dum frangere postes* Non pudet —

et I. 2. 91. de sene:

Et sibi blanditias *tremula* componere *voce,*

Et manibus canas fingere velle comas:

Stare nec *ante fores puduit* —

Ennius apud Ciceronem III. de Orat. 40.

vive Ulysses, dum licet:

Oculis postremum lumen radiatum rape.

Addit Cicero: *non dixit* cape; *non*, pete: *haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed* rape. *Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat.* dum licet. E contrario Horatius Ep. XIII. 4.

rapiamus, *amici,*

Occasionem *de die: dumque* virent genua,

Et decet, *obducta solvatur fronte senectus.*

72. DICERE NEC CANO BLANDITIAS CAPITE] Libri veteres, teste Mureto, *capite*, non *capiti*. Libri mei, hoc est, Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Dicere nec cano blanditias capiti.

Et sic apud Catullum El. ad Manl. 124. libri veteres tantum non omnes:

Suscitat a cano *vulturium* capiti.

Nempe Veteres, monente Santenio, sexto casu promiscue *capiti* scribebant et *capite*. Frequentatur tamen hoc magis quam illud. Plautus Asin. V. 2. 84.

Cano capite, *te cuculum uxor ex lustris rapit.*

Casin. III. 1. 4.

Cano capite! *aetate aliena! coaddito ad compendium.*

Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, et rixas inseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus. Vos, signa tubaeque,
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris.
Ferte et opes. Ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

V. 74. conseruisse.

Et sic scribunt Terentius, Lucretius, alii. Persius I. 83.

> *Nilne pudet* capiti *non posse pericula* cano
> Pellere, *quin tepidum hoc optes audire*, decenter?

Ubi *capiti* fortasse tertius est casus. Pindarus Ol. I. 91. *ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον, τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν, εὐφροσύνας ἀλᾶται.*

74. RIXAS INSERUISSE IUVAT] Libri Scheffer. et Bern. *conseruisse*. Reliqui libri scripti editique, in his Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

> *Non pudet et rixas* inseruisse *iuvat*.

Heinsius ad Ovid. I. Fast. 287. corrigit *serae* pro *iuvat*. quod nemo probaverit. De rixis amantium satis superque dicetur infra ad I. 10. 53 — 58.

78. DESPICIAM DITES] Ed. a. 1472. cum aliis:

> *Dites despiciam despiciamque famem.*

Hoc Gehhardo placebat, illud Broukhusio, cui favet consuetudo Tibulli I. 4. 82.

> *Deficiunt artes, deficiuntque doli.*

II. 2. 20.

Inducat rugas, inficiatque comas.

Virgilius II. Georg. 498.

Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit et infidos agitans discordia fratres —
Non res Romanae, perituraque regna; neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.

ELEGIA II.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor:

ELEGIA II.

„Queritur de ianua clausa et ad ipsam atque amasiam suam multis utitur blanditiis." Ed. pr. a. 1472.

1. NOVOS DOLORES] Ald. 1515. *graves dolores* ex interpolatis libris, quos vidit Muretus. Cicero II. Famil. 16. *Magno dolore me affecissent tuae litterae, nisi iam et ratio ipsa depulisset omnes molestias et diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad* dolorem novum. Sed Tibullus eo sensu *novos* dicere dolores videtur, quo Aeschylus Pers. 663. *καινά τε νέα τ' ἄχη*, hoc est, *insolitos.* Propertius I. 10. 17.

Et possum alterius curas *sanare* recentes.

Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
  Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostrae custodia saeva puellae,
  Clauditur et dura ianua fulta sera.
Ianua difficilis dominae, te verberet imber,
  Te Iovis imperio fulmina missa petant.

5. PERFUSUM TEMPORA BACCHO] Cyllenius in commentario diversam habet a recepta lectione scripturam, quam libri haud pauci, (etiam Cod. Paris.) servant, *percussum*, addens tamen, Quidam legunt *perfusum*. et tum res est apta. Pollux VI. 25. *ὑποβεβρέχθαι, διαθερμαίνεσθαι, σεσεῖσθαι μέθῃ, μεθύειν.* Euripides Electr. 326.

6. IANUA FULTA SERA] Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

> *Clauditur et dura ianua* firma *sera.*

7. DOMINAE] *Domini* Heynius cum Scaligero, Broukhusio et Vulpio edidit, cum in nonnullis Codicibus ita inventum esset. Edidere tamen Statius et Veneta a. 1493. Muretus, Gryphius, Passeratius, Parisiensis a. 1608. Livineius et Raphelengius, *dominae*, quod reiicit Heynius: ego rectissimum puto, modo ne secundo casu accipias, quod quidam fecerunt, et distinguas:

> *Ianua, difficilis dominae, te verberet imber.* —

SANTEN. Bibl. Crit. P. III. p. 67. Ed. a. 1472.

> *Ianua difficilis* domini *te verberet hymber.*

Novam rationem iniit novissimus editor, ut scripturam *dominae* defenderet, quaerens, cuiusnam rei *dominum* hunc dicere maritum nunc lubeat? num fortasse *ianuae?* idque tamquam ineptum et humile commentum fasti-

Ianua, iam pateas uni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas; capiti sint, precor, illa meo.

diose reiicit. Sed fefellit ratio virum doctissimum. Catullus c. LXVII. 7. ad ianuam:

> *Dic agedum nobis, quare mutata feraris*
> *In* dominum *veterem deseruisse fidem?*

Vide ib. v. 58. Ianua apud Propertium I. 16. 9.

> *Nec possum infames* dominae *defendere noctes.*

Hactenus utrumque recte scribitur *dominae* et *domini*, rectius tamen hoc loco, nisi fallor, *dominae*, quum non de novi amatoris sed de Deliae ianua sermo sit, eaque vel ipsa vel certe domina *difficilis* melius dicatur quam dominus.

9. PATEAS - VICTA] Infra I. 5. 67. *nec verbis* victa fatiscit *Ianua*. Ubi maxima librorum pars habet *patescit*. Virgilius I. Georg. 180. de area complananda:

> *Ne subeant herbae, neu* pulvere *victa fatiscat.*

Quo loco Heynius verbum *victa* ornatus caussa adiectum ait. Sed *vinci* ex usu poetarum universe dicuntur res solidae et clausae, ubi aditum praebent vel patescunt. Pindarus Nem. IX. 2. de ianua Chromii hospitibus patente:

> *ἔνθ' ἀναπεπταμέναι ξείνων νενίκανται θύραι.*

10. NEU FURTIM VERSO] Ed. a. 1472.

> Nec *furtim verso cardine aperta sones.*

12. CAPITI SINT ILLA MEO] Coelius apud Ciceronem VIII. Famil. 1. *Te* — quod illorum capiti sit — *dissiparant periisse.* De hac formula vide egregiam Henr. Stephani disputationem in Thes. Gr. Ling. T. II. p. 149. D.

Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, quum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
Audendum est! Fortes adiuvat ipsa Venus.

V. 14. quom - dabam.

13. QUAE PLURIMA VOCE PEREGI] Cod. Paris. in contextu:

Te meminisse decet, quae plurima voce peregi.

In margine ab eadem manu: alii *nocte*.

14. QUUM - DAREM] Unus liber Sfortiae apud Statium *dabam*. probante Vossio. Nam, inquit, illud actionem definitam, hoc infinitam vel, ut nunc, saepe repetitam designat. Quod discrimen non ubique observatur. Varro III. R. R. 1. *fuit tempus*, quum *rura* colerent *homines neque urbem* haberent. Cicero I. Inv. 2. *fuit quoddam tempus*, quum *in agris homines passim bestiarum modo* vagabantur *et sibi victu ferino vitam* propagabant. Tibullus I. 4. 33.

Vidi ego iam iuvenem, premeret quum serior aetas,
Moerentem stultos praeteriisse dies.

Non igitur erat, cur hoc loco reciperetur *dabam*, nec cur infra I. 10. 15. substitueretur *cursabam* lectioni, omnibus libris scriptis editisque confirmatae:

Sed patrii servate Lares; aluistis et iidem,
Cursarem *vestros* quum *tener ante pedes.*

Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

— cum posti florida *serta darem.*

16. AUDENDUM EST] Deest hic versus in Colot. et Ald. 1515. Statius: „hoc vero totum non est huius poetae γνήσιον, quamquam scriptis in li-

Illa favet, seu quis iuvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores.

V. 17. iuvenum.

bris legatur." Satis confidenter. Pertinet huc Euripidis sententia, (qua Demetrium cunctantem in Urbe, contra quam facere constituerat, excitabat Polybius ad fugam quocunque tempore et exitu capessendam) Phoen. 733.

ἴσον φέρει νὺξ, τοῖς δὲ τολμῶσιν πλέον.

Ovidius Her. XIX. 159.

Quod timeas non est: auso Venus ipsa *favebit.*

Sententiae auctor utrum Simonides sit an alius poeta graecus, pendet adhuc ex incerta lectione apud Claudianum XLII. 9. ubi vulgo editur:

Fors iuvat audentes, Cei *sententia* vatis.

Vulgo *prisci* vatis, quo Ennium designari censet Columna p. 134. Dixit enim Ennius:

Fortibus est Fortuna vireis data.

17. ILLA FAVET, SEU QUIS IUVENIS NOVA LIMINA TENTAT] Statius in multis libris *iuvenum* legi affirmat. E contrario Santenius testatur ad Balbum p. 1812. nullum ex suis codicibus *iuvenum* habere, recentiorem tantum ordine verborum immutato:

Illa favet iuvenis seu quis nova limina tentat.

Haec verborum traiectio vel superbissimo satisfacit aurium iudicio, et, nisi vera sit, certe praeferenda est lectioni *iuvenum,* quum accurate sibi respondeant *iuvenis* et *puella.* Sed quorsum ego Santenii animadversiones ad Balbum repeto, quas in Bibliotheca Critica atque adeo in Editione carminum Balbinorum Retzeria legi profitetur Tenebrio is, de quo dixi supra ad El. I. 70. Nempe propterea hoc facio, quia animadversiones il-

lae, quas exquisitissimas Ruhnkenius vocat, neque in Bibliotheca Critica, neque vero in Editione Retzeria leguntur, ubi ne legi quidem per rei naturam possunt, sed unice exstant vel potius latent, ex ipso Santenii Autographo descriptae, in Miscellaneis illis litterariis, sub Rochii quondam auspiciis Lipsiae editis N. 186. p. 1785. sq. unde Excerpta quaedam dedit Beckius in Comment. Societ. Philol. Lips. Vol. II. Part. I. p. 145. sq. Iam quum credibile non sit, Miscellanea illa, germanice scripta, ab exteris legi, quum quantum bonae frugis animadversionibus illis insit, ne Vossius quidem, germanus Criticus, qui procul dubio legit, meminerit, ego illas repetendas censui duplici potissimum de caussa; primum quia Santenius, quo nemo neque a libris scriptis instructior neque in excutiendis illis accuratior umquam fuit, in Notulis illis peregregia Critices adiumenta Tibulli, ne dicam Propertii, Ovidii aliorumque poetarum carminibus attulit; deinde quia Balbi ipsius carminibus veterum librorum tum scriptorum tum editorum, quos hodie frustra saepe quaerimus, impressa sunt vestigia, quibus persequendis non quidem Critici ad Viadrum, ut vides, sed tamen Critici ad Varnum, quos Tenebrio dicit, ad singularia quaedam ducuntur, quae scire harum litterarum permultum interest. Velut hoc loco iure quodam tuo quaeras, quid sit, quod Balbus in manifesta Tibulli imitatione ultra limites imitationis progressus modum indicativum *tentat* — *reserat*, quem nostrae editiones exprimunt, mutaverit in modum coniunctivum, quem nulla nobis cognita editio habet! Cur, inquam, scripsit?

Ille favet, seu quis *dominae fera claustra* relaxet,
Laurea seu *iunctis serta* ferat *manibus*.

Nempe secutus ille est exemplar quoddam vetustissimum, quod nuper demum e tenebris in lucem protraxit et descripsit Iac. Morellius in Epistola ad Anton. Bartolinum; nisi forte eiusdem vetustatis alterum, de quo agit Audiffredus Catalog. Ed. Rom. Saec. XV. p.

Illa docet furtim molli descendere lecto,
  Illa pedem nullo ponere posse sono;
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
  Blandaque compositis abdere verba notis.

V. 19. derepere.

440. In quibus exemplaribus solis, quod sciamus, locus Tibulli, monente Morellio, teste locupletissimo, p. VIII. ita legitur:

Illa favet, seu quis iuvenis nova limina tentet,
Seu reseret *fixo dente puella fores.*

18. SEU RESERAT FIXO DENTE PUELLA FORES] Nullus adhuc commemoratus est liber scriptus, qui exhiberet lectionem, quam habet cod. Paris. n. 7989.

Seu reserat falso *dente puella fores.*

19. DESCENDERE LECTO] Vulgo *decedere* vel *discedere*. Illud habet Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Hinc Dousa formavit *descendere*. quam veram esse lectionem vix dubites, comparato in primis Virgilii loco Cir. 208.

Quum furtim *tacito* descendens *Scylla cubili*
Auribus arrectis nocturna silentia captat.

Vide Tibullum I. 5. 41. Babrius apud Suidam in v. *Βαθύστρωτος κοίτη* de Fele in foeminam conversa:

τόνδε τῆς βαθυστρώτου
Καταβᾶσα κοίτης ἐπεδίωκεν ἡ νύμφη.

Tria illa verba, *discedere, decedere, descendere*, passim a librariis permutari monet Bentleius ad Horatium I. Ep. 16. 7. Tibullum imitari videtur Iuvenalis VI. 232 — 35. — Unus liber Frising. habet *derepere*, quod placet etiam Oudendorpio ad Appuleium IV. p. 249. mihi accommodatius videtur feli, quam puellae. Phaedrus II. 4. 12.

Derepit ad cubile setosae suis.

22. ABDERE VERBA NOTIS] Ed. a. 1472.

Blandaque compositis addere *verba notis.*

Nec docet hoc omnes; sed quos nec inertia tardat,
  Nec vetat obscura surgere nocte timor.
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
  Vulneret, aut rapta praemia veste petat.

V. 24. *Post hunc versum sequitur distichon, ab aliis reiectum:* En ego quom tenebris tota vagor anxius urbe, Securum tenebris me facit ipsa Venus.

23. NEC DOCET HOC OMNES] Ita etiam Ed. a. 1472. Cod. Paris. *decet.*

24. Distichon illud, quod post hunc versum denuo in contextum immisit Vossius, *En ego quom* (cum) *tenebris* etc. desideratur in duobus libris scriptis Vindob. et Bern. Guarnerianus non nisi hexametrum habet. Utrumque versum admiserunt Edd. vetustiores, obnitente tandem Scaligero, qui hoc distichon ut *spurium* et *insititium* et, quod caput est, *ridiculum* eiecit. Scaligero obsecutus est cum aliis Broukhusius, existimans, longiorem versum formatum esse ad effigiem verborum Ciceronis XIV. ad Attic. 8. *de Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi sit, quid cogitet: quem quidem ego spero iam* tuto *vel solum* tota urbe vagari *posse.* Sed haec futilis est animadversio. Cur enim Ciceroni sublectum credamus, quod vulgare est et consuetudine tritum? Virgilius IV. Aen. 68. *Uritur infelix Dido* totaque vagatur Urbe *furens.* VI. 887. *Sic tota passim regione vagantur.* Suetonius Ner. 26. *Post crepusculum statim arrepto pileo vel galero popinas inibat*, circumque vicos vagabatur *ludibundus nec sine pernicie tamen.* Magis apposita est altera Broukhusii animadversio, scribendum potius fuisse: *tota vagor* avius *urbe.* „nam certe non *anxius* vagatur, quem Venus *securum facit.*“ Sed hoc

pendet ab auctoritate versiculi minoris, nec placere potest vel propter locum Claudiani, laudatum infra ad v. 35. Iam etsi fieri potuit, ut interpolator aliquis, conturbatus pronomine *quos* v. 23. cui alius substituit *quas*, totum distichon interponeret, tamen non intercedam, si quis cum Heynio maiorem versum, tot libris scriptis sine ulla scripturae varietate propagatum, ipsi Tibullo adscribendum censeat. Ed. Rom. sola habet, *En ego quin tenebris.* Versum expressit, quod a Santenio non animadversum, Balbus carm. 20. p. 156. de Amore:

> *Ille favet, seu quis dominae fera claustra relaxet,*
> *Laurea seu iunctis serta ferat manibus:*
> Sive quis in tenebris dubios petat anxius ignes,
> *Tunc Venus ardentes ventilat ipsa faces.*

Hoc quidem a Propertio petitum. Caeterum vide epigrammata graeca 24 et 25. apud Brunckium Tom. III. p. 155. — De pentametro:

> *Securum in tenebris me facit ipsa Venus,*

vel, ut est in Ed. a. 1472.; *esse Venus*, ita scribit Muretus: „hic versus legitur ille quidem in non nullis vetustis libris, sed in aliis lacuna est. in quibusdam etiam legitur,

> *Praesidio noctis sentio adesse deam;*

at in aliis, (v. c. Cod. Paris.)

> *Ille deus certae dat mihi signa viae:*

ut, si quis commotus illa tanta varietate de mendo suspicetur, me quidem socium sit habiturus.“ Postea repertum est in Excerptis M. Ant. Pocchi, quibus accedit librarius Cod. Dresd., primum horum pentametrorum, *Securum in tenebris* — suppositum esse ab Aurispa, eique substituisse Pontanum hunc,

> *Usque meum custos ad latus haeret Amor.*

Porro in Cod. Dresd. notatur, secundum: *Praesidio noctis* — auctorem habere Senecam. Tertius, ut item quartus, qui legitur in Witt. et Corvin.

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.

V. 28. nec. 30. quom.

Non mihi nocte sopor, non mihi nocte quies,

vel etiam,

Non mihi nocte quies, *non mihi nocte* sopor,

adhuc ἀδέσποτοι sunt. Habes Sardos venales, alium alio nequiorem, omnium, si quid video, nequissimum illum, quem Fruterius comptiorem reddere voluit corrigendo, *Securum tenebris* pro *in tenebris*. adstipulante Vossio, acerrimo praepositionum insectatore. Qua de re postea dicam accuratius, nunc quidem in nullo ponens discrimine, utram praeferas scripturam. Nam Aurispae versum aurificis statera examinare vanus sit et inanis labor.

28. NON TIMUISSE] Ita Ed. a. 1472. et Cod. Paris. Pauci libri *nec timuisse*. quod minus placet in generali sententia. Propertius III. 16. 13.

Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris.
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.

29. HIBERNAE FRIGORA NOCTIS] Ed. a. 1472. *hyberna.* Cod. Dresd. *sidera.* Hamb. *frigora brumae.* Sed Tibullum ita imitatur Ovidius I. Am. 9. 15.

Quis nisi vel miles vel amans *et* frigora noctis
Et denso mixtas perferet imbre *nives?*

30. QUUM MULTA DECIDIT IMBER AQUA] Ed. a. 1472.

Non mihi, qum *multa decidit* hymber *aqua.*

Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
Obvia: celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face.

V. 35. Nec strepitu.

33. SEU FEMINA FIAS] Cod. Paris. *fiat.* Ed. a. 1472.

> *seu vir seu foemina* fiet.

33—36. NEU STREPITU TERRETE PEDUM] Ed. a. 1472. Lips. Ald. Stat. *Ne.* Edd. Rom. et Venet. 1491. *Nec.* Muret. Pulm. Scalig. *Neu.* Eadem varietas est in libris scriptis. Cod. Paris. *Ne strepitu terete.* Iam *nec,* quod ille perperam sumit pro *ne quidem,* ante *neu* ferri nullo modo potest. *Ne — neu* proba quidem est construendi ratio, nec ea tamen ubivis inculcanda cum Handio ad Gronovii Elench. Antid. p. 161. Nam non minus recte se excipiunt ante imperativos particulae *neu* — *neu*, quam *ne* — *neu,* ut apud Virgilium IV. Georg. 47.

> Neu *propius tectis taxum sere*, neve *rubentes*
> *Ure foco cancros*, *altae* neu *crede paludi.*

Ubi item priori loco Rottend. *Nec*, Aurisian. *Ne* habet. Claudianus VIII. 278.

> Neu *dubie suspectus agas*, neu *falsus amicis*
> *Rumorumve avidus. Qui talia curat,* inanes
> Horrebit strepitus *nulla non* anxius *hora.*

Sed non opus est testimonio alieno. Tibullus ipse scripturam suam confirmat v. c. I. 8. 49. *Neu*

Si quis et imprudens adspexerit, occulat ille,
Perque Deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

V. 40. rabido *omissa praepositione.*

Marathum torque. IV. 4. 11. *Neu iuvenem torque.* Sano igitur iudicio Muretus restituit, *Neu strepitu terrete pedum.* De quo strepitu vide Brunckium ad Apoll. Rhod. III. 954. Caeterum nullo usus satis idoneo argumento hoc distichon *ὀβελίζει* Mitscherlichius Tent. Crit. p. 2. primum illa, *neu quaerite nomen*, quo tendant aut quam apposita hic sint, dubitans; deinde minorem versum ortum statuens e verbis v. 53. *Parcite luminibus*; quasi interpolator haec de facibus a poeta amovendis cepisset, quae de avertendis oculis capi debuerant. Frustra! Petronius c. 127. *Itaque miranti — libuit deae nomen quaerere.* Idem c. 79. *Neque fax ulla [in praesidio erat, quae iter aperiret errantibus, nec silentium noctis iam mediae promittebat* occurrentium lumen. — Ergo Tibullus, dissimulans quis esset, curiosos ac vigiles deprecatur, nomen quaerentes; quo nihil potest esse hoc loco ac tempore appositum magis. Plautus Amphitr. I. 1.

Qui me alter est audacior homo? aut qui me confidentior?
Iuventutis mores qui sciam: *qui hoc noctis solus ambulem?*
Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint?

37. ADSPEXERIT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. ut semper, *aspexerit.*

39—40. IS SANGUINE NATAM, IS VENEREM E RAPIDO] Quidam libri *rabido.* quod cum Fruterio, Livineio et Bentleio ad Lucanum III. 255.

probat Santenius Bibl. Crit. P. III. p. 68. „maris enim saevitiae hoc magis convenit, et *rapido* recurrit versu abhinc quinto proprie de flumine usurpatum." Praepositio *e*, teste Broukhusio, abest a secundo Wittiano: aberat quoque a primo Gebhardi Palatino: „id quod ille elegantius iudicabat. *fortasse solus.*" Accessit nunc Gebhardo Vossius. Equidem tantum abest, ut tollendam arbitrer praepositionem, ut eam potius referendam simul esse censeam ad priorem sententiam ita: *is Venerem* e sanguine, *is* e *rapido mari* natam esse *sentiet.* In hac enim relatione praepositionis quaedam posita est sermonis poetici elegantia, non in ellipsi illa, quam ubique Tibullo obtrusit vir doctissimus, v. c. III. 3. 17.

> *Quidve* in *Erythraeo legitur quae litore concha* —

ubi perperam edidit e coniectura sua, *Quid* vel *Erythraeo* etc. testem citans Ovidium II. A. A. 519.

> Litore *quot conchae, tot sunt* in amore *dolores.*

Enimvero hic locus rem minime demonstrat. Pertinet enim praepositio ad utrumque nomen, eaque in tali orationis structura semel omitti solet de consuetudine Graecorum. Vide Bentleium ad Horatium III. 25. 2. *quae* nemora *aut quos agor* in specus. Virgilius VI. Aen. 415.

> *Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque*
> *Informi* limo *glaucaque exponit* in ulva.

E nostra autem construendi ratione simul efficitur, non esse admittendam Mitscherlichii emendationem:

> *Is Venerem e rabido sentiet* isse *mari.*

Plautus Rud. III. 3. 42. *Te* ex concha natam esse *autumant.* Terentius Heaut. V. 4. 12. *si* ex capite *sis meo* Natus, *item ut aiunt Minervam* esse ex Iove. Ubi priori loco omitti poterat praepositio. Ovidius I. Metam. 162. *scires* e *sanguine natos.* Idem III. Fast. 73. de *cuius* sanguine natus *Credor.* Homerus Il. τ. 105.

> τῶν ἀνδρῶν γενεῆς, οἵθ' αἵματος ἐξ ἐμεῦ εἰσίν.

Nec tamen huic credet coniux tuus: ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de coelo ducentem sidera vidi.
Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.

V. 44. Fulminis — sistit.

44. FLUMINIS — VERTIT ITER] Broukhusius ex uno libro *sistit*, ex altero reposuit *Fulminis*. Et hoc quidem primus omnium invexit Aldus. Priores editiones, ut maxima pars librorum, exhibent *Fluminis*. quae, quidquid contra dicat Vossius — dixit autem non modo in annotatione ad hunc locum, sed etiam in praefatione p. XVIII. — una omnium verissima est scriptura. Nam primum veteres scriptores, quos laudat Broukhusius, istam magicarum artium in *fluminibus* vertendis vel sistendis vim ac potentiam uno propemodum ore confirmant: *fulmina* non nisi Seneca substituit Herc. Oet. 455. et Claudianus III. 158. qui tamen addit:

> Versaque *non prono curvavi* flumina *lapsu*.

Deinde Propertius I. 1. 23. ita de sagis scribit, ut Tibulli locum ob oculos habuisse videatur:

> *Tunc ego crediderim vobis*, *et* sidera *et* amnes
> *Posse Cytaeaeis* ducere *carminibus*.

Accedit Ovidius, qui in manifesta huius loci imitatione *Fluminis* se legisse apud Tibullum, non *Fulminis*, manifesto declarat I. Am. 8. 5 — 18.

> *Inque caput* liquidas *arte recurvat* aquas.

Adde, quem primo loco nominare debebam, Apollonium Rhod. III. 532. de Medea:

> *καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας,*
> *ἄστρα τε καὶ Μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους.*

Haec cantu finditque solum, Manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo.
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
Iam iubet adspersas lacte referre pedem.

Cui consentit Ovidius VII. Metam. 198. Etsi igitur libri quoque Vossiani cum Askew. lectionem *Fulminis* habent, in tanto, tamen caeterorum codicum auctorumque consensu dubium videri vix potest, quin Tibullus scripserit *Fluminis.* — Altera lectio *sistit* exstat etiam in Hamburg. eamque quodam modo firmat Apollonius, non confirmant Ovidius et Claudianus, nec Appuleius mox laudandus. Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Fluminis *haec rapidi carmine* uertit *iter.*

46. TEPIDO DEVOCAT OSSA ROGO] Cod. Dresd. *rapido.* Euripides Or. 416.

ἔκτον τόδ' ἦμαρ· ἔτι πυρὰ θερμὴ τάφου.

devocat ossa, sicut Canidia apud Horatium Ep. XVII. 79.

Possim crematos excitare mortuos.

Megaera apud Claudianum III. 154.

Saepius horrendos Manes sacrisque citavi
Nocturnis Hecaten et condita funera *traxi*
Carminibus victura *meis.*

47. IAM TENET] Ed. a. 1472. et Venett. cum aliis *Iam ciet.* Cyllenius *tenet*, addens: *animarum multitudinem* cum angore *demoratur.* Facio cum iis, qui hanc lectionem retinendam censent, partim quia post *elicit* non bene *ciet* inferri videtur, partim quia eaedem catervae statim iubentur *referre pedem*, in primis vero propter locum Plinii XXXVII. 73. laudatum a Broukhusio: *Anancitide in hydromantia dicunt evocari imagines deorum: Synochi-*

Quum libet, haec tristi depellit nubila coelo:
Quum libet, aestivo convocat orbe nives.

V. 49. Quom. 50. Quom — fugit ab orbe dies.

tide umbras inferorum *evocatas* teneri. Statius, „Omnes fere veteres libri non *ciet*, sed *tenet*." Pro *magico stridore* tres apud Broukhusium *magico sermone*. Appuleius I. Metam. p. 3. *Nae*, *inquit*, *istud mendacium tam verum est*, *quam si qui velit dicere*, magico susurramine amnes agiles reverti, *mare pigrum colligari*, *ventos inanimes exspirare*, *Solem inhiberi*, *Lunam despumari*, *stellas evelli*, *diem tolli*, *noctem teneri*. Haec illa sunt, quae Lucanus VI. 686. dicit, *murmura dissona* vocis, cui inest

Quod trepidus bubo, *quod strix nocturna queruntur*,
Quod strident *ululantque ferae*, *quod* sibilat *anguis*.

Huic dissono vocis stridori Orpheus Argon. 965. substituit *dissonum* aeris strepitum:

ὄρφνινά θ᾽ ἑσσάμενος φάρη καὶ ἀπηχέα χαλκὸν
κρούων ἐλλισάμην· αἳ δ᾽ ὀτραλέως ὑπάκουσαν.

Etsi enim Hesychius explicat in v. Ἀπηχής. ἀπεχθής. quod alio sensu verum est, tamen ἀπεχθέα χαλκὸν, quod vulgo legitur, cum Hermanno mendosum habeo. Plinius H. N. II. 9. *in Luna veneficia arguente mortalitate et ob id* strepitu dissono *auxiliante*. Vulgo *crepitu*. De hoc aeris strepitu vel sono vide Tibullum I. 8. 22.

48. ADSPERSAS] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *aspersas*. Vide v. 37.

50. QUUM LIBET, AESTIVO CONVOCAT ORBE NIVES] Balbus carm. 20. p. 154.

Cantus et hiberno provocat *orbe rosas*.

Ingeniose utitur Tibulli sententia I. 2. 50.

Cum libet, aestivo convocat *orbe nives.*

Quam lectionem bene tuetur Heynius, noster partim imitatione sua; Corvin. et tres mei codices, Veneta 1475. et Rhegiensis 1481. Pro lectione, quam memorat Broukhusius:

Cum libet, aestivo fulgerat orbe deos;

Burmannus Secundus divinaverat *deus* i. e. Iupiter ex Horatio I. Od. 34. 7. Caeterum ***hibernas rosas*** iam habet Martialis VI. 80. SANTEN. p. 1817. Edd. Brix. Rom. et Venetae 1491 — habent, quod Balbus legit, ***provocat.*** Sed *convocat*, quod plurimi exprimunt libri, ut Cod. Paris., melius convenit Ovidiano loco I. Am. 8. 7. glomerantur *nubila coelo*, et confirmatur Ed. a. 1472. In nonnullis libris, Statius ait, rectius legi: ***aestivas convocat ore nives.*** Legitur ita in permultis, idque ipsum recepit Broukhusius. Cur enim, inquit, ***aestivae nives*** minus belle dicantur, quam *hibernae rosae?* Qua de re nemo dubitat. Seneca Ep. 95. *Quid tu illam aestivam nivem non putas callum iecinoribus obducere?* Nempe illam, de qua scribit Xenophon II. Memor. 1. 30. ***καὶ τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς.*** Sed lectionem ***orbe*** confirmat Ovidius l. c. ***Quum libuit, puro fulget in*** orbe ***dies. Orbe*** autem semel mutato in ***ore***, librarius, ***aestivo ore*** perperam scribi intelligens, adiectivum retulit ad ***nives***, rescripsitque ***aestivas.*** Enimvero nives media aestate convocare hoc quidem enorme est et citra probabilitatem! Acuta haec observatio lectionem istam peperit sputatilicam: ***fugit ab orbe dies.*** Seneca IV. Nat. Quaest. 7. ***Rudis adhuc antiquitas credebat*** et attrahi imbres cantibus et repelli. ***quorum nihil posse fieri tam palam est, ut huius rei caussa*** nullius philosophi ***schola intranda sit.*** Credibile est, Senecam, qui paullo ante locum integrum Tibulli I. 7. 26. descripsit, hoc ipsum distichon, quo de agimus, ob oculos habuisse et expressisse. Quid enim interest inter hos ***imbres*** et illas ***nives?*** Dicimus ***diem nivalem***, ut idem Seneca scribit ib. c. 4. ***quum altum frigus et*** triste coelum ***est.*** Atque ita iam apud Homerum

Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
Sola feros Hecatae perdomuisse canes.

V. 52. **Hecates.**

Il. μ. 278—286. promiscue ponuntur *νιφάδες χιόνος* et *Διὸς ὄμβρος*. Pindarus Ol. X. 62. (53.) *βρέχετο πολλᾷ νιφάδι.* Schol. *ἐξέχειτο τοῖς πολλοῖς ὑετοῖς καὶ ὄμβροις.* Vide Ol. VII. 64—89. (34—49.) Sed haec non ita intelligi volumus, quasi Tibullum *nives* pro *imbribus* posuisse credamus, quum nihil quidquam obstet hoc loco, quo minus *nives* pro *nivibus* sumantur. Vide Weichertum Ep. Crit. de C. Valer. Flacci Argon. p. 19. Diodorus Sic. V. 55. de Telchinibus: *λέγονται δ' οὗτοι καὶ γόητες γεγονέναι καὶ παράγειν, ὅτε βούλοιντο, νέφη τε καὶ ὄμβρους καὶ χαλάζας, ὁμοίως δὲ καὶ χιόνα ἐφέλκεσθαι. ταῦτα δὲ καθάπερ καὶ τοὺς μάγους ποιεῖν ἱστοροῦσιν.* Ubi simul notabis dictionem *ὅτε βούλοιντο*, cui respondent formulae Latinae *quum volet*, *quum libet*, *dum placet* etc. quae in locis scriptorum de his praestigiis sedem habent. Propertius IV. 5. 9.

Illa velit, *poterit magnes non ducere ferrum.*

Medea apud Ovidium VII. Metam. 199.

Quorum ope, quum volui, *ripis mirantibus* amnes
In fontes rediere suos, *concussaque sisto,*
Stantia concutio cantu freta; nubila pello,
Nubilaque induco, *ventos abigoque vocoque.*

51. MALAS HERBAS] In quibusdam libris Stat. et Gebhard. non *herbas* legitur, sed *artes.* iudice Broukhusio prave et contra mentem ac morem omnium poetarum. Paullo calidius! Medeae praestigias simpliciter *τέχνας* vocat Pindarus Pyth. IV. 443. *artes* Ovidius VII. Metam. 195. Seneca Oed. 595. *ipsa, quae ritus senis* Artesque *norat*, *stupuit.* Nec obstat huic lectioni, quod Heynius censet, epitheton *malas.* Appuleius II. Metam. p. 25.

Pric. *Cave tibi sed cave fortiter* a malis artibus *et facinorosis illecebris Pamphilae illius, quae cum Milone isto, quem dicis hospitem, nupta est.* Ib. p. 40. Malis *novae nuptae peremptus* artibus *et addictus noxio poculo torum tepentem adultero mancipavi.* Atque ita fortasse scripsit hunc locum exprimens Ovidius I. Am. 8. 5.

> *Illa* malas *artes Aeaeaque carmina* novit.

Vulgo *magas.* Hinc etiam *novercae*, herbas miscentes et non innoxia verba, *malae* vocantur apud Virgilium III. Georg. 282. Sed *malas herbas* plurimi tuentur libri, eaeque Medeae sic tribuuntur, ut κακὰ φάρμακα Circae apud Homerum Od. κ. 213.

52. HECATAE] Hanc scripturam Broukhusius, undecim libris, quibus accedit Cod. Paris., obsecutus, reposuit, ut sibilum insuavem emolliret. *Hecates* Vossius revocavit propter insuavem sibilum, deae illi vel maxime convenientem. Broukhusio accessit Heynius. Sed adeo inconstans est Latinorum in flectendis his nominibus ratio, ut, ubi variant libri, quid scripserit auctor, definiri plerumque nequeat. Frequentius tamen horum nominum genitivi et accusativi latina terminatione *ae*, *am*, quam graeca *es*, *en* exprimi solent, quod innumeris exemplis utriusque generis scriptorum demonstravit Oudendorpius ad Apuleium p. 96. Apud Propertium II. 8. 21. omnes fere libri consentiunt in *Antigonae.* Nam quod quidam habent *Antigone*, non est, quod Burmannus putat, pro *Antigones*, sed pro *Antigonae*, sicut II. 28. 48. alii *Persephonae*, alii *Persephone* habent, nullus *Persephones.* Hanc scribendi rationem primi etiam editores imitabantur, ut Iac. Barynus in carmine Claudiani seorsum edito de Rapt. Proserp. v. c. III. 446. *et* accense *resplendent* equore *circes* (Syrtes.) Procul dubio Propertius III. 12. 27. scripsit:

> *Et* Circae *fraudes, lotosque herbaeque tenaces.*

quod confirmant libri, qui *Circe* habent. Procul dubio Tibullus IV. 1. 61.

Haec mihi composuit cantus, queis fallere posses.
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.

V. 56. *Omittitur* in.

Solum nec doctae verterunt pocula Circes.

Horatius, observante Bentleio ad Ep. XVII. 17. in Carminibus graecas, in Iambis, Sermonibus et Epistolis latinas declinationes libentius usurpavit. Ergo nulla in hac re constantia, frequentissima tamen latina declinatio, quae certe Elegorum generi, nisi caetera obstant, magis convenit quam graeca. Obstare autem hoc loco ait soni suavitatem, horrendae illi deae minime convenientem. Enimvero canes ululant, non sibilant, nisi forte *serpentum ore*, ut Cerberus I. 3. 71. — Heinsius pro *perdomuisse* malebat *perdomat hisce.*

53. QUEIS FALLERE POSSES] Cod. Paris. ut alibi ita hoc etiam loco cum Ed. a. 1472.

Haec mihi composuit cantus, quis *fallere posses.*

56. SI IN MOLLI VIDERIT IPSE TORO] Nonnulli libri pro *ipse* habent *esse*, ut infra v. 58. *esse* pro *ipse.* Ald. 1515. *esse sinu.* quae lectio ne uno quidem confirmatur libro scripto. Sed quaeritur, utrum Tibullus scripserit *in molli toro*, an *molli toro.* Illud adhuc crediderunt editores omnes, hoc solus contendit Vossius, pro argumento adferens quod legitur infra v. 75. *recubare toro*, et I. 5. 26. *secubuisse toro.* Priori loco opponimus exemplum Propertii III. 3. 1. posteriori locum Ovidii III. Am. 9. 54. Ergo res adhuc in integro est. At omittitur in aliquot libris praepo-

sitio! Nempe perierat, ut recte existimat Broukhusius, absorpta ab elemento principe voculae *molli*. „id ita esse indicio est meus codex tertius, in quo paullo aliter aberratum fuit, geminata littera *m: sim moli viderit ipse thoro.*" Nihil potest explicari apertius. Ille tamen contra non periisse praepositionem sed ortam esse ait e vicinitate litterarum similium atque adeo superesse. Vide igitur, ne etiam supersit apud Lucretium II. 34.

Nec calidae citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in *picturis ostroque rubenti*
Iactaris, *quam* si *plebeia* in *veste cubandum est.*

Sed quoniam verendum est, ne huic quoque loco praepositionem eximendam esse dicat vir doctissimus, age proferamus aliquot poetarum exempla, quae istam eximendi facultatem non concedunt simulque demonstrant, in hac ipsa formula eodem versus loco praepositionem *in* adiici solere more consueto. Propertius I. 3. 34.

Sic ait, in molli *fixa* toro *cubitum.*

Ovidius II. Am. 4. 14.

Spemque dat in molli *mobilis esse* toro.

Huc accedit, quod *videre* aliquem *in molli toro* ita plane dicitur ut *εὑρίσκειν τινὰ εὐνῇ ἔνι μαλακῇ* apud Homerum Il. *κ.* 73.

αὐτὰρ ὁ βῆ ῥ' ἰέναι μετὰ Νέστορα ποιμένα λαῶν·
τὸν δ' εὗρεν παρά τε κλισίῃ καὶ νηΐ μελαίνῃ
εὐνῇ ἔνι μαλακῇ· παρὰ δ' ἔντεα ποικίλ' ἔκειτο.

Et hic perpetuus est *Homeri* usus. Nusquam dicitur *κεῖσθαι κονίῃ, ψαμάθοις, λέκτρῳ, δόμοις* pro *ἐν κονίῃ κεῖσθαι* etc. Quare Wolfius, cui hanc observationem debemus (Praef. p. XXXVII.), recte Homero restituit lectionem Aristarcheam Il. *π.* 775. *ὁ δ' ἐν στροφάλιγγι κονίης κεῖτο* — ubi vulgo praepositio omittitur. Sed tantum abest, ut Homerus in hac locutione praepositionem omiserit, ut eam potius ter deinceps posuerit Il. *χ.* 502.

αὐτὰρ ὅθ' ὕπνος ἕλοι, παύσαιτό τε νηπιαχεύων,

Tu tamen abstineas aliis: nam caetera cernet
Omnia: de me uno sentiet ipse nihil.

V. 57. cetera. 58. ille.

εὕδεσκ' ἐν λέκτροισιν, ἐν ἀγκαλίδεσσι τιθήνης, εὐνῇ ἔνι μαλακῇ, θαλέων ἐμπλησάμενος κῆρ.

Ubi cave credas Heynio scribenti, Eustathium legere εὕδεσκεν λέκτροισιν. Legit enim εὕδεσκεν ἐν λέκτροισιν. Est autem perpetuum epitheton lecti bene strati, ut apud Latinos *mollis*, ita apud Graecos μαλακός, neque hoc semper ad luxum et voluptatem referendum est cum Valckenario ad Xenophontis Memor. II. 3. 16. οὐ γὰρ καὶ ὁδοῦ παραχωρῆσαι τὸν νεώτερον τῷ πρεσβυτέρῳ συντυγχάνοντι πανταχοῦ νομίζεται; καὶ οὐ καθήμενον ὑπαναστῆναι καὶ κοίτῃ μαλακῇ τιμῆσαι — quae postrema verba ludimagistro Graeculo quam Socrate digniora, atque adeo eiicienda censet Valckenarius ad Herodotum p. 140. Cui hactenus accedit Ernestius, ut saltem vocem μαλακῇ vitiosam habeat, verba autem κοίτῃ τιμῆσαι interpretetur, locum superiorem *in discumbendo* cedere. Atqui si de discubitu rem intelligi voluit auctor, vox μαλακῇ (ut sensit etiam Zeunius) minime eiicienda est, auctore Homero, apud quem Mentor et Telemachus, supervenientes inter epulas sacras Nestori, ad discumbendum invitantur et a Pisistrato, Nestoris filio, in loco superiore iuxta patrem collocantur κώεσιν ἐν μαλακοῖσιν Od. γ. 56. Quodsi minus placet haec interpretatio, adsumas licet alteram voci κοίτῃ magis accommodatam, duce iterum Homero, eo quidem loco, ubi Achilles, Phoenicem senem prae caeteris legatis honoraturus, hos abire, illum autem noctem apud se transigere iubet εὐνῇ ἔνι μαλακῇ Il. ι. 617. Rem et caussam exhibet Od. ω. 254.

εὑδέμεναι μαλακῶς· ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

Quae quum ita sint, nec locus ille Xenophonti temere abiudicandus neque vero Tibullo praepositio sua subtrahenda est.

57. TU TAMEN ABSTINEAS] Ed. a. 1472.

Quid credam? nempe haec eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos;
Et me lustravit taedis; et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam; nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerat praedas stultus et arma sequi.

V. 64. *Hic finitur El. II. ducto a v. 65. novae Elegiae initio.* 65. quom. 66. Maluerit.

Tu tantum *abstineas aliis nam* caetera *cernet.*

58. IPSE NIHIL] Vulgo *esse.* Cod. Dresd. cum paucis *ille*, probante Heynio. Ed. a. 1472. cum Cod. Paris. *ipse.* Fortasse scribendum *iste.* Philtris magicisque artibus oblivionem omnium, quae viderit gesseritque aliquis, animo offundi docet Iuvenalis VI. 610.

64. NEC TE POSSE CARERE VELIM] Hic clauditur Elegia. SCALIGER.

65 — 78. Quicunque Elegiam accurate perlegerit, fateatur necesse est, eam, si terminetur v. 64., nondum esse omnibus partibus absolutam et consummatam. Iam illud obscurum esse nemini potest, versibus 79 — 98. nihil prorsus contineri, quod ab argumento huius carminis abhorreat. Quaeritur, an versus 64 — 65. inter se cohaereant et particulae illi, quam indicavimus 65 — 78. an aliquid insit, quod ab hac Elegia sit alienum. Hoc cum Scaligero, Broukhusio, Heynio affirmat Vossius; negat cum aliis

Wunderlichius, qui asteriscos, ab Heynio interpositos, delevit. Sed asteriscos delere non est contextum restituere. Ante tollendum est turpissimum scripturae mendum, quam de contextu disputatio suscipiatur. Quae autem ista verborum structura est: *Ferreus ille fuit, qui maluerit?* Hoc ferendum non esse probe intellexit Scaliger, corrigens *fuat — possit*; nec male scribit Heynius: si *fuit* absolute positum est, debebat sequi *maluit*. Quod adeo verum est, ut, nisi alia scriptura in promptu esset, vulgatae longe praeferrem hanc emendationem:

> Maluit et *praedas stultus et arma sequi.*

Vide III. 2. 1—4. Verum tum de alio homine, non de Tibullo sermo foret, quem se ipsum his versibus designare censet etiam Vossius. Quid vero? Nonne manifesto diversos homines designant *Ille* et *Ipse?* Noli dubitare, quin *Ille* sit pristinus amator, *Ipse* contra Tibullus. Nec hoc absurdum postea videbitur Vossio, ubi cognoverit, eandem cantilenam cani non a *gallo gallinaceo*, sed a Propertio III. 20. 1 — 10.

> *Durus, qui lucro potuit mutare puellam!*
> *Tantine in lacrimis Africa tota fuit?* —
> *Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.*
> *Fidus ero. in nostros curre, puella, sinus.*

Accipiamus igitur lectionem, quam offert unus e Vossianis libris, eamque auctori restituamus:

> *Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere,*
> Maluerat *praedas stultus et arma sequi.*

Haec structura non magis vitiosa est quam, qua utitur Cicero de Or. I. 7. *Venisse eodem*, socer eius qui fuerat, *Q. Mucius dicebatur.* Ex his, nisi omnia me fallant, consequitur, nullam esse intercapedinem in progressu carminis a v. 64. ad v. 65. „ego te carere posse nolim, nec similis esse velim illi, qui, te relicta, praedas sequi maluit." Num quid vero inest reliquis, quod huic proposito repugnet? Prorsus nihil! „Sit ille, quam velit, dives. Nihil impedio. Ego vel tenuissima sorte contentus sim, modo te-

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat et in capto Martia castra solo;
Totus et argento contextus, totus et auro,
Insideat celeri conspiciendus equo.

cum mihi vivere liceat. Nam quid prosunt divitiae, adverso Amore?" At fortasse — sic pergit v. 79. — caussa huius infortunii repetenda est a laeso Veneris numine? — Quam vellem omnes Propertii Elegiae tam pulchre procederent! Ed. a. 1472.

Ferreus ille fuit qui te
quem (quam) *posset habere.*

67. CILICUM VICTAS AGAT ANTE CATERVAS] Ed. a. 1472. *cylicum*. Broukhusius *vinctas* edidit. quod de triumpho capiendum foret vel de hostibus captis, quos victor, finita pugna, ante se agit in castra. Quintilianus VIII. 3. 69. *acti ante suum quisque praedonem catenati.* Sed *victas*, quod plurimi habent libri, retinere et locum de hostium fuga sumere praestat cum Santenio Bibl. Crit. P. III. p. 68. ubi laudat Virgilium III. Georg. 552. Adde, quod ib. legitur v. 120.

Quamvis saepe fuga
versos ille egerit
hostes.

Homerus Il. ε. 95.

τὸν δ' ὡς οὖν ἐνόησε Λυκάονος ἀγλαὸς υἱὸς
θύνοντ' ἂμ πεδίον, πρὸ ἕθεν κλονέοντα φάλαγγας.

69. ARGENTO CONTEXTUS, TOTUS ET AURO] Balbus carm. 2. p. 135.

At tuus argento chlamydem contectus
et auro
Miles io! magna voce, triumphe, canet.

Confirmat veriorem in Tibullo lectionem I. 2. 69. *Totus et argento* contectus — iudice Schradero Emendat. cap. 6. p. 113. SANTEN. p. 1798. Unus Stat. *contectus*. Cod. Paris.

Totus et argento totus contectus *et*
auro.

Eadem lectionis varietas est apud Appuleium II. Metam. p. 134. Oud. *Et*

Ipse boves, modo sim tecum, mea Delia, possim
Iungere, et in solo pascere monte pecus;

V. 71. tecum modo sim, mea. 72. pecus!

opipare citro et ebore nitentes lecti, aureis vestibus intecti. Ubi vulgo legitur *intexti*. Praestat *intecti* vel etiam *iniecti*. Vide Homerum Od. η. 96. Horatium II. Serm. 6. 102. Sed Tibullus procul dubio scripsit *contextus*, translato verbo ad hominem, quod proprie ad vestem pertinet, quemadmodum Propertius *praetextum senatum* dicit, qui praetexta ornatus est, IV. 1. 11. Graeci similiter *εὐπάρυφον* dicunt non modo vestem sed etiam hominem *εὐπαρύφῳ* veste intectum, in primis *militem gloriosum*, de quo vide Böttigerum ad Terentii Eun. p. 52. nec dissimiliter Rufinianum *χρυσοκόλλητον* vocat auctor incertus carminis, quod edidi in Anal. Crit. p. 266. *totum auro conglutinatum*. Virgilius II. Georg. 221.

Illa tibi laetis intexet *vitibus ulmos*.

Vestem igitur poeta considerat ut partem eius, qui illam gerit, quae est Gesneri animadversio ad Claudianum VIII. 606.

Talis Erythraeis intextus *nebrida gemmis*
Liber agit currus.

Quid? quod ipso verbo *contextus*, item ut Tibullus, utitur Eugraphius ad Terentium Heaut. II. 3. 54. — *ea texebat una, pannis obsita* — scribens: cum ancilla ea texebat *pannis ipsa contexta*. Sed locum Tibulli in primis illustrat Lucianus Dial. Meretr. XIII. ubi Leontichus res gestas enarrat: *ὅπως μὲν προεξήλασα τῶν ἄλλων ἱππέων ἐπὶ τοῦ ἵππου τοῦ λευκοῦ, ὅπως δὲ οἱ Γαλάται, καίτοι ἄλκιμοι ὄντες, ἔτρεσαν εὐθὺς ὡς εἶδόν με, καὶ οὐδεὶς ἔτι ὑπέστη. — Ἀλλ' ἐγὼ τολμήσας παρῆλθον ἐς τὸ μέσον, οὐ χεῖρον τοῦ Παφλαγόνος ὡπλισμένος, ἀλλὰ πάγχρυσος καὶ αὐτός.* Huic Leonticho simillimus est homo, quem oblique sugillat Tibullus.

71. IPSE BOVES, MODO SIM] Edd. veteres, in his princeps omnium a. 1472.

Et, te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis in inculta sit mihi somnus humo.

V. 73. O, te dum teneris liceat.

Ipse boves mea si tecum modo Delia possem.

quam verborum structuram retinens Scaliger *si* mutavit in *sim.* Et sic Heynius edidit. Concinnior est, etiam de iudicio Broukhusii, verborum collocatio in uno Statiano, *modo sim tecum mea Delia.* Cod. etiam Paris.

Ipse boves modo si tecum mea Delia possim.

Nullo libro confirmatur lectio inconciuna: *Ipse boves tecum — possim iungere.* Homerus Il. *v.* 495.

ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους — .

72. ET IN SOLO PASCERE MONTE PECUS] Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Iungere et insolito *pascere monte pecus.*

73 — 74. ET, TE DUM LICEAT] Ed. a. 1472.

Et te dum liceat teneris retinere lacertis,

Mollis et in culta *sit mihi somnus humo.*

Ita etiam Cod. Paris. nisi quod *tenuisse* habet pro *retinere.* Iam *O* pro *Et* emendatio prorsus inutilis est, quae orationis contextum satis interrumpit. At repetitur *et* v. 74. Recte. Sed lectio incerta est. In quibusdam libris legitur *et in nuda.* In codicibus Statianis, secundo Vaticano aliisque *in inculta:* omnium optime, inquit Broukhusius, *nisi me aures fallunt.* idque reposuit laudans Ovidium II. A. A. 525.

Perfer in i*mmunda ponere corpus humo.*

Ubi eodem modo variant libri. Alii enim *et in nuda* habent, alii *in dura,* ut h. l. corrigebat Dousa. Illud debetur Heinsio. Propertius IV. 2. 28.

Corbis in i*nposito pondere messor eram.*

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, quum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidae ducere possit aquae.

V. 76. quom. 78. posset.

Exciderat casu praepositio. Ergo alii scribebant *Corbis* et *inposito.* alii *Corbis* ab *inposito.* Plurimi libri vulgatam tuentur. Ib. II. 26. 36.

> *Velaque* in *incertum frigidus Auster agat.*

75—76. QUID — VENIT?] Ed. Veneta a. 1475. quam Broukhusius principem vocat, cum nonnullis libris ita distinguit:

> *Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo*
> *Prodest?* cum *fletu nox vigilanda venit.*

Quae interpunctio an etiam extet in Ed. principe, signo interrogationis raro instructa, notatum non reperio. Adsumpsit eam Pulmannus. „Hoc peperit confusio adverbii *quum* et *cum* praepositionis: quae et hodie iisdem literis exarari solent, non sine crebra legentium haesitatione." Verba sunt Broukhusii. Quodsi Tibullus *cum* scripsisset pro *quum*, praetulisset, credo, hanc structuram: *nox fletu cum vigilanda venit.* Sed nescio an praeferenda sit Ed. Venetae interpunctio, quum respondere sibi videantur *sine amore secundo* et *cum fletu.* Certe rectius dicas *noctem vigilandam venire* cum *fletu*, quam *fletu* simpliciter. Eodem incommodo laborat lectio *malis* pro *modis* infra I. 8. 64.

> *Est mihi nox multis evigilanda modis.*

77. NAM NEQUE TUM PLUMAE] Ed. a. 1472.

Num Veneris magnae violavi numina verbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse Deorum,
Sertaque de sanctis deripuisse focis?

V. 80. Ut — luat? 82. diripuisse.

Nam neque tunc pluviae: *nec* —

Cod. Paris.

Nam neque tunc *plumae, nec stragula picta* sopore.

78 — 79. Heynius his versibus asteriscos suos interposuit addens: In iis, quae interciderunt, magnum malum, quod in amore expertus esset, exposuerat. — Magnum illud malum est *exclusio,* de qua agitur disertis verbis per totam Elegiam. Non magis hic aliquid excidit, quam apud Propertium II. 8 — 9. ubi de aegrotante conquerens amica subito ita pergit poeta:

Num sibi collatam doluit Venus? *illa peraeque*
Prae se formosis invidiosa dea est.
An *contempta tibi Iunonis* templa *Pelasgae?*
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, *hoc tibi forma dedit.*

80. ET MEA NUNC POENAS IMPIA LINGUA LUIT?] Cod Paris. et Ed. a. 1472.

Et mea num *poenas impia lingua luit?*

Colot. 2. *Ut luat.* Sic infra II. 4. 4. *teneorque catenis* Et *numquam misero vincla* remittit *Amor:* Colot. 1. et Exc. Lips. *Ut remittat.* ex interpolatione, quia proximus versus iterum incipit: Et *seu quid merui —.* Sed vide v. c. Propertium I. 18. 27 — 29.

81. INCESTUS] Ed. a. 1472. *incaestus.*

82. DERIPUISSE] Codd.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto.
Mox tibi non vacuus saeviet usque Deus.

V. 87 — 88. caveto Mox tibi; non uni. Guelf. 1. 2. Edd. Venet. 1491. cum aliis *eripuisse.* Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *diripuisse*. Sed ut recte dicas *serta diripere*, nemo tamen dixerit *serta diripere* de *loco*. Recte Turnebus emendavit *deripuisse*. Plautus Rud. III. 5. 4.

Meas quidem te invito, et Venere et summo Iove,
De ara *capillo iam* deripiam.

Ubi Rittershusius: „*Deripere* est deorsum rapere vel trahere. Tibullus:

Sertaque de sanctis deripuisse *focis.*"

Cicero Verr. IV. 50. *Ennae tu simulacrum Cereris tollere audebas? Ennae tu* de manu *Cereris Victoriam* deripere *et deam deae* detrahere *conatus es?* Idem pro Sulla c. 1. *Quantum de mea auctoritate* deripuisset, *tantum de huius praesidiis deminuturum.* hoc est, detraxisset. Forcellinus: „Male qui legunt *diripuisset.*" Vide, quae dicentur infra ad I. 10. 60. Plauto convenit cum Aeschylo Suppl. 922. (910.)

Ἕλξειν ἔοιχ' ὑμᾶς ἀποσπάσας κόμης.

87—88. CAVETO MOX TIBI.] Interpunctionem editionis Heyn. quam exhibent etiam Venetae 1491 — mutavi, assumpta ea, quam exprimunt aliae, ut Plantin. Ineptum enim est dicere *caveto* mox *tibi*, quum periculi tempus incertum sit. *Dic*

Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem;

mihi Mox *istud, Postume, quando venit?* Nemo ita scribit. Tibullus I. 5. 69.

At tu, qui potior nunc es, mea fata caveto,

vel *timeto*. Verum, quo quisque est prudentior, hoc magis

Commisisse cavet, *quod* mox *mutare laboret.*

Plautus Stich. I. 2. 64.

Qui potest mulieres vitare, vitet: ut quotidie

Pridie caveat, *ne faciat quod pigeat* postridie.

Clarum igitur et perspicuum est, verba *Mox tibi* coniungenda esse cum verbis *saeviet deus*. Hic deus in libris scriptis dicitur vel *non unus*, ut in Cod. Paris. et Ed. a. 1472. quod inde manavit in Edd. Venet. vel *non vanus*, quod exstat in Ald. 1502. et Plant. Sola Exc. Perreii habent *non uni*, quod speciem prae se fert interpolationis. Mox tibi, *non uni*, id est *mihi, saeviet usque deus.* Quidni potius scripserit: *Mox tibi, non nobis?* Et hoc fortasse retinerem, nisi exquisitius aliquid latere suspicarer in lectione *non vanus*, quam plurimi servant libri. Nempe legendum censeo:

Mox tibi non vacuus *saeviet usque deus.*

Hic est, quem Ibycus dicit, apud Athenaeum XIII. p. 601. B. *Ἔρος οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν.* Propertius I. 1. 33.

In me nostra Venus noctes exercet amaras,

Et nullo vacuus tempore *defit Amor.*

Unde etiam confirmatur lectio *usque*, cui Ald. 1515. substituit *ipse*. Propertius I. 10. 29.

Is poterit felix una remanere puella,

Qui numquam vacuo pectore *liber erit.*

89. QUI IUVENUM MISEROS LUSISSET AMORES] In multis Achillis Statii li-

Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas;
Stare nec ante fores puduit, caraeve puellae
Ancillam medio detinuisse foro.

bris non *iuvenum* erat, sed *iuvenem;* quod habet etiam Ed. a. 1472.; in nonnullis *lesisset.* Hinc Scaliger miram hanc concinnavit lectionem, quam, quod ipse facere non ausus erat, in contextum intulit Broukhusius: *Vidi ego, qui iuvenem seros desisset amores.* Santenius Bibl. Crit. P. III. p. 70. emendat: *qui iuvenis — risisset amantes.* Equidem huic emendationi cum alia opponens tum Meleagri ep. XXXVI. (Epist. Crit. p. 105.) hoc responsum tuli a Santenio litteris privatis: „Recte mihi adhuc videor reprehendisse Heynium, quod iuvenum amores explicavit, *quibus in puellas feruntur,* cum debuisset exponere: quibus in ipsum illum lusorem, in puerum, ferebantur. Eodem modo ut Eleg. VIII. 71.

Hic Marathus quondam miseros ludebat *amantes,*

id est sine dubio: se Marathum amantes. eumque ipsum sensum, ut nunc est, amplexus, reiectâ meâ coniecturâ, tecum Heynianae lectioni, non *acquiesco* quidem, quia hoc argenteae est Latinitatis, sed assentior. *iuvenum amores* sunt παιδεραστία. Conf. Heinsium et Burmannum ad Ovid. XVI. Her. 240." Egó ut in tota illa Epistola non acquiesco, ita nec assentior sententiae, quam amplexus fuerat vir desideratissimus. Tu vide Burmannum in Addend. Tom. IV. p. 246. et confer Ovidium X. Metam. 575.

Dixerat, ac nimios iuvenum *damnarat* amores.

93. STARE NEC ANTE FORES PUDUIT] Ad huius loci exemplum Pontanus interpolavit versum suspectum III. 4. 65.

Saevus Amor docuit validos tentare labores.

Hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta;
Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus; semper tibi dedita servit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

V. 95. arcta. 97. servit.

Pontanus ita:

Flere nec ante pedes pudeat, *dominamque vocare.*

97. AT MIHI PARCE, VENUS] Ed. a. 1472. *At mihi* par te *Venus, semper tibi dedita* seruit.

ELEGIA III.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei!

V. 1. *clauditur maiore interpunctione.* 2. tuque coh.

ELEGIA III.

„Ad Messalam." Ed. pr. a. 1472. et Vicent. Ed. Rheg. Lep. ita: „Ad Messalam conquerens quod apud pheacas aegrotet et laudat primam aetatem et demum (*deam* vel *Venerem*) se ducentem *ad* Elisios Campos." Hoc pertinet ad v. 58. ubi haec Editio in contextu habet *in*.

1 — 2. IBITIS — MESSALA] Exquisita haec orationis structura, quam dixerim Homericam, fraudi interdum fuit viris doctissimis, ut Heathio ad Sophoclis Phil. 369.

Ὦ σχέτλι', ἦ τολμήσατ' ἀντ' ἐμοῦ τινι
Δοῦναι τὰ τεύχη τἀμὰ, πρὶν μαθεῖν ἐμοῦ;

et Heumanno ad Virgilii IX. Aen. 525.

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.
Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus!

Vos, o Calliope, *precor, adspirate canenti.*

Ille corrigit σχέτλιοι, hic peius etiam:

Vos, o Calliopae, *precor, adspirate canenti.*

Homerus Od. μ. 80.

Μέσσῳ δ' ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδὲς
Πρὸς ζόφον, εἰς Ἔρεβος τετραμμένον· ἧπερ ἂν ὑμεῖς
Νῆα παρὰ γλαφυρὴν ἰθύνετε, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ.

Neque vero primus versus a secundo separandus erat maiore interpunctione, quae interrumpit orationis, prope dixerim Messalae comitumque iter. — Unus Passeratii liber *tuque*. Quam lectionem cave credas firmari exemplis in speciem similibus, v. c. Catulli XXVIII.

Pisonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis et expeditis,
Veranni optime, tuque, *mi Fabulle,*
Quid rerum geritis? —

vel potius Ovidii Heroid. VI. 142. quem Vossius, receptae adversarius scripturae, citat:

Dic age, si ventis, ut oportuit, actus iniquis,
Intrasses portus tuque comesque *meos.*

Nam Tibullus ut formam orationis Homericae hoc disticho expressit, ita etiam orationem Homeri, *ipse* ut *αὐτὸς* de Messala ponens, inter comites eminente. Homerus Il. ν. 330.

οἱ δ' ὡς Ἰδομενῆα ἴδον, φλογὶ εἴκελον ἀλκὴν,
αὐτὸν καὶ θεράποντα σὺν ἔντεσι δαιδαλέοισι —.

3. IGNOTIS AEGRUM PHAEACIA TERRIS] Ed. a. 1472.

Me tenet ignotis aegrum phaeatia *terris.*

Caeterum et hoc nomen

proprium et reliqua omnia minori ab initio littera scribuntur. — Perperam Broukhusius corrigit *tectis*. Virgilius V. Aen. 870.

> *Nudus in* ignota, *Palinure, iacebis* arena.

Sed Tibullus ob oculos habuisse videtur, quem infra pressius imitando persequitur, Sophoclem El. 1136.

> νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων, κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγάς,
> κακῶς ἀπώλου, σῆς κασιγνήτης δίχα·
> κοὔτ' ἐν φίλῃσι χερσὶν ἡ τάλαιν' ἐγὼ
> λουτροῖς ἐκόσμησ', οὔτε παμφλέκτου πυρὸς
> ἀνειλόμην, ὡς εἰκὸς, ἄθλιον βάρος.

4. ABSTINEAS AVIDAS, MORS, PRECOR, ATRA, MANUS] Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

> *Abstineas avidas mors* modo nigra *manus.*

Hic locus notabilis est propter *manus Mortis*, quas nescio an debeat Tibullus, ut totam locutionem, Homero. Nam Il. φ. 548. Apollo adstans Agenori, ut mortem avertat,

> ἐν μέν οἱ κραδίῃ θάρσος βάλε, πὰρ δέ οἱ αὐτὸς
> ἔστη, ὅπως Θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι.

Ibi Heynius notans locutionis insolentiam addit in Observationibus, Barnesium emendasse κῆρας. Atqui haec non est emendatio Barnesii, sed lectio Eustathii, qui ne commemorat quidem χεῖρας, sed solas κῆρας, quas reposuit post Barnesium Wolfius. Nec tamen Eustathius offendit in simili loco Il. α. 97. de Apolline:

> οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει·

nec hoc dicendi genus ab usu Homerico abhorret. Quod Pindarus dicit Ol. II. 125. ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχήν· id Homerus exprimit Od. χ. 316. κακῶν ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι. Sed longe insolentius, sincerum tamen illud est, quod scribit Pindarus de Achille Nem. III. 101. ὄφρα θαλασσίαις ἀνέμων ῥιπαῖσι πεμφθεὶς ὑπὸ Τροΐαν, δορίκτυπον ἀλαλὰν Λυκίων τε προσμένοι καὶ Φρυγῶν Δαρδάνων τε, καὶ ἐγχεσφόροις ἐπιμίξαις Αἰθιόπεσσι χεῖρας ἐν φρεσὶ πά-

ξαιϑ', ὅπως σφίσι μὴ κοίρανος ὀπίσω πάλιν οἴκαδ' ἀνεψιὸς ζαμενὴς Ἑλένοιο Μέμνων μόλοι. Quem locum omnium optime explanavit Heynius. Verum Hermannus, interpungens post χεῖρας, reliqua interpretatur, *ut eam animo infigeret sententiam*, ne Memnon rediret. „Nam, ut taceam, ἐπιμίξαις nudum poni non posse, recte quidem Nem. VII. 83. dicitur ἔπαξε διὰ φρενῶν ξίφος, sed de manibus idem immane et foedum foret.“ Enimvero nec nudum ponitur ἐπιμίξαις, si quidem vox χεῖρας ad utrumque verbum referri debet, nec immane foedumve est, manibus tribuere quod manuum vi impingitur, si quidem eodem modo scribit Sophocles, poeta humanissimus, Ai. 97.

ἦ καὶ πρὸς Ἀτρείδαισιν ᾔχμασας χέρα;

Sed adeo insolens visa est haec dicendi figura viris doctis, ut, quoties occurreret, toties ei substituerent vel insolentiorem vel certe minus probabilem. Nam ut Marklandus Homero, ita Iacobsius Pindaro substituit κῆρας, Musgravius Sophocli ᾕμαξας, quamvis Scholiastes explicet accurate ᾔχμασας. σὺν αἰχμῇ ἐκίνησας. Euripides Or. 265.

βεβλήσεταί τις ϑεῶν βροτησίᾳ χερί;

Monstra coniecturarum peperit, qui vel solus lectionum illarum sanitatem demonstrat, insignis Propertii locus I. 9. 29. de Amore:

Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.

A quo loco corrigendo imposterum, spero, se abstinebunt Critici nostri. Sagittae manu mitti dicuntur, ut apud Sophoclem Trach. 565. Hercules in Nessum χεροῖν ἧκεν κομήτην ἰόν. Ergo hoc dicit Propertius: Amor non ante patet, quam *manus*, id est, *sagitta* manu eius emissa *attigit ossa*. Cum Homericis locis comparandus in primis est Sophoclis Ai. 50. ubi, quaerente Ulysse: Καὶ πῶς ἐπέσχε χεῖρα μαιμῶσαν φόνου; respondet Minerva: Ἐγώ σφ' ἀπείργω. Quae verba ita construenda sunt: καὶ πῶς ἐπέσχε φόνου χεῖρα μαιμῶσαν; *et quomodo manum avidam abstinuit* vel *cohibuit a caede?* Homerus Il. ν. 75. et 77. de eodem Aiace: Οὕτω νῦν καὶ ἐμοὶ περὶ δούρατι χεῖρες ἄαπτοι Μαιμῶσιν.

Abstineas, Mors atra, precor; non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa perusta sinus;
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis;

V. 7. condat.

Ubi Eustathius, laudans locum Sophoclis, construit *μαιμῶσαν φόνου*. Vereor, ut recte. Aeschylus Suppl. 909. (895.) absolute: *Μαιμᾷ πέλας δίπους ὄφις*. Homerus Od. *υ*. 266. *Ὑμεῖς δὲ, μνηστῆρες, ἐπίσχετε θυμὸν ἐνιπῆς Καὶ χεῖρας*. De Morte item ut Tibullus scribit Callimachus ep. II. 5.

Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων
Ἁρπακτὴρ Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ·

et, qui Callimachum imitatur, Ovidius III. Am. 9. 19. *Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat: Omnibus obscuras iniicit illa manus.*

7. CINERI QUAE DEDAT ODORES] Consentiunt omnes libri in verbo *dedat*, quod horridule dici visum Broukhusio ipse mutat in *fundat*, Heynius in *reddat* vel *didat*, — quod unice placet Wakefieldio ad Lucret. VI. 2. — Vossius in *condat*. Et hic quidem inventum suum more solito in contextum invexit. Laudatur Plinius XII. 5. 7. odor *foliorum in vestes una* conditus. Plinius de malo Assyria agens ita scribit: *Pomum ipsum, alias non manditur:* odore *praecellit foliorum quoque*, qui transit in vestes una conditus. — Hinc colligitur, Tibullum scripsisse: *cineri quae* condat *odores*, id est, quae odores condat una cum cinere in urnam, vel, ut editor ipse explicat, *quae* in honorem cineris, *in urna conditi*, *Assyrios odores condat*. Praestat dubiam lectionem retinere, quam contortam substituere, dubium adeo Antiquitatis ritum pro certo inferentem. Nam Vul-

Delia non usquam: quae me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.

pius, qui primus unguenta in urnam recondita esse statuit, nullo veteris scriptoris exemplo rem comprobavit. At sepulcris et cippis unguenta adspersa fuisse, satis constat; et hunc ritum illustrat Kirchmannus. Quo pertinet locus Tibulli III. 2. 22. ubi iubentur Neaera cum matre ossa *in marmorea ponere* sicca *domo:* additurque deinceps:

Illuc, *quas mittit dives Panchaia merces,*
Eoique Arabes pinguis et Assyria;
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem.

Propertius III. 16. 23.

Adferet huc unguenta mihi, *sertisque sepulcrum*
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

Sed huius ritus vestigia iam extant in Agamemnone Aeschyli, Syria etiam vel Assyria unguenta commemorantis v. 1322. ubi Cassandrae vaticinanti:

Ὅμοιος ἀτμὸς, ὥςπερ ἐκ τάφου, πρέπει·

Chorus respondet,

Οὐ Σύριον ἀγλάϊσμα δώμασιν λέγεις. —

His scriptis vidi, Vulpii doctrinam firmari posse hoc loco Ovidii III. Trist. 3. 65.

Ossa tamen facito parva referantur in urna.
Sic ego non etiam mortuus exsul ero —

Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce:

Inque suburbano condita pone solo.

9. QUAM MITTERET URBE] *Quam* emendatio est Dousae. Vulgo *quum*, vel *cum*, ut est in Ed. a. 1472. et Cod. Paris. Error ortus inde est, quod non intelligerent editores, *quam* pertinere ad *ante*, et hoc esse pro *antequam.* Martialis IX. 36. 6. *Victricem laurum, quam venit, ante vides.* Recte Vulpius comparat Propertii II. 25. 25.

Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Retulit e triviis omina certa puer.

V. 12. Rettulit e trinis.

An prius *infecto deposcit praemia cursu,*
Septima quam *metam triverit* ante *rota.*

Ubi Ant. Volscus primus edidit *arte*, quod in vetustis Codicibus se reperisse affirmat Heinsius. Burmannus in omnibus libris reperit *ante*. Nec hoc propterea deserendum est, quia praecessit *prius*. Homerus Il. ε. 218.

πάρος δ' οὐκ ἔσσεται ἄλλως,
Πρίν γ' ἐπὶ νὼ τῷδ' ἀνδρὶ, σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν,
'Αντιβίην ἐλθόντε, σὺν ἔντεσι πειρηθῆναι.

Ib. 287.

ἀτὰρ οὐ μὲν σφῶΐ γ' ὀΐω
Πρίν γ' ἀποπαύσασθαι, πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα
Αἵματος ἆσαι 'Αρηα.

hoc est, non *prius* vos cessaturos esse arbitror, *antequam* alteruter satiaverit — vel, ut *Latini* interdum scribunt, *quam* alteruter *ante* satiaverit:

Haud cessaturi prius *a certamine belli,*
Sanguine quam *alteruter tinxerit* ante *rotam.*

Alii *solum* pro *rotam.* Ergo recte Broukhusius (nisi fallor) primus cum Propertio comparavit Virgilium IV. Aen. 24.

Sed mihi vel tellus optem prius *ima dehiscat,*
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante, *Pudor*, quam *te violo, aut tua iura resolvo.*

11. SORTES TER SUSTULIT: ILLI] Ed. a. 1472.

Illa sacras pueri sortes ter sustulit: ille
Rettulit e triviis omnia *certa puer.*

12. E TRIVIIS PUER] Lego, *Rettulit et* (e) *trinis*, et ad sortes refero.

Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.

V. 13—14. reditus. Tamen haud deterrita frustra est, Quom—.

Veteres tamen libri cum vulgatis consentiunt. MURET. Hinc Broukhusius edidit *e trinis*, probante etiam Heynio. Scaliger *puerum e triviis* Latine ita dici observat, ut *de circo Astrologi*. Adde quod in epigrammate Stratonis dicitur, παιδίον ἐξ ἀγέλης. Illud pertinet ad locum Ennii apud Ciceronem I. de Div. 58.

> *Non habeo denique nauci Marsum augurem,*
> *Non haruspices* vicanos, *non* de circo *Astrologos,*
> *Non* Isiacos coniectores, *non interpretes somnium* —
> *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*

Catullus XXV. 5. ex ed. Scalig.

> *Quum* de via mulier *aves ostendit oscitantes.*

13 — 14. TAMEN EST DETERRITA NUMQUAM, CUM FLERET] Ita Ed. a. 1472. et Cod. Paris. — Edd. Venet. 1491. 93. *tamen est deterrita nunquam Quom flecteret.* Ed. Vet. ut Aldd. *Quin fleret.* Nulla editio habet, quae paucissimorum lectio librorum est: *tamen haud deterrita frustra est* —. Neque sane video, quid in recepta lectione reprehendi iure possit. *Numquam* hoc loco capi potest pro *non*. Naevius apud Macrobium VI. 1. Numquam *hodie effugies, quin mea manu moriare.* Quod ita imitatur Propertius II. 8. 25. *Sed* non effugies: *mecum moriaris oportet.* Recte etiam Broukhusius monet: „Aliquando *deterrere* idem notat quod *aliter persuadere:* interdum ponitur pro eo quod est *dehortari*, dissuadere, rationibus adducere, ut hoc vel illud non facias:" laudans Plautum Mil. II. 3. 61. *Me homo nemo* deterruerit, quin *ea sit in his aedibus.* Accedit Ruhnkenius ad Terentii Heaut.

Ipse ego solator, quum iam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.

V. 15. quom. 18. Saturnive — timuisse.

I. 1. 26. Sed huc in primis pertinet narratio Appuleii IV. 80. p. 290. Oud. de puella a latronibus capta: *At illi intro vocatae anui praecipiunt, assidens eam blando, quantum posset, solaretur alloquio: seque ad sectae sueta conferunt.* Nec tamen puella quivit *ullis aniculae sermonibus* ab inceptis fletibus avocari. — *Ad haec anus subiratior dicere eam saeviore iam vultu iubebat,* quid malum! fleret? — *Quod si pergis ulterius, iam faxo, lacrimis istis, quas parvi pendere latrones consuevere, insuper habitis, viva exurare.* Tali puella sermone deterrita, *manuque eius exosculata, Parce, inquit, mi parens etc.* Ego quamvis hoc agens nullum sensum extorquere possum ex altera lectione: *tamen haud deterrita frustra est, Quum fleret.*

17—18. AUT EGO SUM CAUSSATUS AVES] Edd. veteres, ut plurimi libri scripti:

> *Aut ego sum caussatus, aves dant omina dira.*

Primus Scaliger recte edidit, *aut omina dira.* Propertius IV. 4. 21.

> *Saepe illa immeritae caussata est omina Lunae.*

Sed Scaliger versum maiorem cum minore ita per emendationem coniungit: *aut omina dira Saturni* sacra *me tenuisse* die. Nempe particula *aut* post *Saturni* desiderabatur in libris Scaligeri. Exstat tamen in aliis, etiam in Ed. Venet. 1475. inter

O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere Amore,
  Aut sciat egressum se, prohibente Deo.

V. 21. nemo.

cuius lineas, teste Broukhusio, vir doctus notaverat: *Saturnive sacram.* Lectio suspecta nec digna, quae praeferatur receptae, nihil duri nec, quod *auribus molestum* sit, habenti. Atque hinc manifesto efficitur, Ed. a. 1475. non esse descriptam ex Ed. 1472. quae hoc distichon ita exhibet:

Aut ego sum causatus aves: dant omina dira,
  Saturni *sacram me tenuisse diem.*

— Libri Statiani, *timuisse.* Quod qui praeferunt, vereor, ne Tibullum faciant Iudaeum. Iudaei enim ex suae religionis ritu et sermone proprie dicuntur, etiam a Romanis scriptoribus, *metuere, timere sabbata*, pro *religiose observare*, *colere.* Iuvenalis XIV. 96.

Quidam sortiti metuentem sabbata *patrem*
Nil praeter nubes et coeli numen adorant —
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum *ediscunt et servant ac* metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Persius V. 184.

Labra moves tacitus recutitaque sabbate palles.

Verum qui Iudaeorum superstitione contacti iter facere die sabbati dubitabant Romani, ut Tibullus, eos Saturni dies rectius dicitur *tenere* vel, quod Ovidius scribit, *morari*, Rem. Am. 219.

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
  Sabbata, *nec damnis Allia nota suis.*

Plautus Amph. II. 2. 58.

An te auspicium commoratum est? *an tempestas* continet?

21. NE QUIS DISCEDERE] Nemo adhuc aurium

Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te — memini — et puro secubuisse toro?

V. 24. totiens.

iudicio vel potius fastidio plus umquam tribuit, quam Vossius. Velut hoc loco offendit eum παρήχησις syllabarum *quis dis;* cumque in quibusdam libris, ut in Cod. Paris., legatur *neu* pro *ne,* veram lectionem esse statuit *nemo*, eamque in contextum invexit. Sic supra I. 2. 17. *seu quis iuvenum* eadem de causa editum pro *seu quis iuvenis.* I. 6. (7.) 59. *Tunc procul absitis, quisquis colit.* Ubi hanc induxit scripturam singularem: *Tum: „Procul hinc absit, quisquis colit — via!"* IV. 2. (1.) 16.

Vellera det succis bis *madefacta Tyrus.*

Ibi librarius quidam dissipatus temere exaravit *ter* madefacta, ut interdum nigrum exaratur, ubi album debebat. At ille contendit, Tibullum sibili odio et fuga, teste librario illo, scripsisse:

Vellera det succis permadefacta *Tyros.*

Quid igitur faciamus loco Tibulli II. 3. 33. *quisquis is es*, cui *tristi?* Sed ibi vir doctissimus reposuit: *quisquis is es, tristi cui* — fortasse ad exemplum Ovidii XIII. Her. 65.

Hectora, quisquis is est, si sum *tibi cara, caveto.*

Vide Porsonum ad Euripidis Med. 476. et Schaeferi Melet. Crit. p. 56.

22. PROHIBENTE] Cod. Paris. *prohybente*, ut statim *Ysis* pro *Isis* v. 23. et *Ysionis* v. 73.

23. QUID TUA NUNC ISIS MIHI] Ed. a. 1472.

Quid tua nunc Isis tibi, *Delia?*

25 — 26. QUIDVE, PIE

Nunc, Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis:

DUM SACRA COLIS] Cod. Paris.

Quidve pie deumque sacra colis.

Memorabilis lectio, cui accedunt fere Exc. Lips. Sed negligentius elaboratum hoc distichon recte existimat Heynius, motus in primis illo temere interiecto verbo *memini*, quod nusquam tam ambigue positum reperitur, quam hoc loco. Hinc illud uncis inclusit, auctore Statio. Melius haud dubie oratio procederet, si cum Doeringio pronomen deleres, eique substitueres copulam hoc modo:

Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Et — *memini* — *puro secubuisse toro?*

Propertius IV. 2. 27.

Arma tuli quondam, et — memini — *laudabor in illis.*

Ovidius XVI. Her. 247.

Prodita sunt — memini — *tunica tua pectora laxa.*

Pronomen *Te* commode omitti potuit, ut mox v. 27. *nam posse mederi* etc. Fortasse librarius aliquis huic vel illi loco illustrando adscripsit *te*, idque, ut fit, e margine in contextum venit. Ita apud Ovidium III. Am. 7. 25. hodie editur:

Exigere a nobis angusta nocte Corinnam:
Me memini *numeros sustinuisse novem.*

Antea edebatur, fortasse rectius:

Et memini *numeros sustinuisse novem.*

27. NAM POSSE MEDERI] In hac constructione veteres millies omiserunt *me, te, se, nos, vos:* monente Ruhnkenio ad locum Pytheae apud Rutilium Lupum p. 41. *Quid contra tot res, tamque evidentes dicere potes, Demosthenes? Cognitum enim est*, rempublicam venalem habuisse, *cognitum est.* Cicero IV. de Fin. 19. *sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamat quodam modo*, non posse

adduci, *ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.* Verum etsi millies in hac constructione veteres pronomen omiserunt, tamen nemo interpretum, si unum excipias Barthium, carissimum mihi nomen, huius consuetudinis memor fuit ad locum simillimum Propertii I. 1. 23.

Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
Posse *Cytaeaeis* ducere *carminibus.*

Piget commemorare putidas Burmanni aliorumque Criticorum ad hunc locum prolatas emendationes. Sed non sine nota dimittendus est novissimus interpres, adhuc *ducere* sumens pro *duci,* et *vobis* pro inani orationis complemento. Tibullus II. 6. 13.

Iuravi quoties rediturum ad limina numquam!

Hic Vossius *rediturum* non infinitivum esse contendit, sed accusativum participii, explicans verba hoc modo: *quoties iuravi* aliquem *ad limina numquam* rediturum! id est *me ipsum;* et hanc constructionem Latinorum propriam, Graecis incognitam esse ait. Quod genus doctrinae mihi prorsus insolitum accidit et novum, qui adhuc nihil aliud nisi accusativum pronominis omissum esse putaveram, idque more quodam Graecorum. Nam si quis versum Tibulli ita graece verteret:

ὤμοσα δ' οὐκέτι λοιπὸν ἐπὶ προθύροις πόδα θεῖναι·

non multum a vero aberraturum esse crediderim, si quis perspicuitatis causa suppleret *ἐμέ.* Certe non erravit Heynius, quamvis notatus a Censore, quum hanc machinam adhiberet ad Homeri Il. *α.* 78. ἦ γὰρ ὀΐομαι ἄνδρα χολωσέμεν. Nihil enim usitatius est, quam accusativus pronominis cum infinitivo post eadem ipsa verba, quae in Censura p. 311. Heyniano opponuntur supplemento. Homerus Il. *ν.* 269.

οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμέ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς.

Minus circumscripte de hac re dixisse ad L. Bos. Ellips. p. 224. ipse fatetur Schaeferus ad Sophoclis Oed. R. 958. Rem expediunt Platonis exempla collecta ab Heindorfio

Ut mea votivas persolvens Delia voces,
Ante sacras, lino tecta, fores sedeat;

ad Euthyd. p. 414. Utramque structuram coniungit Propertius III. 6. 39. loco memorabili:

> Me quoque consimili impositum torquerier igni
> Iurabo, et bis sex integer esse dies.

Hic Marklandus, post Heinsium, correxit *Iurato*, quasi Latine scribi possit (vel Graece) *iurato*, ego *esse* integer. Quanto probabilius erat, interpunctionem mutare! quod ego tamen suadere nolim. Ergo omnibus iis locis, quos magno numero congessit vir doctissimus ad citatum Tibulli versum, positi sunt infinitivi omissis pronominibus *me, se, te.* Sed omittuntur etiam accusativi pronominum *is, ille, hic.* Terentius And. I. 5. 46.

> *Unum hoc scio,* esse meritam, *ut memor esses sui.*

Ubi librarii inculcantes *hanc* versum corruperunt. Vide Hec. III. 5. 37—39. Iidem *meritam* intulerunt Phorm. V. 9. 25. ubi de Chremete Demipho:

> *Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam* meritum *non nego.*

29. VOTIVAS VOCES] Tres recens comparati libri *noctes* substituunt, quod praecepit Scaliger, comparans locum Propertii II. 28. 61.

> *Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae,*
> Votivas noctes *et mihi redde decem.*

Ubi decem noctes, quas voverat Isidi puella, reddi sibi postulat Propertius plane ut Diabolus, auctore Parasito, apud Plautum Asin. IV. 1. 61.

> *Si forte pure velle habere dixerit,*
> Tot noctes reddat spurcas, *quot puras habuerit.*

Sed huic scripturae et explicationi, ut recte monet Heynius, non favet versus minor. — Mira obtinet verborum confusio apud Appuleium XI. Metam. p. 768. in descriptione pompae Isiacae: *Ecce pompae magnae procedunt anteludia,* votivis

Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta vias!

cuiusque studiis exornata pulcerrime. Hic in omnibus libris legitur *vocibus* pro *votivis.* Oudendorpius, „Utramque vocem iunxit Tibullus I. 3. 29. votivas *persolvat Delia* voces. ubi male contra MSS. reposuere *noctes. Voces votivae* sunt *vota,* ut *voces precantes* apud Poetas sunt *preces.*" Statius *hymnos* intelligit, quae statim vocantur *laudes.* Haec sunt, nisi fallor, quae idem Appuleius dicit *cantamenta votorum* p. 772. Symphoniae *dehinc suaves fistulae tibiaeque modulis dulcissimis personabant. Eas amoenus lectissimae iuventutis veste nivea et cataclista praenitens sequebatur* chorus, *carmen venustum iterantes, quod Camoenarum favore solers poeta modulatus edixerat: quod argumentum referebat interim maiorum* antecantamenta votorum. — Et ut *lino tecta* dicitur Delia, ita apud Appuleium p. 811. videmus *quendam de sacratis,* linteis intectum. Quam lectionem recte tuetur Oudendorpius. Alii *iniectum.*

34. REDDEREQUE ANTIQUO MENSTRUA TURA LARI] Complures libri *mascula* habent pro *menstrua*, nullus praeter Cod. Paris.

Reddere et *antiquo mascula tura Lari.*

36. EST PATEFACTA] Vix dignam commemoratione haberem, quae in quibusdam libris extat, scripturam *sit* pro *est,* nisi Vossius novam inde concinnasset lectionem, *prius quam Tellus in*

longas it *patefacta vias.* Sed bonum factum, quod hanc emendationem in contextum non intulit vir doctissimus. Pindarus Pyth. V. 113.

τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος
ἐνδυκέως δέκονται
θυσίαισιν ἄνδρες
ἐχνέοντές σφε δωροφόροι,
τοὺς Ἀριστοτέλης ἄγαγε,
ναυσὶ θοαῖς
ἁλὸς βαθεῖαν κέλευ-
θον ἀνοίγων.

At enimvero haec Tibulli et Pindari comparatio prorsus, ais, inepta est,

Tu, qui, nasute, *scripta destringis mea.**)

Hoc scilicet patet, ut tibi videtur, e docta Schneideri annotatione ad Xenophontis Hist. Gr. I. 1. 2. Nempe locus Tibulli, ut tute more tuo *confidenter* affirmas, emendari procul dubio debet ad modum Vossii, si *viae* eo sensu sumuntur, quo Pindarus *κέλευθον* posuit. quod tibi secus videtur: *vias* enim illic esse *itinera;* atque ex hac — rara sane — vocis significatione, quam tu divinitus eruisti, apparere ais, quam non sit indigus Tibulli locus emendatione Vossiana. Quid ais, Tenebrio inepte? Nondum te intelligo. Loquere, quaeso, paullo clarius. *Patefacere*, inquit, *tellurem in vias* et *ἀνοίγειν ἁλὸς κέλευθον* diverso plane modo dicuntur, nec haec locutio cum illa comparari potest, *quia* docuit Schneiderus ad Xenophontem, *ἀνοίγειν* esse, *viam sibi in altum aperire, e locis arctioribus evadere in spatiosius mare.* Bella sane conclusio. Nempe doctior, quam pro captu tuo, est annotatio doctissimi Schneideri, nec ea pertinet ad locum Pindari. Nam aliud est in re nautica *ἀνοίγειν* absolute positum, aliud *ἀνοίγειν ἁλὸς κέλευθον.* Illud Schneiderus egregie explanavit: hoc ego in tuam tuique similium gratiam explanabo. Nam *tellurem patefaciunt*, qui remotiores easque adhuc incognitas terrarum orbis regiones primi adeunt, prorsus ut *mare patefaciunt*, qui illud primi traiiciunt, aliisque viam demonstrant. Ita Macedones apud Livium XLII. 52. *Europa omni domita, transgressi in Asiam, incognitum famae* aperuerunt *armis* orbem terrarum. Ita Pom-

---

*) Jen. A. L. Z. a. 1815. Num. 203.

peius apud Ciceronem non quidem *aperuit* Pontum, quod Schneiderus, qui locum laudat, ait, sed *patefecit*, Manil. 8. *dico — magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas*, patefactumque *nostris legionibus esse* Pontum, qui *ante populo Romano ex omni aditu* clausus *erat*. Atqui Pontum etiam Euxinum eodem plane modo *patefecit* Argo apud Phaedrum, Euripidis vel Ennii imitatorem IV. 7. 6.

Utinam nec umquam
Pelii nemoris iugo
Pinus bipenni concidisset Thessala!
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem.
Inhospitalis prima quae
Ponti sinus
Patefecit *in perniciem Graium ac Barbarum.*

Haeccine inter se sunt dissimilia? Immo non ovum ovo potest esse similius. Hactenus etiam Schneiderus, vir praestantissimus, probabiliter emendavit locum Orphei Argon. 68. de eadem navi:

ἣ καὶ ὑπ᾽ εἰλατίνοις ἐρετμοῖς ἁλιμυρέα βένθη
πρώτη ὑπεξεπέρησε, τρίβους δ᾽ ἤνυσσε θαλάσσης.

Ubi ille *ἤνοιξε* substituendum censet verbo *ἤνυσσε*, quam tamen veram esse lectionem, dicam alibi. Nunc hoc aio et confirmo, virum graece doctissimum, si id egisset, ut emendationem suam confirmaret aliorum exemplis scriptorum, non Xenophontis locum in medium prolaturum fuisse, sed, quem sine dubio ob oculos habebat, Pindari; quemadmodum ad Xenophontem nec Pindarum commemoravit nec Orpheum. — At fortasse interest aliquid inter Tibulli *vias* et Pindari *κελεύθους*, quas iterum *ponti* dicit Pyth. IV. 347. Interest haud dubie aliquid, si quidem illac *pedibus* teruntur, hae *navibus*. Fac tamen, Tibullum *vias* posuisse ea significatione, qua Pindarus *κελεύθους*, quod tu certe posuisti. Num propterea scribere potuit

Tellus in longas it *patefacta vias*?

Nullo modo. At voluit *itinera*. Ergo scripsit,

Tellus in longas est *patefacta vias.*

Hoc est sapere. Magis tamen illud, si inverso ordine Tibullum proprie *vias*, Pindarum translate ὁδὸν et κελεύθους posuisse scripsisses. Dicunt Latini *patefacere tellurem, aperire terram,* quod vidisti: dicunt item proprie *patefacere vias,* quod te docebunt interpretes ad Phaedrum; ergo etiam proprie dixerunt *patefacere tellurem in vias* longas, sicut *secare terram in vias* longas. Ovidius II. Am. 16. 15.

Solliciti iaceant, terraque premantur iniqua,
In longas *orbem qui* secuere vias:
Aut iuvenum comites iussissent ire puellas,
Si fuit in longas *terra* secanda *vias.*

Sed censorium illud, id est, absurdum discrimen penitus evertit tum sensus communis tum consuetudo *poetarum.* Propertius II. 27. 5.

Seu pedibus *Parthos* sequimur *seu* classe *Britannos,*
Et maris *et* terrae *caeca pericla* viae.

Ecce tibi locum sanissimum, ita scilicet, si forte nescias, quod ; credibile est, construendum: *caeca pericla* sunt *viae* (τῆς κελεύθου) et *maris* et *terrae.* Quod monendum mihi erat eorum etiam Criticorum caussa, qui locum non intellectum, ut fit, emendare conati sunt. Ecquis vero adeo ineptus sit interpres, ut lectorem admoneat, esse aliquid discriminis inter *viam terrae* et *viam maris:* illic *iter* intelligi, hic viam *proprie sic dictam?* quod

Communi sensu plane caret, inquimus.

Atqui ita tu argumentum conclusisti. Quanto satius erat docere, Pindarum et Tibullum, quamvis alter maris, alter telluris via incedat, tamen nunc pari *passu* ambulare, idque demonstrare aliorum poetarum, in primis Propertii, exemplo, quo tamquam internodio utriusque poetae loca inter se copulantur. Manilius I. 87. ubi hunc ipsum Tibulli locum v. 36 — 40. imitando persequitur, diversam illam verbi ἀνοίγειν vim optime expressit:

Et vagus in *caecum* penetravit *navita* pontum,
Fecit *et ignotis* iter in commercia *terris.*

Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum,
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus;
Non domito frenos ore momordit equus;
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

V. 38. praebueratve.

37. NONDUM-CONTEMPSERAT] Balbus Carm. 20. p. 155.

Illa non fragili vexit rate tempore merces
Navita contemto per freta longa mari.

Artificiosissime! Tibullus: *Nondum caeruleas pinus contemserat undas.* Ubi *contemserat* meo sensu nihil habet nimis grave aut magnificum pro Tibulli simplicitate, siquidem Livius etiam sic loquitur apud Burmannum ad Claudian. II. in Rufin. 123. confirmat Balbus, recti iudicii et sensus poeta, et penes me Codex Datianus et Askewianus; tertius tantum recentior habet *contexerat.* SANTEN. p. 1819. Disputat Santenius contra Heynium, qui nollem ea scripsisset, quae in Observationibus leguntur de verbo *contexerat.* Cod. Paris. *Nundum — conspexerat.* Ed. a. 1472. *Nundum — contempserat.* — V. 38. servant quidem aliquot libri *praebueratve*, sed mira est argutia editoris, particula *ve* maiorem indicari primi navigatoris audaciam, mare contemnentis *atque adeo* vela pandentis. Quae vis huic particulae non in-

Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber.

est: et copula longe melius hoc loco sententiam continuat, ut apud Propertium I. 17. 13.

Ah pereat, quicunque rates et vela paravit
Primus, et *invito gurgite fecit iter.*

45. ULTROQUE FEREBANT] Ed. a. 1472.

Ipsae mella dabant quercus: non bella nec enses —

Eadem editio v. 47. *non bella nec* enses. Vide II. 1. 86 — 88.

46. SECURIS UBERA LACTIS OVES] Lucretius I. 886.

lanigerae quales sunt ubere lactis.

Ibi Bentleius, comparans hunc locum Tibulli, Otiosum, inquit, plane et iners est *securis.* Lege, *pressuris;* aut propius ad vulgatam lectionem, *sucturis.* Nam, opinor, terrigenae illi, mutum et turpe pecus, *mulctralia* nondum habebant. — Pessima sane divinatio. Tibullus I. 10. 9.

Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus *varias* dux gregis *inter oves.*

47. NON ACIES, NON IRA FUIT] Heinsius corrigit *Non acies* ferrive — Broukhusius *Non* animi, *non ira fuit.* Alii aliter. Omnes coniecturas evertit Empedocles, qui ita describit τὸν ἀτερπέα χῶρον apud Hieroclem, monente Sturzio p. 451.

ἔνθα φόνος τε κότος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα κηρῶν.

Huc pertinet locus Livii I. 13. *Tum Sabinae mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus passis, scissaque*

veste, victo malis muliebri pavore, ausae se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras etc. Ubi perperam Gronovius, non nolente Drakenborchio, corrigit, *delenire iras*. Terentius Hec. III. 1. 11.

> *Rem cognosces:* iram expedies: *rursum in gratiam restitues.*

Pergunt Sabinae apud Livium: *Si adfinitatis inter vos, si connubii piget, in nos vertite* iras: *nos caussa* belli, *nos* vulnerum *ac* caedium *viris ac parentibus sumus.* — Hinc patet, falli egregie Vossium, *aciem* non *exercitus instructi*, sed *instrumenti acuti* intelligentem; nec magis hoc loco ferendam esse interpretationem, quam infra I. 10. (11.) 3.

> *Tunc* caedes *hominum generi, tunc* proelia *nata,*
>
> *Tunc brevior dirae mortis aperta via est.*

Quid? quod *tristia arma*, quae ibidem v. 11. commemorantur, pro instrumentis non militum, sed homicidarum acutis sumit? profecto non acute. Optimus interpres est Livius; cui nunc adde Horatium IV. Carm. 15. 17.

> *Custode rerum Caesare, non* furor
> *Civilis aut* vis *exiget otium;*
> *Non* ira, quae procudit enses,
> *Et miseras inimicat urbes.*

Idem I. Ep. 19. 48.

> Ludus *enim genuit trepidum* certamen *et* iram;
> Ira *truces* inimicitias *et funebre* bellum.

48. IMMITI SAEVUS DUXERAT ARTE FABER] Vir doctus in Act. Soc. Traiect. Tom. I. p. 191. reponit *aere* pro *arte*, ut *immiti aere* respondeat Homerico νηλέϊ χαλκῷ, et *ducere aere ensem* Virgiliano *ducere argento ocreas.* Convenit quidem haec emendatio observationi Bentleii ad Horatium II. Ep. 1. 240. negantis, *duci aera* simpliciter pro *fundi*, sed *duci* v. c. *ensem e materia*, ferentis tamen Tibulli locutionem, quia *non nuda hic materia ducitur,* sed *ensis e materia formatur.* Quod verum. Et emen-

Nunc Iove sub domino caedes, nunc vulnera semper;
Nunc mare; nunc leti mille repente viae.

V. 50. leto multo reperta via.

dationem ille haud dubie praecepisset, si *aes immite* tam bene diceretur, quam *ars* vel *ensis immitis*. Non igitur *immiti aere* eodem iure dixeris, quo *νηλεῖ χαλκῷ*, nec hoc illi respondet. Iuvenalis XV. 165.

> *Ast homini ferrum letale* incude nefanda
> Produxisse *parum est, cum rastra et sarcula tantum*
> *Assueti coquere, et marris et vomere lassi,*
> *Nescierint primi gladios excudere fabri.*

Ubi alii pro *excudere* legunt *extendere*. Vide Servium ad Virgilii VII. Aen. 634. apud Bentleium.

49 — 50. NUNC VULNERA SEMPER] Infra I. 10. 3.

> Tunc *caedes hominum generi*, tunc *proelia nata;*
> Tunc *brevior dirae* mortis *aperta* via *est.*

II. 3. 38.

> Hinc *cruor*, hinc *caedes*, *mors propiorque venit.*

Unde satis firmatur lectio: nunc *vulnera semper;* cui alii libri substituunt *et*, ut Cod. Paris. et Ed. a. 1472. — Unus Broukh. et Vindob. *Nunc* maris et *leti.* Haerebat forsitan librario in memoria Propertii II. 27. 6.: *Et* maris et *terrae caeca pericla* viae. *Mille* omnes propemodum libri exhibent, sed pro *repente* in tribus Palat. *reperte,* in uno *referte* exaratum. Comelin. et Goth. *nunc leti mille* reperta *via.* Voss. sec. leto *mille* reperta *viae.* Vatic. quart. *multa reperta via.* Hinc Broukhusius hanc concinnavit lectionem: *Nunc mare; nunc leto multa reperta via:* quam deseruit cum Vulpio Heynius, revoca-

vit Vossius et quidem tam confidenter, ut aliter sentientes non argumentis refellendos, sed cum irrisione dimittendos putaverit. In transcursu edicit, *mille viae* non esse praeferendum *poetico* illi *multa via*. Non dicam, multis poetis, ut Virgilio, placuisse *mille vias*, *μυρίαι δ' ἔργων καλῶν*, ut scribit Pindarus Isth. VI. 51., *τέτμηνθ' ἑκατόμπεδοι ἐν σχερῷ κέλευθοι*. Sed illa Tibulli sententia, *nunc leti mille repente viae*, ita comparata est, ut ducta esse videatur ex Homeri Il. μ. 326.

νῦν δ' ἔμπης γὰρ Κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι.

Illud autem *repente* quam vim hoc loco habeat, in primis docet Hesiodus Ἔργ. 100. ubi illa malorum millia, ut morbi, *tacite* inter homines versari, iisque perniciem inferre dicuntur *nec opinantibus*, hoc addito argumento, Iovem iis exemisse vocem:

ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.
Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα·
νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
σιγῇ· ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητιέτα Ζεύς.

Easdem vitae calamitates singulatim, ut Tibullus, enumerans Simonides carm. XVIII. Anal. Brunck. T. I. p. 128. tandem addit:

οὕτω κακῶν ἄπ' οὐδέν· ἀλλὰ μυρίαι
βροτοῖσι κῆρες κἀνεπίφραστοι δύαι,
καὶ πήματ' ἐστίν.

Nempe, quod ait Horatius, *improvisa leti Vis rapuit rapietque gentes.* Statius IX. Theb. 280.

Mille modis leti *miseros Mors una fatigat.*

His poetarum effatis adiiciamus locum Livii XXXI. 18. de furore Abydenorum se ultro occidentium: *tanta enim rabies multitudinem invasit, ut repente proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent, periuriumque aliis alii exprobrantes et sacerdotibus maxime, qui quos ad mortem devovissent eorum deditionem vivorum hosti fecissent,* repente *omnes ad caedem coniugum liberorumque*

Parce, pater! timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quodsi fatales iam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis:

V. 54. At lapis inscriptus.

discurrerent, *seque ipsi* per omnes vias leti *interficerent*. Ubi veteres libri habent *laeti*. Sed Sigonius restituit *leti*, quod satis confirmant Tibullus et Lucretius II. 915.

Qui poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti *vitare* vias, *animalia quum sint.*

Horatius I. Carm. 28. 16. *Et calcanda semel* via leti. Ne quis vero haereat in coniunctione verborum *repente viae*, adscribam locum Theocriti, suspectum illum quidem Criticis quibusdam, sed tamen feliciter illustratum a Toupio, Id. IX. 33.

οὔτε γὰρ ὕπνος,
Οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μέλισσαις
Ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν Μῶσαι φίλαι.

Ubi fallitur procul dubio Eldickius, corrigens οὔτ' ἔδαρ, nec obtemperans Scholiastae, recte supplenti ἐλθόν. Homerus apud Hippocratem περὶ ἄρθρων T. 1. p. 785. Foes. nam in Homero nostro versum frustra quaeras: Ὡς δ' ὁπότ' ἀσπάσιον ἔαρ ἤλυθε βουσὶν ἕλιξιν. Vide Wolfii Proleg. p. XXXVII. Ex his, nisi omnia me fallunt, consequitur, non esse admittendam Broukhusii interpolationem: *nunc leto multa reperta via.*

51. PARCE, PATER! TIMIDUM] Voss. 4. *Parce, precor*. Hoc non legitur in Ed. Reg. Lep. quod Heinsius ait, sed *pater*. Caeterum Taubmannus ad Plauti Poen. I. 2. 70.

Deos *quoque edepol et amo et* metuo:

notat: *Timidus* in Tib. I. 3. *religiosus* est, Probabiliter, Ovidius V. Metam. 100.

aequi cultor timidusque Deorum.

Vide Heinsium ad I. 323.

Non illo melior quisquam, nec amantior aequi
Vir fuit, aut illa metuentior *ulla* Deorum.

HIC IACET IMMITI CONSUMPTUS MORTE TIBULLUS,
MESSALAM TERRA DUM SEQUITURQUE MARI.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.

V. 55. consumtus. 57. qui — sim.

52. FATALES — EXPLEVIMUS ANNOS] Explicat Homerum, apte comparatum a Vulpio, Il. δ. 170.

αἴ κε θάνῃς, καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο.

Ubi non apparet, cur Aristarchus maluerit πότμον, quod legitur Il. λ. 263.

πότμον ἀναπλήσαντες ἔδυν δόμον Ἄϊδος εἴσω.

Ovidius III. Trist. 3. 29.

Si tamen implevit mea sors, quos debuit, annos.

54. FAC LAPIS] Versum hunc in antiquis quibusdam libris ita scriptum reperio: *Fac lapis inscriptus stet super ossa mea.* MURET. Alii libri *his scriptis*, alii *his scriptus*, quod recepit Broukhusius. Ed. a. 1472. *Fac lapis in scriptis.* Cod. Paris.

Fac lapis inscriptis stet super hossa notis.

Omnes servant *Fac.* nec hoc adhuc offensionis aliquid apud alios habuit. Vossius mutavit in *At.*

55. CONSUMPTUS] Ita Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

57 — 58. QUOD-SUM] Parum discrepant inter se libri. Guelf. tertius, Goth. Exc. Lips. *qui.* unus *sim.* Passeratius praefert *qui sum.* Balbus legit, ut adhuc omnes dederunt editores, *quod sum.* Carm. I. p. 108.

Sive Venus, placidos cecini quia semper amores,
Nostra Cytheriacis vulnera lavit aquis.

Porro alii libri *in*, alii habent *ad*, quod confirmari solet Marsi Domitii epigrammate: *Mors iuvenem campos misit ad Elysios.* Auctor ignotus epigrammatis, quod edidit Maffeius Mus. Veron. p. CLXXIV. locum ita exprimit:

Hic choreae cantusque vigent; passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic iuvenum series teneris immixta puellis
Ludit, et assidue proelia miscet Amor.

V. 63. Ac — implexa.

Umbrarum secura quies animaeque piorum
Insontes, colitis quae loca sancta Erebi,
Sedes insontem Magnillam ducite *vestras*
Per nemora et campos *protinus* Elysios.

Alteri lectioni favet, quem imitatur Tibullus, locus Homeri, a nemine, quod sciam, comparatus, Od. δ. 563.

ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς·
τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Sed me quod *facilis tenero* sum *semper amori*
Ipsa venus campos ducet in *Elysios.*

59. VAGANTES] Ed. a. 1472. *uagentes.*

63. HIC IUVENUM SERIES —] *Hic* in quibusdam libris, v. c. in Cod. Paris., abiit in *Hac*, unde ortum videtur *Ac* et *At.* quod habet Ed. a. 1472. Broukhusius e Colotiano, cui accedit Corvin., repo-

Illic est, cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.

suit *Hic*, 'quam lectionem firmat oppositus huic locus v.73—81. *Illic—illic*. Deinde libri magno consensu exhibent *immixta* (Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *imixta*) vel *immista*. Fruterius coniecit *implexa*, Herelius *inmissa*, Heynius *innexa*. Equidem *series* iuvenum *innexa* vel *implexa* quid sit, aeque intelligo ac, quod scribit, monente Vossio, Seneca IV. de Benef. 7. *series implexa caussarum*, hoc est, *εἱμαρμένη*, interprete Cicerone I. Div. 55. *ordo seriesque caussarum*, quum caussa caussae nexa *rem ex se signat*; sed *series* iuvenum *innexa puellis* commode dici potuisse nego, ut exprimeretur quod dicit Homerus Il. σ. 593.

> ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
> ὠρχεῦντ', ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες·

quamvis hunc locum ita reddat Philostratus p. 880. *παρθένοις ἠΐθεοι τὰς χεῖρας ἐμπλέξαντες χορεύουσι*. (Vide Lucianum de Saltat. T. II. p. 275.) Nam si quis hoc loco abuti vellet ad commendandam lectionem *implexa*, opponerem ei verba Eustathii p. 1166. 11. *φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, ὅτι διακεχωρισμένως χορευόντων τὸ πρὶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν πρῶτοι οἱ μετὰ Θησέως σωθέντες ἐκ τοῦ Λαβυρίνθου ἑπτὰ ἠΐθεοι καὶ τοσαῦται παρθένοι ἀναμὶξ ἐχόρευσαν ὑπὸ καθηγητῇ τῷ Δαιδάλῳ κατὰ Κνωσσὸν πόλιν Κρήτης*. Equidem nihil adhuc allatum vidi, quo convelli possit lectio *immixta*, quam potius confirmat aliorum poetarum usus, ut Horatii IV. Carm. 11. 9.

> *Cuncta festinat manus: huc et illuc*
> *Cursitant* mixtae pueris puellae.

Propertius II. 34. 57.

> *Ut regnem* mixtas *inter convivia puellas*.

Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, et aeratas excubat ante fores.

V. 71. serpens, tum — ora. 72. Stridit.

69 — 72. „In utroque disticho aptum orationis nexum desidero. Uterque pentameter vel omnino utrumque distichon ab aliena manu esse videtur. Nam et maiorum versuum oratio impexa atque horrida, et per sententiarum seriem iidem recte abesse possunt." Hoc est iudicium Mitscherlichii in Tentam. Crit. p. 10. Videamus de singulis.

69. IMPEXA FEROS PRO CRINIBUS ANGUES] Eadem scripturae diversitas, quam supra notavimus v. 65. ad verbum *immixta*, hoc etiam loco notanda est ad verbum *impexa*. Nam Fruterius iterum proponit *implexa*, Gebhardus *innexa*. Illud etiam exstat in Codd. Dresd. et Corvin. Obversabatur forsitan librariis Horatii Ep. V. 15.

Canidia brevibus implicata *viperis*
Crines et incomptum caput:

vel Virgilii IV. Georg. 482.

caeruleos implexae *crinibus angues*
Eumenides.

Sed recte Broukhusius scribit, Tisiphonem, *quo foret terribilior*, impexam facit. Et hoc expressit Balbus Carm. 4. p. 147.

Non fera Tisiphone pectat pro crinibus *angues.*

Virgilius VII. Aen. 667.

tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum *saeta.*

Ubi alii *implexum* legunt. Nihil igitur in hoc versu impexum atque horridum nisi caput Tisiphonae. Et recte. Nam quo terribilior fingitur Tisiphone, eo magis locum habet quod subiungitur, *et huc*

illuc impia turba fugit. Quod tantum abest, ut ab aliena manu sit, ut potius auctorem habeat Homerum. Nam, ut illud praeteream, *τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν*, quemadmodum hoc loco, saevientibus Furiae anguibus, *huc illuc fugit* umbrarum turba, ita easdem umbras Herculis horridiore adspectu perterritas huc et illuc trepidare videmus Od. λ. 604.

ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν, οἰωνῶν ὥς,
πάντοσ' ἀτυζομένων· ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ἐοικώς,
γυμνὸν τόξον ἔχων, καὶ ἐπὶ νευρῆφιν ὀϊστὸν,
δεινὸν παπταίνων, αἰεὶ βαλέοντι ἐοικώς.

71 — 72. TUM NIGER IN PORTA] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Tunc.* Edd. Venet. 1491. 93. *Nunc niger in porta.* At Cyllenius in Commentario: *Tum niger in porta.* Ed. Vet. et Plant. *Tum niger in turba.* Sed Scaliger, post Muretum, e codice infimae vetustatis, quem vocat, revocavit *in porta*, caeteroquin corrigens:

Tum niger in porta serpens, tum Cerberus ore
Stridet.

Contra Broukhusius recte, *Cerberum*, ait, *ore stridere* quis unquam dixit? „ille vero latrat et quidem ore trifauci.“ Huic incommodo ita mederi conatus est Vossius, ut assumpta emendatione Scaligerana, legeret: *tum Cerberus* ora *Stridit* — mira et latinitate et interpretatione. Quamvis enim aliter explicet, tamen vel sic *canis* stridet, non *serpentes*, et recurrit Broukhusianum illud, Quis umquam dixit? Cerberum vero *ora stridentem* prorsus ignorat consuetudo elegans Latini sermonis. Abeat igitur, unde malum pedem tulit, scriptura inconcinna, et redeat in sedem suam pristina lectio, cuius optimum interpretem habemus Hesiodum Theog. 824—835. ubi Typhoeus, pater Cerberi, item centum serpentis capitibus *ῥοιζεῖ·* eodemque modo apud Virgilium VII. Aen. 447. *Erinnys* sibilat *hydris*, et apud Euripidem Herc. Fur. 879. (875. ed. Herm.)

βέβακεν ἐν δίφροισιν ἁ πολύστονος,

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;

ἅρμασι δ' ἐνδίδωσι κέν-
τρον,
ὡς ἐπὶ λώβᾳ,
Νυκτὸς Γοργὼν ἑκα-
τογκεφάλοις
ὀφέων ἰαχήμασι,
Λύσσα μαρμαρωπός.

At, inquit, *in porta*, hoc est, *intus* habet sedem serpens secundum Virgilium VI. Aen. 576. *ante fores aeratas*, id est, *longe a foribus aeratis* ad Stygis ripam *excubat* Cerberus. Quod ut ita sit, qua de re non disputo — quid tum postea? Nempe nunc Cerberus *in porta* serpentum ore stridit, et *ante fores aeratas* excubat ad eum plane modum, quo idem apud Sophoclem *in porta aerata* excubat, et *ex antro* ululat. Quem Sophoclis locum ita persequitur Tibullus, ut omnes simul Criticorum, in primis vero Bothii evertat temerarias emendationes, Oed. Col. 1568 — 1575.

ὦ χθόνιαι θεαί, σῶμά τ'
ἀνικάτου
θηρὸς, ὃν ἐν πύλαισι
φασὶ πολυξέστοις
εὐνᾶσθαι, κνυζᾶσθαί
τ' ἐξ ἄντρων
ἀδάματον φύλακ' Ἀΐδα
λόγος αἰὲν ἀνέχει.

vel potius;

λόγος αἰὲν ἔχει.

Hic Marklandus corrigens *πολυξένοις* confutatur a Tibullo, cuius *aeratae fores* respondent Sophoclis *πύλαισι πολυξέστοις*. Bothio vero scribenti, „Si *ad portas cubat* Cerberus, ad portas quoque *ululat*, non *in antris*," forsitan accesserit Vossius; non ego, qui utriusque loci, Sophoclis et Tibulli, ut similitudinem ita sanitatem satis demonstrasse mihi videor. Cod. Paris. *Tesyphoneque — Stridet*, non *Stridit*, quae emendatio est Ach. Statii. Ed. a. 1472.

Stridet *et* erratas *excubat ante fores.*

73. TENTARE IXIONIS AUSI] Ed. a. 1472. *Isionis.* Cod. Paris.

Illic Iunonem temptare Ysionis *ausi.*

Porrectusque novem Tityos per iugera terrae
Adsiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic et circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,
In cava Lethaeas dolia portat aquas.

75. PORRECTUSQUE] In aliis libris, nescio quibus, *Proiectusque* legi ait Burmannus ad Propertium II. 7. 21. (8. 33.) *Videat informem multa Patroclon arena* Porrectum. Ubi item unus liber exhibet *Proiectum*. Sed illud ductum est ex Homero Il. σ. 30. ut alibi diximus. Hinc sentitur praestantia lectionis, quam Euripidi restituit Porsonus Med. 585.

ὡς καὶ σὺ μὴ νῦν εἴς ἔμ' εὐσχήμων γένῃ,
λέγειν τε δεινός· ἓν γὰρ ἐκτενεῖ σ' ἔπος.

Lucilius apud Macrobium VI. Saturn. 4.

Si mihi non praetor siet additus atque agitet me,
Non male sic ille, ut dico, me extenderat *unus.*

„Caeterum apud Albium *Tityos* scribi debet: quomodo semper scribitur in optimis quibusque codicibus, monente Heinsio Not. in Ovid. L. 4. Metam. v. 457. et nos quoque in multis libris conspeximus." BROUKH. Vulgo *Tityus*. Cod. Paris. *Tycios*. Ed. a. 1472. *Tityus*.

79—80. QUAE NUMINA LAESIT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Et Danai proles, Veneris quod *numina laesit*
In caua letheas *dolia portat aquas.*

Illic sit, quicunque meos violavit amores,
  Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas! sanctique pudoris
  Adsideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
  Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella
  Paullatim somno fessa remittat opus.

V. 88. Paulatim.

84. ASSIDEAT] Ita Ed. a. 1472. ut mox v. 87. *affixa.* quae constans etiam est Cod. Paris. scriptura.

85—88. „Sunt autem, quae sequuntur, exquisitae suavitatis propter delectum rerum, ad sensum et recordationem iucundarum." Haec Heynius praefatur. Enimvero egregius hic locus ductus videtur e Menandri Heautontimorumeno. Nam quo studio vitam se absente ut exigat Delia, optat Tibullus, ei re ipsa deditam se offendisse castam Antiphilam missus a Clinia Syrus narrat in hac fabula apud Terentium II. 3. 44. quem locum laudat Vulpius:

Texentem telam studiose ipsam offendimus;

eidemque Antiphilae, cuius mox praedicatur *Capillus sparsus, promissus, circum caput Reiectus* negligenter, similis informatur Delia v. 91. *longos turbata capillos:* nec desunt *anus* et *puella*, pensis affixae vel, ut ipse scribit Terentius v. 51., anus

Subtemen nebat: praeterea una ancillula
Erat; ea texebat una, pannis obsita,
Neclecta, inmunda inluvie.

Huic Terentii loco tres graecos versus adscripserat Angelus Politianus, quos vulgavit P. Victorius Var. Lect. IX. c. 15.

> *ἐξ ἱσταρίου γὰρ ἐκρέματο*
> *φιλοπόνως πάνυ.*
> *— — — — καὶ θεραπαινὶς ἦν μία,*
> *αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς*
> *διακειμένη.*

Quorum versuum primum ipsi Menandro adscribere non dubitat Victorius; nec intercedo. Etsi enim vocem *ἱστάριον* alibi me legere non memini, est ea tamen bene formata planeque Graeca, ut *ἀνθρωπάριον*, *ἱππάριον*. Et locum forsitan ipsum expressit Ovidius IV. Metam. 34.

> *Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,*
> Aut haerent telae, *famulasque laboribus urgent.*

Posteriores versus postquam descripsit Victorius, addit: haec *interpretatio* est huius loci, *praeterea una ancillula* etc. Non igitur illos Menandro sed ipsi videtur attribuisse Angelo Politiano. Qua in re me quidem haberet consentientem. Nam *συνυφαίνειν* Graece vix dici potuit pro *una texere*, quum potius sit *contexere* vel *adtexere*; unde *συνυφεῖς ἱστοὶ* ex emendatione Turnebi apud Aristotelem H. A. IX. 40. et *συνυφεῖαι* *contextae* apum *cellulae* dicuntur: *καὶ κάτω συνυφεῖς ποιοῦσιν ἕως τοῦ ἐδάφους ἱστοὺς πολλούς.* Clericus tamen non haesitavit hos versus referre in numerum fragmentorum Menandri p. 56. nec oblocutus est, quod miror, Bentleius p. 25. (Miror adhuc, Bentleium non esse oblocutum, quamquam alia de caussa, nec tam propter verbum *συνυφαίνειν*, quam propter metrum, quo versum laborare iam in Addendis dixi. Nam *ῥυπαρῶς* priorem syllabam habet brevem. Verum *συνυφαίνειν* quin, in vita praesertim communi, dictum sit pro *una texere*, dubitari nequit. Moeris v. *Συνέριθοι, Ἀττικῶς. συνυφαίνουσαι, Ἑλληνικῶς.* ubi vide Piersonum. Ita *συνθάπτειν* apud Sophoclem Ai. 1365. Scholiastes explicat *συμπονεῖν*, *una sepelire.*) — Iam anus Terentii non est Antiphilae mater, sed lanifica mercenaria, qualis illa fuit Helenae, quam assimulat Venus apud Homerum Il.

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante:
Sed videar coelo missus adesse tibi.

V. 89. Tum.

γ. 586. Hoc tamen Tibulli loco Deliae matrem intelligunt. Sed parum interest. Illud gravius, quod Scaliger scribit ad v. 87. *At* circa *gravibus.* „Maiuscula C scribendum *Circa.* Est nomen puellae *Κίρκη.* Horatium semper Circam non Circem dixisse testatur Caper Grammaticus. Sed codex noster habebat *Cura*, non *Circa.* Ne ita quidem propterea non erit nomen proprium. *Κούρα* enim est puella." Hoc a nitore Tibulli alienum recte dicit Vulpius. Nec tamen illud audiendum, quod ipse scribit: „*Puella* hic non unam tantum ancillam sed plures videtur significare: quasi dixisset noster *multa puella*, neque enim *τὸ circa* uni tantum accommodari potest." Enimvero una ancillula Deliae, credo, sufficiebat, ut Antiphilae. Ea autem vel sola dici potuit *circa dominam* esse, quemadmodum Seleucus apud Athenaeum VI. p. 267. C. *ἀμφίπολον* interpretatur *τὴν περὶ τὴν δέσποιναν θεράπαιναν·* Albinovanus Macc. 46.

Fortis erat circum, *fortis et* ante *ducem;*

vel una cum anu in lanificio occupata *circa* illam; idque absolute ut apud Homerum Il. λ. 37. *περὶ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε.* Nec hoc negabat Scaliger addens: Si quis adverbiale mavult, ego non magnopere pertendo. — Locum Terentii disertius expressit Propertius III. 6. 9 — 18.

86. PLENA] Cod. Paris. *pleno.*

89 — 90. TUNC VENIAM SUBITO] Exprimit graecam locutionem *ἔρχεσθαι ἐξαπίνης*, de qua videndus est Toupius ad Theocritum IX. 34. Append. p. 17. Ovidius III. Art. 245. *Dictus eram cuidam* subito venisse *puellae.* Qui autem subito veniunt, *coelo missi* veteri proverbio dicuntur, quod satis illustravit Vulpius. Homerus Od. φ. 195.

Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.

V. 91. Tum.

ποῖοί κ' εἶτ' Ὀδυσῆϊ ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι
ὧδε μάλ' ἐξαπίνης, καί τις θεὸς αὐτὸν ἐνέγκοι;

Cod. Paris. *Tunc.* Ed. a. 1472.

Tunc *veniam subito nec quisquam* nunciet *ante.*

91 — 92. TUNC MIHI, QUALIS ERIS] Cod. Paris. *Nunc mihi.* Ed. a. 1472. *Tunc mihi.* Ad huius loci exemplum compositi sunt versus, quos desiderari ait Latinus Latinius apud Propertium I. 3. 33 — 34. *Et* subito adventu *palluit illa meo. Mox, ut erat, neglecta comis et pectore nudo.* Cuiusmodi pannis adsutis Tibulli nunc contextus passim deformatus conspicitur. Ovidius IV. Metam. 473. *Tisiphone canos*, ut erat, turbata capillos. — V. 92. *nudato pede*, nempe calceis vel soleis prae festinatione relictis. Nisi referre malis ad vestem altius adstrictam. De qua re vide interpretes ad Homeri Hymn. in Cer. 176. Sed illud praefero. Aeschylus Prom. 155. *Σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ.* Ubi vide Stanleium. Hoc lepide variant gravissimi poetae. Pindarus Nem. I. 71. *ἐκ δ' ἄρ' ἄτλατον δέος πλᾶξε γυναῖκας, ὅσαι τύχον Ἀλκμήνας ἀρήγοισαι λέχει. Καὶ γὰρ αὐτὰ ποσσὶν ἄπεπλος ὀρούσαισ' ἀπὸ στρωμνᾶς ὅμως ἄμυνεν ὕβριν κνωδάλων.* Quem locum imitatur Theocritus XXIV. 55.

ἄνσταθ' Ἀμφιτρύων· ἐμὲ γὰρ δέος ἴσχει ὀκνηρόν·
ἄνστα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης.

Unde firmari potest lectio *δέος* apud Pindarum, cui alii substituerunt *βέλος*. Sed hoc lyrico, illud epico carmini videri potuit accommodatius. Homerus Il. *ε.* 811.

ἀλλά σευ ἢ κάματος πολυάϊξ γυῖα δέδυκεν,

Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis!

V. 93. precor, hoc! Illum.

ἤ νύ σέ που δέος ἴσχει ἀκήριον.

Scholiastes locum ita interpretatur: *καὶ γὰρ αὐτὴ ἡ Ἀλκμήνη μονόπεπλος αὐτοποδητὶ ἐκπηδήσασα ἀπὸ τῆς κοίτης ἐπὶ βοήθειαν ἠπείγετο.* — Qua ipse voce utitur loco simili Euripides Hec. 927.

λέχη δὲ φίλια μονόπεπλος
λιποῦσα, Δωρὶς ὡς κόρα,
σεμνὰν προσίζουσ', οὐκ ἤνυσ', Ἄρτεμιν,
ἁ τλάμων.

93. HOC PRECOR] Codex Broukh. *Hunc*, ut emendaverat Statius. Broukhusius edidit: *Hunc precor, hunc utinam* — quod confirmat unus liber Vossianus. Ovidius III. Trist. 5. 55. Hunc utinam *nitidi Solis praenuntius ortum Adferat admisso Lucifer albus equo.* Idem I. ex Pont. 4. 57. *Memnonis* hanc utinam, *lenito Principe, mater Quamprimum roseo provocet ore diem.* Haec certe emendatio probabilior est Vossiana: *Hoc precor, hoc! Illum* —: Nam ita unum idemque votum in duo quasi discerpitur membra, quorum prius posteriori omnem praeripit vim et efficaciam. Adhuc satis placet scriptura recepta, confirmata etiam Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

ELEGIA IV.

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quae tua formosos cepit sollertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est;

V. 4. *Omittitur* est.

ELEGIA IV.

„Ad Priapum de amoribus puerorum.“ Ed. a. 1472.

3. QUAE TUA FORMOSOS CEPIT] Ed. a. 1472. *Quae tua* formosa caepit *solertia.*

4. NON TIBI CULTA COMA EST] Nullus commemoratur liber scriptus editusve, qui non exprimat verbum *est.* Alter Wittianus cum uno Heinsii, *nec tibi culta coma est.* Sed Statius haec notavit: „Numero est usus a se non alibi frequentato.

Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestivi tempora sicca Canis.

V. 6. saeva.

Sic enim fere pentametrum facit, prior ut pars, quod ad temporum rationem attinet, posterior esse non possit, nisi posterioris caesurae pes sit trisyllabus. Aut igitur pentametri prioris caesurae pes posterior est trisyllabus, aut ita quidem se habet ipse, ut transferri invertique propter temporum rationem partes non possint." Hac usus observatione, verbum *est*, quod retinuit Statius, eiecit Vossius. „Nam si eiicitur *est*, pentametri partes inverti nequeunt." Atqui falsa ratio est Statii, quod vel proximae Elegiae versus 64. demonstrat:

> *Subiicietque manus, efficietque viam.*

II. 1. 36.

> *Redditur agricolis gratia caelitibus.*

IV. 4. 16.

> *Tu modo semper ama, salva puella tibi* est.

5 — 6. HIBERNAE FRIGORA BRUMAE] (Ed. a. 1472. *hybernae.*) Hanc lectionem librarius Cod. Hamb. transtulit in El. 2. 29. pro *frigora noctis* scribens *frigora brumae*. Sed hoc loco Codd. Dresd. et Askew. habent *tempora* brumae. Quod ferri posset, nisi eandem vocem repeteret minor versus. Propertius I. 8. 9.

> *O utinam* hibernae *duplicentur* tempora brumae.

Horatius I. Serm. 6. 125.

> *Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum*
> *Admonuit, fugio* rabiosi tempora signi.

Hic omnes ingenii doctrinaeque copias adhibuit Bentleius, ut demonstraret, quod omnibus persuasit, substituendam esse lectionem codicis Blandinii: *fugio Campum lusumque trigonem.* Leviore brachio locum Tibulli v. 6. nulla lectionis diversitate adhuc contami-

natum, tractavit Vossius, *sicca* in *saeva* convertens simpliciter. Nam practer inanem de insuavi sane, sed quam ipse intulit, post *sicca* vocularum *Sic* ego: *sic* — — structura exclamationem, nullam aliam subiicit rationem, nisi hanc: taedulum illud esse et hoc loco nimis languidum. Iam quum in voce *sicca* per se nihil insit, quod taedium afferre stomacho quantumvis languido possit, sequitur, editori molestum fuisse non nisi syllabae *ca* cum prima sequentis vocabuli concursum. Quod quid sit, patet ex observatione eius ad II. 1. 78.

Explorat caecas cui *manus ante vias.*

Ubi quid acciderit, vide. Sed grammaticorum semper magis fastidiosae fuerunt aures, quam poetarum. Nam Virgilius, quam emunctae naris poeta! non sibi visus est in praefanda incidere, quum scribebat v. c. II. Aen. 27. *Dorica castra;* nec Propertius dubitavit hanc eandem structuram bis adsciscere II. 8. 32. et IV. 6. 34. At Servius stomachatur. Servium exagitat Broukhusius supra ad I. 1. 3. At ipse hoc loco odiosam vocat et vitiosam earundem syllabarum repetitionem, et Propertio irascitur, *Caco* locum tribuenti in carminis contextu IV. 9. 7. Graeci poetae ne evitare quidem poterant, quod ille vocat, *cacemphaton in re non inhonesta sordidum.* Notum tamen in vulgus est, quid acciderit Heynio in verbo Homerico *κακκείω* Il. *α.* 606. quem satis traduxit Censor p. 333. occinens illi dictum Trygaei ad Pegasum suum apud Aristophanem Pac. 162. Mallem Sophoclis Oed. Col. 1237. vel Aeschyli Pers. 1046. quem laudat Porsonus ad Euripidis Hec. 592. *παρακαλεῖ δ' ἐκεῖθεν αὖ Λύπη τις ἄλλη, διάδοχος κακῶν κακοῖς.* Quo loco Euripides imitatur Homerum Il. *τ.* 290. *ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.* Sed comparandus est Euripides cum Homero accuratius. Praestat enim huc animum advertere, quam ad quisquilias illas, quibus sordes non absterguntur priscis scriptoribus, sed adsperguntur. Recte Muretus ad I. 1. 7. scribit: „apparet hunc poetam elegantiam quandam putasse esse in eiusdem syllabae conti-

Sic ego. Tum Bacchi respondet rustica proles,
Armatus curva sic mihi falce Deus:

V. 7. Sic ego. Sic. 8. falce minante.

nuata repetitione, ut supra I. 1. 5. *Me mea.* et nunc *Ipse seram.* et mox (v. 8.) *poma manu.* et infra (I. 3. 28.) *multa tabella.* et *sicca Canis.* et tam multis locis denique, ut constet, *hoc non casu sed dedita opera factum.*" Propertius II. 28. 4.

> *Incipit et* sicco *fervere terra* Cane.

7. SIC EGO. TUM BACCHI] In quibusdam veteribus, *Sic ego: sic Bacchi.* ab iis autem abest pentameter qui sequitur. neque ego sane eum Tibulli esse praestare ausim. MURET. Quos ille veteres vel viderit vel dixerit, hodie non constat. Cod. Paris. *Sic ego* tunc Baci *respondit.* Ed. a. 1472. *Sic ego* tum *Bacchi* respondit. Nec profecto apparet, ecquid offensionis habere potuerint illae respondentis orationem toties apud alios poetas indicantes particulae *tum sic.* Virgilius IV. Aen. 114. *Tum sic excepit regia virgo.* VI. 562. Tum *vates* sic *orsa loqui.* Homerus Od. ι. 360.

> ὣς ἐφάμην· ὁ δέ μ' αὖτις ἀμείβετο νηλέϊ θυμῷ.

Et hoc etiam loco multi habent libri *respondit.* quod verum videtur. Sed in aliis quibusdam legi aiunt *Hic ego, tum.* Qua scriptura haud leviter convellitur illud per se quidem non spernendum sed hoc tamen loco suspectum *Sic,* quum huc transferri per errorem potuerit vel e minori versu vel etiam ab ipso carminis initio. Nihil autem neque ad orationis elegantiam neque ad narrationis vigorem desiderabitur amplius, si ita mecum legeris, duce Ovidio Rem. Am. 1 — 40.

> Haec *ego. Tum Bacchi respondit rustica proles*
> *Armatus curva sic mihi falce deus.*

8. ARMATUS CURVA SIC MIHI FALCE DEUS] Hic versus, ut dixi, abest a

O fuge te tenerae puerorum credere turbae:
Nam caussam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis,
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.

V. 12. facilem.

quibusdam libris, atque in eisdem scriptum est ad marginem, FRAGM. Verba sunt eiusdem Mureti, non unum modo sed plures versus hoc loco desiderantis, *quibus paulo liberius quippiam et paulo magis ex huius dei consuetudine dictum esset.* Cui non magis equidem adsentior quam coniectori nostro, pro *sic mihi* reponenti *minante.* Virgilius Cop. 23.

Est tuguri custos armatus falce *saligna.*

Ed. a. 1472.

Armatus curuas sit *mihi falce deus.*

9. O FUGE] Ed. a. 1472. *Offuge.*

12. HIC PLACIDAM NIVEO] Mihi Tibullus scripsisse nunc videtur, *Hic niveo placidam.* Hanc enim structuram frequentat, ubi binis pentametri subiectis in priore hemistichio bina praeponit epitheta, v. c. III. 5. 30.

Et facilis lenta pellitur unda manu.

Vide exempla collecta a Broukhusio ad II. 6. 22. (3. 40.) Qua verborum collocatione admodum elevatur coniectura, adiectivum *placidam* ortum esse e primis hexametri verbis, Hic *placet, ang —* eique substituendum esse *facilem.* At potuit hinc oriri structura, ut nobis quidem videtur, vitiosa, *Hic placidam niveo.* Etsi enim contraria exempla occurrunt, alteram tamen structuram libra-

Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.

V. 13. Huic quia.

riis deberi ostendit etiam libri Colot. scriptura, *Hic placet ut.* Tutius igitur est hanc rationem sequi, quam illam. Tutius vero? Immo tutissima corrigendi ratio est, vocularum, si opus sit, traiectio. Rem et caussam vide apud Porsonum Praef. ad Euripidis Hec. p. XIII.

15. HIC, QUIA — ADEST AUDACIA, CEPIT] Cod. Paris. *Hic* — *audactia.* Ed. a. 1472.

Hunc *quia fortis adest audacia* caepit.

Pauci, *Huic quia* etc. Non male. Potuit tamen tertius casus substitui ab interpolatore et accommodari verbo *adest;* quod hoc loco ita positum est ut apud Homerum *παρεῖναι* Od. ϱ. 347. ex veteri scriptura:

αἰδὼς δ᾽ οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.

14. VIRGINEUS TENERAS STAT PUDOR ANTE GENAS] Ed. a. 1472.

Virgineus teneras stet *pudor ante genas.*

Ut hoc loco Pudor *stat ante genas*. ita fere Somnus apud Homerum Il. κ. 90. *ἐπ᾽ ὄμμασι νήδυμος ὕπνος ἵζάνει.* Male tamen haec confudit Lotichius, reprehensus ab Heynio: *Dum roseas illi stat* sopor *ante genas.* Somno is convenit locus, quem ei tribuit Homerus, eundemque occupat aliquando eodem iure Mors, ut apud Theognidem: *Θάνατος γὰρ ἀναιδὴς Πρόσθεν ἐπὶ βλεφάροις ἕζετο, κῆρα φέρων.* Similis discrepantia est Ovidium inter et Senecam. Nam quod ille scribit III. Fast. 19. *Blanda quies furtim victis obrepit ocellis:* hoc Seneca Troad. 444. ita imitatur: *Brevisque fessis somnus obrepsit genis:* confirmans tamen veriorem in Ovidio lectionem, cui alii substituerunt, *victos oppressit ocellos.* alii *victis subrepit ocellis.* At est etiam, quod in proverbio dicitur, *Αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖς.* Recte. Sed *virgineus pudor* quem vo-

Sed te ne capiant, primo si forte negarit,
Taedia; paullatim sub iuga colla dabit.

cat Tibullus, vel *purpureus*, quo *infici* genae virginis infra dicuntur III. 4. 32. non oculis insidet vel *palpebris*, neque vero, quae singularis est Valckenarii sententia ad Euripidis Phoenissas p. 416., *ab oculis manat*, sed, ut recte monet Heathius, sedes eius quaerenda est *sub palpebris*, *ἐν τοῖς ὑπὸ βλεφάροις*, *in genis* vel *ante genas*. Bene igitur habet locus Euripidis v. 1499. ubi Antigona, proiecto pudore, in scenam proruit:

οὐ προκαλυπτομένα
βοστρυχώδεος ἁβρὰ παρηΐδος,
οὐδ' ὑπὸ παρθενίας τὸν ὑπὸ βλεφάροις
φοίνικ', ἐρύθημα προσώπου,
αἰδομένα —

Bene, inquam, habet locus, ita constitutus et *distinctus* a Porsono. Nec tamen video, quo modo graece dici potuerit, *αἴδεσθαι τὸν φοίνικα*, (cui *ἐρύθημα προσώπου* per explicationem adiicitur,) *ὑπὸ παρθενίας* pro eo, quod latine dicitur *purpureo pudore suffundi;* aioque, Euripidem scripsisse *αἰθομένα*. Virgilius XII. Aen. 64.

Accepit vocem lacrimis Lavinia matris
Flagrantes *perfusa* genas, *cui plurimus* ignem
Subiecit rubor *et calefacta per ora cucurrit.*
Indum sanguineo veluti violaverit *ostro*
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.

15. SED TE NE CAPIANT, PRIMO SI FORTE NEGARIT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Sed ne te capiant*. Uterque liber *negabit*. *negarit* ex Heinsii emendatione Broukhusius reposuit. Cod. Hamb. *recuset*. Fortasse scribendum *negavit*. IV. 5. 11.

Quodsi forte *alios iam nunc* suspirat *amores.*

Alii *suspiret*. Propertius I. 5. 11.

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas:
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time: Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt.

V. 22. longa.

Quodsi forte *ausis non* est *contraria nostris.*

II. 9. 47.

Atque utinam, si forte *pios* eduximus *annos* —

IV. 7. 71.

Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris.

Verbo *negare* pro, difficilem esse precibus amantis, opponuntur *dare, praebere;* quod in re Venerea non rarissimum est sed tritissimum dicendi genus. Ita ἀναίνεσθαι et χαρίζεσθαι in eadem re a Graecis ponuntur. Vide Ruhnkenium ad Timaeum p. 275.

16. TAEDIA] Ed. a. 1472. *Tedia.*

21. VENERIS PERIURIA] Exstat simillimus locus III. 6. 49. ubi *periuria ridet amantum Iuppiter.* Contrariam sententiam enuntians *periuriis* substituit *periuros* Propertius II. 16. 47.

Non semper placidus periuros *ridet* amantes
Iuppiter et surda negligit aure preces.

Propertius igitur ita fere hoc loco discedit a Tibullo, quemadmodum Aristarchus ab Hermappia apud Homerum Il. δ. 235. ubi ille scribebat:

οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδέσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ᾽ ἀρωγός.

Ab hac parte stat Propertius. Nam οἱ ψευδεῖς ibi sunt *periuri.* At Hermappias ita:

οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδεσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ᾽ ἀρωγός.

In hac haeresi est Tibullus. Nam τὰ ψεύδεα sunt *periuria*. Ego nunc Tibullum sequi malim quam Propertium, quamvis credibile sit, neutrum ob oculos habuisse Homerum. Similis dissensio est inter duo recentioris aevi Criticos excellentes ad Callimachi Fragm. CLXXXIV.

Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα
καὶ οὐ ψύθος οὔνομ᾽ ἔχουσα.

Ita edidit Bentleius. At Hemsterhusius praefert ψυθές· „ut enim ψεῦδος, ψύθος, sic ψευθής, ψυθής." Sed potior est ratio Bentleii. Homerus Il. ι. 115. οὔτι ψεῦδος ἐμὰς ἄτας κατέλεξας. — *Venti irrita ferunt.* Hoc loquendi genus non dicam ab Harpyis Homericis, quae Heynii sententia est, sed repetendum tamen est ab aevo Homerico. Od. θ. 408.

22. PER TERRAS ET FRETA SUMMA] Eborac. duo Voss. et Bern. *freta longa.* quod substituit Broukhusius addens: epithetum *summa* quid ad rem faciat, non satis video. nisi si timuit, ne periuria ista Veneris forte *permadescerent.* Vulpius vulgatam praefert, quia periuria levia sunt „nec deprimuntur sed in superficie feruntur." Heynius rem ad ventum refert, quatenus summum mare h. e. superficiem verrere ac crispare solet. Quibus abiectis, Broukhusii lectionem *longa* arripuit Vossius, nunc quidem, quod mireris, non offendens ad eiusdem vocis iterationem, quam paullo ante v. 17 — 18. bis deinceps positam vides. Equidem persuasum habeo, *longa* non nisi interpretationem esse vocis *summa*, quae hoc loco significare videtur *extrema*, a nobis remotissima. Vide Gesnerum ad Claudianum XLIV. 1.

Oceani summo *circumfluus* aequore *lucus*
Trans Indos Eurumque viret —

Similiter Euripides Hipp. 148.

φοιτᾷ γὰρ καὶ διὰ λίμνας
χέρσου θ᾽ ὑπὲρ πελάγους
δίναισιν νοτίαις ἅλμας.

Gratia magna Iovi! vetuit pater ipse valere,
Iurasset cupide quidquid ineptus amor.

V. 23. pater ille.

23. GRATIA MAGNA IOVI! VETUIT PATER IPSE] Broukhusius ex emendatione Heinsii edidit *ille*, sequente Vossio, qui pronuntiat confidenter, „*Ipse* non praebet idoneum sensum!“ Statim dicam, quam idoneum illud sensum praebeat. Nempe Iupiter *ipse* vetuit valere amantium periuria, quia *ipse* omnium primus *peieravit*, rem nullam habuisse cum Ione et quidem apud Hesiodum in Aegimio. Hesiodum enim huius rei auctorem perhibet Apollodorus II. 1. 3. *Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτὴν (τὴν Ἰὼ) φασὶν εἶναι. ταύτην ἱερωσύνην τῆς Ἥρας ἔχουσαν Ζεὺς ἔφθειρε. φωραθεὶς δὲ ὑφ᾽ Ἥρας, τῆς μὲν κόρης ἁψάμενος εἰς βοῦν μετεμόρφωσε λευκὴν, αὐτὴν δὲ ἀπωμόσατο μὴ συνελθεῖν. διό φησιν Ἡσίοδος, οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γινομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος.* Hesychius v. *Ἀφροδίσιος ὅρκος. — πρῶτος δὲ Ἡσίοδος ἔπλασε τοὺς περὶ τὸν Δία καὶ τὴν Ἰὼ ὀμόσαι.* — Valde laetor, posse me nunc ipsum proferre Hesiodi locum, quem ob oculos habuit Apollodorus, expressit cum tot aliis poetis Tibullus. Nimirum Scholiastes ad Platonis Sympos. p. 45. ed. Ruhnk. haec scribit: *Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος· ἐπὶ τῶν δι᾽ ἔρωτα ὀμνυόντων πολλάκις καὶ ἐπιορκούντων. Μέμνηται δὲ ταύτης — καὶ Ἡσίοδος λέγων·*

ἐκ τοῦδ᾽ ὅρκον ἔθηκεν ἀμείνονα ἀνθρώποισι
νοσφιδίων ἔργων περὶ Κύπριδος Ἀφροδισίων.

Quem locum aliis examinandum relinquo. Pertinet huc fragmentum insigne, quod ex eodem Hesiodi (vel Cercopis Milesii) carmine descripsit Scholiastes Euripidis ad Phoen. v. 1123. ubi vide Valckenarium p. 116. —

Perque suas impune sinet Dictynna sagittas
Adfirmes, crines perque Minerva suos.

Iam satis, nisi fallor, patet, quam aliena Tibulli loco sint aliorum exempla poetarum, laudata a Broukhusio eo consilio, ut demonstret, legendum esse pater *ille* pro *ipse*. Ridet hoc, quemadmodum de eodem amantium periurio scribit Horatius II. c. 8. 13.

> *Ridet hoc, inquam,* Venus ipsa, *rident*
> *Simplices Nymphae, ferus et Cupido.*

Virgilius I. Georg. 121.

> Pater ipse *colendi*
> *Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem*
> *Movit agros, curis acuens mortalia corda.*

24. INEPTUS AMOR] Heynius corrigit *inultus*, nempe quia ista periuria non vindicantur. Quam coniecturam ut probabilem laudat Santenius Bibl. Crit. P. III. p. 62. *Ineptum* amorem tuetur Mitscherlichius ad Horatium II. 8. 15. loco Platonis, qui non legitur in Phaedro sed in Philebo T. IV. p. 319. Bip. Exempla magis apposita comparavit Nagelius in Act. Soc. Traiect. T. IV. p. 256. v. c. Plauti Merc. II. 3. 47.

> *Quippe haud etiam quidquam inepte feci, amantes ut solent.*

25. SINET] Cod. Paris. *sinit Dictinna.* Colbert. Askew. Monach. Voss. 1. et 5. *sinet.* Pro *Dictynna* nonnulli habent *Diana.* Ed. a. 1472. *sinit Dictina.*

26. CRINES PERQUE MINERVA SUOS] Heynius existimat, iurari hoc loco per crines Minervae, tamquam pulchritudine conspicuos. Qua de re quum nihil magnopere constet, colligit e fabula de Medusa, quae ausa erat *crines suos Minervae capillis praeferre,* ut est apud Servium ad VI. Aen. 289., plura olim huius rei indicia exstitisse in carminibus poetarum. In hanc sententiam iam disputa-

verat Broukhusius. Quae explicatio quodam modo adiuvatur epithetis Minervae Homericis ἠύκομος Il. ζ. 92. ἐϋπλόκαμος Od. η. 40. E contrario Santenius Bibl. Crit. p. 73. ex eadem illa Medusae historia elicere conatur, capillos Minervae non nimis fuisse a pulcritudine commendatos, addens: „si vel maxime capillitio Iovis filia excelleret, id tamen ad hunc Tibulli locum nihil faceret. In iurando, ut maiorem fidem faciamus, illud attestamur, quo, si fallimus, praesentissimas periurii poenas sumat Numen; Dianae non crura, Apollinis non crines aut lyram, sed utriusque arcum et sagittas.“ Atque inde concludit, scripsisse Tibullum: clipeos *perque Minerva suos.* Quos *clipeos* Mitscherlichius Tent. Crit. p. 5. convertit in *cristas.* Reliquum erat, ut interpretatio Santeniana accommodaretur veteri scripturae, et *crines* caperentur pro *cristis.* quod fieri posse, demonstrat Heinrichius, vir clarissimus, ad Hesiodi Scut. Herc. 216. comparans Statium VIII. 389. et Homerum Il. χ. 315. parum tamen hanc sententiam commendans. Mihi non prorsus displicet. Adde Homerum Il. π. 793. Virgilium VII. Aen. 785. de Turno:

Cui triplici crinita *iuba galea alta Chimaeram*

Sustinet —

Claudianus XXXVI. 215.

Nunc crinita iubis *galeam, laudante Minerva,*

Implet et ingentem clipeum gestare laborat.

Atque hinc firmari potest vetus lectio apud Petronium c. 5.

Sed seu crinigerae *ridet Tritonidis arces,*

Seu Lacedaemonio tellus habitata colono —

Haec scriptura, permultis confirmata libris scriptis, ab imperito librario proficisci non potuit. Nunc vulgo editur:

Sed sive armigerae *ridet Tritonidis arces* —

At si tardus eris, errabis: transiit aetas
Quam cito! non segnis stat remeatque dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alba comas!

V. 27 — 28. aetas, Quam c. — remeatve. 29. disperdit.

27 — 28. TRANSIIT AETAS QUAM CITO!] Sic hunc locum in tribus codicibus distinctum viderat Broukhusius. Cod. Paris. Ed. a. 1472. et Venet. 1491. — *transiet aetas. Quam cito non* —. Ed. Vet. *transiet aetas Quam cito.* Complures libri, *transiit*, quod unice verum. Plautus Trin. I. 2. 123.

Pro di immortales! verbis paucis quam cito
Alium fecisti *me*, *alius ad te veneram.*

Terentius Eunuch. I. 2. 98.

Labascit, victust, uno verbo, quam cito!

Caeterum istam temporis celeritatem melius repraesentat vulgata lectio *remeatque*, quam Heinsiana *remeatve. Non segnis stat*, hoc est, *celeriter* itque reditque *dies.* Colot. *it* pro *stat.*

29. DEPERDIT] Unus Vossianus, nullius auctoritatis liber, *disperdit.* Vitiosissima lectio! Num terra ita *disperdit* colores vel flores suos, quemadmodum homo apud Lucretium II. 830., quem citas, purpuram *filatim distrahens* disperdit? vel ut Casandra apud Aeschylum Agam. 1277. (58.) serta sua διαφθείρει; an potius *deperdit* terra colores, sicut apud eundem Lucretium III. 525. hominem *paullatim* cernimus *ire,*

Et membratim vitalem deperdere *sensum?*

Plinius H. N. XVI. 34. *Caeterae omnes extra praedictas* — folia deperdunt. XXXVII. *Quae sunt earum pulcriores, oleo, unguento et mero* colorem deperdunt. Balbus carm. 20. p. 157.

Quam cito deperdit *graciles coma Punica odores.*

Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!

V. 32. *Omittitur* est.

30. POPULUS ALBA] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *populus alta.*

32. QUI PRIOR ELEO EST CARCERE MISSUS EQUUS] Versus integerrimus! Sed posterioris aevi Criticis negotium exhibuit vox *prior*, quam quum pro adverbio capi posse negarent, ad coniecturam confugerunt et contortam interpretationem. Heinsius emendavit, *Victor ab Eleo carcere;* Broukhusius, *Qui* prius *Eleo est.* Vulpius *priorem* exponit *praestantissimum*, excellentissimum; Heynius postquam scripsit, Nescio cur *prior* non possit pro *prius* positum accipi, ut saepe adiectiva pro adverbiis: mutata mox sententia Heinsianae scripturae principatum defert, tandem, quod non putaveram, versum eiiciendum censet. Vossius Vulpianae, ego Heynianae, quamquam precario illatae, interpretationi accedo, qua *prior* sumitur pro *prius.* Nec hoc precarium est negotium. Ovidius II. A. A. 218. de Hercule:

Qui meruit caelum, quod prior *ipse tulit.*

Sed hic dignum in primis est, quod compararetur fragmentum Ibyci, ad probandum id, quod volumus, longe efficacissimum, quod ante oculos habuisse videtur Tibullus; cognitum illud adhuc ex sola Platonis paraphrasi Parm. p. 157. A. p. 219. ed. Heind. nunc editum in iisdem illis Scholiis Platonicis p. 40. Ruhnk. Hi versus ita fere dispositi leguntur in libro Darmst. quo usus est Creuzerus ad Plotinum p. 531.

Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροισι
τακέρ᾽ ὄμματα δερκόμενος κηλήμασι παντοδαποῖς
εἰς ἄπειρα δίκτυα
Κύπριδος βάλλει. Ἦ μὰν τρομέω νιν ἐπερχόμενον,

Vidi ego iam iuvenem, premeret quum serior aetas,
Moerentem stultos praeteriisse dies.

V. 33. quom.

ὥςτε φερέζυγος ἵππος ἀεθλοφόρος ποτὶ γήρᾳ
ἀέκων σὺν ὄχεςφι θοοῖσιν ἐς ἅμιλλαν ἔβα...

Quo loco *ἵππος ἀεθλοφόρος* sine dubio est equus, qui *antea*, *prius* victoriam reportaverat, ut apud Ennium, qui item Ibyci locum imitando expressit — non minorem enim celebritatem nactus est ὁ Ἰβύκειος ἵππος quam ὁ Σοφόκλειος — apud Ciceronem de Sen. c. 5. *Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt. quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius:*

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, *nunc* senio confectu' *quiescit.*

Hic Ennius ita persequitur Ibycum, quemadmodum Ibycus Homerum Il. χ. 22. ubi Achilles comparatur cum equo curuli, de praemio reportando in certamen admisso:

σευάμενος ὥςθ᾽ ἵππος ἀεθλοφόρος σὺν ὄχεςφιν,
ὅς ῥά τε ῥεῖα θέησι τιταινόμενος πεδίοιο.

Ubi inepte veteres Grammatici distinguunt ἀεθλοφόρος, σὺν ὄχεςφιν ὅς ῥά τε —. Praestat Ibycum sequi et Platonem, Ibyci verba ita interpretantem: *Καίτοι δοκῶ μοι τὸ τοῦ Ἰβυκείου ἵππου πεπονθέναι, ᾧ ἐκεῖνος ἀθλητῇ ὄντι καὶ πρεςβυτέρῳ, ὑφ᾽ ἅρματι μέλλοντι ἀγωνιεῖσθαι καὶ δι᾽ ἐμπειρίαν τρέμοντι τὸ μέλλον, ἑαυτὸν ἀπεικάζων ἄκων ἔφη καὶ αὐτὸς οὕτως πρεςβύτης ὢν εἰς τὸν ἔρωτα ἀναγκάζεσθαι ἰέναι.* Vide Columnam ad Ennii Fragm. p. 215. — Ex Ibyci fragmento Lexicographi in numerum adsciscant vocem nondum receptam φερέζυγος.

33. VIDI EGO IAM] Edd. veteres multique codices, ut Paris., *Vidi iam*, omisso pronomine. In

Crudeles Divi! serpens novus exuit annos;
Formae non ullam fata dedere moram.

V. 35. exuat annos?

uno, *segnior aetas.* Persius V. 60.

> *Tunc crassos* transisse dies *lucemque palustrem*
> *Et sibi* iam seri *vitam ingemuere relictam.*

Falsa ista lectio *segnior aetas* contagione laesit versum minorem. Nam *stultos dies* Ed. Rom. et Venet. 1487. mutarunt in *tardos dies*, Exc. Pocchi in *celeres*, Passeratius in *tacitos*. Lucretius III. 1035.

> *Hinc Acherusia fit* stultorum *denique* vita.

Ubi Wakefieldus totum Tibulli locum corrupit, corrigendo:

> *Vidi ego iam* iuveni, *premeret cum serior aetas,*
> *Moerentem* stultos *praeteriisse* dies.

35. NOVUS EXUIT ANNOS] Broukhusius e duobus libris revocavit *exuat annos?* quod est, iudice Heynio, elegantius, minus tamen commodum. At qui si minus commodum est, sane non potest esse elegantius. At fortius est, inquit ille. Vel propterea non erat adsumendum. Vide modo, quam placide similem sententiam enuntient Horatius IV. carm. 7. 7 — 16. et Moschus III. 106 — 111. *Exuit* annos serpens, tamquam *vestem*, deponens veterem pellem, quod ad animam corpus relinquentem transtulit Lucretius III. 613. Ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ὄφεων, scribit Scholiastes ad Aristophanis Pac. 336. ubi laetatur chorus,

> μᾶλλον ἢ τὸ γῆρας ἐκδύς, ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα.

36. NON ULLAM MORAM] Complures libri scripti editique, Cod. Paris. et Ed. a. 1472. non *illam.* Perperam!

Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas:
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum.
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas: obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti.

V. 37. Baccho Phoeboque. 38. Quam — !

37. SOLIS AETERNA EST PHOEBO BACCHOQUE IUVENTAS] Cod. Paris. *Baccho Phoeboque iuventa.* Ed. a. 1472.

Solis aeterno *est Baccho Phoeboque iuventa.*

38. NAM DECET — UTRUMQUE DEUM] Etsi difficilis est horum verborum explicatio, nolim tamen lectionem *Nam,* quam omnes libri scripti, uno excepto, qui *Tam* habet, tuentur, commutare cum emendatione Schraderi *Quam* decet! Adhuc mihi Tibullus videtur expressisse Apollonium Rh. II. 708. — Seneca III. de Ira c. 26. *Non est Aethiopis inter suos insignitus color, nec rufus crinis et coactus in nodum apud Germanos.* utrumque decet. — Ubi tamen variant libri. Ed. a. 1472. *utrunque.* Cod. Paris.

Nam decet intonsum *crinis utrumque deum.*

40. CEDAS — VINCIT AMOR] Cod. Paris. ut Guelf. 2.

Credas. *obsequio plurima* vincet *amor.*

42. ARENTI TORREAT ARVA SITI] Lucretius III. 929.

Quamvis praetexens picea ferrugine coelum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

V. 44. nimbifer.

Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
Quod sitis exurat miseros atque arida torreat.

Ibi Wakefieldus temere, ut solet, corrigit *horrenti* pro *arenti*. Propertius II. 28. 3.

Venit enim tempus, quo torridus *aestuat aer,*
Incipit et sicco *fervere terra* Cane.

Idem IV. 9. 21.

Dixerat et sicco torret sitis *ora palato.*

43. QUAMVIS PRAETEXENS PICEA] Cod. Paris. *picta.* Ed. a. 1472.

Quanvis *praetexens* picta *ferrugine caelum.*

44. ADMITTAT IMBRIFER ARCUS AQUAM] Balbus carm. 20. p. 154. *Curve* adimat *pluvias imbrifer* Eurus *aquas.* Propertius III. 5. 54. *Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas.* ubi *bibat,* quod iure Burmannus vulgatae praeferebat, confirmatur Askewiano. Tibullus I. 4. 44. Venturam admittat — cuius verbum *admittere* pro *incitare* iam ante Scaligerum explicavit Guellius in Paralipom. ad Virgil. p. 575. Caeterum fateor, me hunc Balbi versum non intelligere: *adimere* enim *aquas* contrarium videtur τῷ *imbrifer*, quod et ipsum an Euro satis conveniat, dubito. SANTEN. p. 1808. Nempe Balbus scripsit *adigat*, hoc est *admittat*, et in Tibullo legisse videtur *Eurus* pro *arcus.* Eurus quam commode dicatur *praetexere picea ferrugine coelum,* satis apparet. Hinc etiam firmari videtur quorundam librorum, ut Bodleiani apud Burmannum ad Lotichium p. 386., scriptura *nubifer*, cui Heinsius substituit *nimbifer.*

Vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te poeniteat duros subiisse labores,
Aut opere insuetas atteruisse manus;
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.

Silius Ital. X. 323. *illisit scopulis ubi* nubifer *Eurus — ratem.* Cod. Paris. *amiciat imbrifer.* Ed. a. 1472.

> *Venturam admittat* hymbrifer *arcus aquam.*

48. OPERE INSUETAS ATTERUISSE MANUS] Edd. veteres, ut princeps, *operi.* Statius, Legi etiam possit *opere.* Sed hoc nullo in libro. Broukhusius contra „In nullo libro *operi* legitur. Est opinor a Scaligero, cum voce *insuetas* copulante: multi (ut Cod. Paris.) *opera* exhibent.“ Non igitur consuluit editiones Scaligeranis antiquiores, v. c. Venetas 1491 —. Pro *atteruisse* Edd. Venet. cum aliis *attenuasse.* Cyllenius *atteruisse.* Theocritus XVI. 32.

> ὡσεί τις μακέλᾳ τετυλωμένος ἔνδοθι χεῖρας.

Lucretius V. 1358.

> *Ut muliebribus id manibus concedere vellent,*
> *Atque ipsei pariter* durum *subferre* laborem
> *Atque* opere in duro *durarent membra* manusque.

Ubi Wakefield. comparat Virgil. IV. Georg. 114.

> *Ipse labore* manum *duro* terat.

49—50. ALTAS CLAUDERE VALLES] Heynius desiderabat *saltus* vel *montes*, in quibus retia fere tendi solent. Enimvero *altae valles* nihil aliud nisi *colles* sunt, vel etiam *cavae montium convalles*, Virgil. II. Georg. 186. Livius VII. 24. *Propulistis a castris*, supina valle praecipites *egistis, stratis corporibus hostium superstatis. Com-*

Si volet arma, levi tentabis ludere dextra;
Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit; rapias tunc cara licebit
Oscula; pugnabit, sed tamen apta dabit.

V. 53. Tum.

plete eadem strage campos, qua montes *replestis.* Nota est cedrus Ovidii I. Am. 14. 11. *madidis in vallibus Idae.* quod Homerus dicit Il. *β.* 821. *Ἴδης ἐν κνημοῖσι.* Sed optimus verborum suorum interpres est Tibullus infra IV. 3. 7. ubi venatorem inducit *densos indagine* colles claudentem. Cave enim credas interpolatori, *saltus* substituenti collibus. — *humeri ferre negent.* Edd. Venetae cum paucis, etiam scriptis libris: *humeris retia ferre neges.* quod auctori suo relinquendum. De re ipsa Virgilius Ecl. III. 75.

> *Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo.*

53 — 54. RAPIAS TUM CARA LICEBIT OSCULA] Cod. Dresd. Edd. Rom. Brix. Venet. 1491 — *capias.* quod non spernendum, modo in locum litterae, adiectivo praereptae, sufficias litteram verbo subtractam, legasque: capias *tum* rara *licebit Oscula.* Vide Propertium II. 19. 15. Ovidium II. Am. 19. 6. III. Art. Am. 580.

> *Miscenda est laetis* rara repulsa *iocis.*

Nempe *capias* scribere potuit Tibullus, quia *mitis erit* puer et *apta dabit* oscula, *rara* vero, quia adhuc *pugnabit.* Sed quamquam primo *rapta dabit*, *mox* tamen *offeret ipse roganti* vel *volenti,* atque adeo *collo se implicuisse volet.* Quae mihi elegans videtur gradatio. Caeterum *rapere oscula* Graece etiam dicitur *ἁρπάζειν φιλήματα.* Meleager ep. XIV. 8.

> — *καί τι φίλημ' ἁρπάσαι ἀκροθιγές.*

Caeterum et Cod. Paris. et Ed. a. 1472. et aliae Edd. veteres utroque loco habent, Tunc *tibi* — tunc *cara.*

Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,
Post etiam collo se implicuisse volet.

55—56. MOX OFFERET IPSE ROGANTI] Statius in omnibus libris *adferat* pro *offeret* legerat, in iis credo, qui minori etiam versu *velit* pro *volet* habebant. Praestat utroque loco futurum tempus. Cod. Paris. *post afferet.* Ed. a. 1472.

Rapta dabit primo post afferet ipsa *uolenti.*

Ed. Vicent. *mox adferet.* Hoc adeo probabat Santenius Bibl. Crit. P. III. p. 73. ut *offeret* pro errore typographi haberet. Equidem, etsi omnes libri scripti *adferat* vel *afferet* exhibere dicuntur, praeter Commel. qui *offert* habet, tamen *offeret*, quod exstat in Venett. 1491. 93., retinendum censeo. Dicunt Latini *ferre oscula alicui;* qui *adferre* dixerit, neminem novi. Iam qui alicui fert oscula *ultro*, hoc enim est *ipse*, is haud dubie oscula *offert*, non *affert*, tamquam in patina. Virgil. Ecl. III. 66.

At mihi sese offert ultro *meus ignis Amyntas.*

Iustinus XXXIV. 5. *Quum in Aegypto eum invenisset* osculumque ei rex obtulisset — *nam coluerat inter caeteros Popilium Antiochus, quum Romae obses esset — tunc Popilius* facessere interim privatam amicitiam *iubet, quum mandata patriae intercedant.* Appuleius II. Metam. p. 21. Pric. *En, inquit, Hercules, Lucius: et* offert osculum. — Nec tamen Tibulli loco abuti debebam ad corrigendum Propertium I. 13. 17.

Et cupere optatis animam deponere labris:

iudice etiam Santenio meo, qui rescribebat: „*aptatis* praefero τῷ *oblatis.* nec ulla hic puellae, prius reluctantis, mentio." Bene, sed melius *optatis*, ut apud Virgilium VIII. Aen. 405. Optatos *dedit amplexus.* ubi sunt, qui *oblatos* praebeant. Quid dicam de loco Phavorini apud Stobaeum Serm. LXIII. p. 407. quem ibidem (Ep. Crit. p. 59.)

Heu, male nunc artes miseras haec saecula tractant,
Iam tener adsuevit munera velle puer.

V. 57. secula.

emendare conatus sum? Hic locus ita expressus est in Ed. 1609. *καὶ οὐκ ἂν ἔδεισα τὴν εὐωχίαν τὴν τῶν καλῶν. Τί γὰρ ἄλλο ποιοῦσιν οἱ τῷ στόματι ψαύοντες(,) συνάπτουσι τὰς ψυχάς; εἰ γὰρ θέμις ἦν τὸ σῶμα ὑπερβῆναι. νῦν δὲ ἐοίκασι περὶ τὸ σῶμα λιπαρεῖν, ὡς περὶ θύρας.* Priora verba nulla indigere videbuntur emendatione, ubi post *ψαύοντες* distinctionem deleveris: *τῷ στόματι συνάπτουσι τὰς ψυχὰς ψαύοντες (αὐτοῦ.)* Nisi forte articulo *οἱ* substituenda sit particula *ἤ*. Porro Iacobsius, vir praestantissimus, deceptus mecum vitiosa scriptura, *εἰ γὰρ θέμις ὢν*, emendat Animadv. in Eurip. p. 267. *εἴπερ θεμιτὸν* — Animad. in Anth. Gr. Vol. I. P. I. p. 337. *εἰ γὰρ θέμις, ἕλοιντο.* Sed mendum haeret in extremis verbis, quod ita corrigo: *νῦν δὲ ἐοίκασι περὶ τὸ στόμα λιπαρεῖν ὡς περὶ θύρας.* Nihil certius. Vide Euripidis Hippol. 882. Gellium XIX. 11. Aristaenetum II. 7. *ἐγγὺς μὲν τοῦ στόματος ἡ καρδία. ἡ δὲ ψυχὴ τῶν θυρῶν.* Etym. M. p. 818. 52. *Ψίθυρ — παρὰ τὸ ψίω καὶ τὸ θύρα, ὃ σημαίνει περιφραστικῶς τὰ χείλη.* Xenophon Symp. IV. 26. *τὸ τοῖς σώμασι συμψαύειν ὁμώνυμον εἶναι τῷ ταῖς ψυχαῖς φιλεῖσθαι.* Ubi item Wyttenbachius emendat *στόμασι.* — Perperam Broukhusius scribit: Scaliger ex suo libro, *mox* adferet *ipse roganti.* Scaliger enim edidit, *offeret — volenti*, praeferens tamen ex suo libro, *offeret roganti.* Sed *volenti* habent complures libri scripti, Edd. veteres, quod sciam, omnes. — V. 56. Ed. a. 1472. *uolet.* Cod. Paris. *uelit.*

57. MALE ARTES MISERAS TRACTANT] Unus Heinsii et Askew. *damnant.* Hic igitur librarius locum ita cepit, quemadmodum Heynius et, qui Heynium sequitur, Vossius — nam Vulpii editionem nunc quidem ad manum non habeo — ceperunt, quasi

At tibi, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.

artes musicae intelligantur, easque male haberi et contemni ab istis hominibus queratur Priapus et propterea *miseras* appellet, hoc est, miseratione dignas. Verum *male tractare artes musicas* nihil aliud est, quam quod Graeci dicunt, *μουσικὴν κακῶς ἐργάζεσθαι*, v. c. *mala carmina facere*, vel etiam *bona carmina male interpretari* et *perperam emendare.* Quod quomodo illuc pertineat, vides. Non actionem *malae tractationis* amatoribus istis hoc loco pro Musis intendit Priapus, sed queritur, eos *tractare artes*, a musicis artibus, quas v. 61. commemorat, et ab officiosis illis negotiis, quae supra commemorantur, longe diversas, v. c. largitionem vel corruptionem, quas *miseras* artes vocat contemtim, sicut alii *malas.* Sallustius Catil. III. 3. *Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute* audacia, largitio, avaritia *vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur,* insolens malarum artium, *tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur* etc. Igitur recte Cyllenius *tractant* pro *exercent* sumit. nec a vero declinavit Wunderlichius.

59 — 60. AT TIBI — INFELIX URGEAT OSSA LAPIS] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Iam tu.* Corvin. et Goth. *Iam tibi.* Excerpta Heinsii Italica, Pocch. et Perrei. *At tibi.* quod recte restituit Broukhusius. Est haec sollemnis formula in exsecratione. Vide Tibullum II. 5. 61. in primis Propertium III. 8. 57 — 58. cuius loci simillima est compositio. — *infelix lapis.* Sophocles Oed. Col. 402.

κείνοις ὁ τύμβος δυςτυχῶν ὁ σὸς βαρύς.

61. PIERIDAS] Ed. a. 1472. *Pierides.*

Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.

V. 65. **referunt.**

63 — 64. NISI COMA; CARMINA NI SINT — NON NITUISSET] Cod. Paris. *non ni* coma. Catullus VI. 1.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint *illepidae atque inelegantes,*
Velles *dicere nec tacere* posses.

65. QUEM REFERENT MUSAE, VIVET] Haec est legitima temporum consecutio, quam frustra oblitterare conatus est editor ut hoc loco, ita infra II. 4. 43. II. 6. 7. IV. 1. 35. ubi tamen aliquot librarios adstipulantes habet. Nunc ne unus quidem liber aberrat a lectione recepta, quam exemplis, si opus esset, confirmarem pluribus. Sed pauca sufficient. Terentius Phorm. Prol. 27.

Quia primas partes qui aget, *is* erit *Phormio*
Parasitus, per quem res geretur *maxume.*

Horatius Art. Poet. 6.

Credite, Pisones, isti tabulae fore *librum*
Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae
Fingentur *species.*

Domitius Marsus apud Quintilianum VI. 3. 105. *Urbanus homo* erit, *cuius multa bene dicta responsaque* erunt: *et qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque* dicet. *Risus* erunt, *quicunque haec* faciet *orator.* Cicero I. Off. c. 42. *illinc* assumes, *quae ad*

At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idaeae currus ille sequatur Opis;
Et tercentenas erroribus expleat urbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

hunc locum pertinebunt. Anemoecius *pertinent.* Quod vero ad eundem modum scribit Callimachus epigr. 22.

Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας
Μὴ λοξῷ, πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους·

hoc igitur ita expressit Hesiodus Theog. 81. (nam lectionem Themistianam non curamus)

ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
γεινόμενόν τ' ἐςίδωσι διοτρεφέων βασιλήων,
τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν.

68. IDAEAE] Cod. Paris. *Ydaeae.* Ed. a. 1472. *Ideae.*

69. ERRORIBUS EXPLEAT URBES] Unus Heinsii Ital. et Colot. *explicet.* Hinc Mitscherlichius Teut. Crit. p. 5. emendat *implicet*, laudans Lucanum VIII. 4. Valerium Max. VII. 4. p. 664. Longol. *totam Celtiberiam errore implicavit.* Statius corrigebat, *tercentenos erroribus expleat orbes.* Virgilius XII. Aen. 763. *Quinque* orbes explent *cursu* —, ubi alii legunt, *implent*, quemadmodum hoc loco Guelferbitani duo habent *impleat*, quod exstat etiam in Edd. Venet. 1491 —. Sed Cyllenius in commentario, perpetuo dissentiens ab editore suo, non nisi *expleat* profert, quod interpretatur *excursionibus transeat.* Pessime omnium Burmannus corrigit *erronibus.* Quorsum haec omnia? Nullo indiget locus correctore. Vide doctam Porsoni annotationem ad Euripidis Or. 54.

λιμένα δὲ Ναυπλίειον ἐκπληρῶν πλάτῃ.

Eiusmodi errones *ἀγείροντες*, hoc est, qui Dei De-

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.

V. 71. ipsa locum Venus; illa,

aeve alicuius nomine urbes vicosque circumeundo stipem sibi quaerebant, diu ante Gallos in Graecia exstiterunt. Testis antiquissimus est Aeschylus Agam. 1265. (86.) de Casandra:

> καλωμένη δὲ, φοιτὰς ὡς ἀγύρτρια,
> πτωχὸς, τάλαινα, λιμοθνὴς ἠνεσχόμην.

Sophoclis vel eiusdem Aeschyli locum apud Schol. Aristophanis Ran. 1385. tractat ad Timaeum p. 9. Ruhnkenius, cuius emendationem silentio praetermisit, hoc est, improbavit Valckenarius Diatr. p. 11. De Gallis exstat praeclara fabula Babrii apud Tzetzem Chil. XIII. 264. apud Tyrwhittum p. 54. ed. Harles.

70. PHRYGIOS] Cod. Paris. *Frigios.*

71 — 72. BLANDITIIS VULT ESSE LOCUM VENUS IPSA] Unus et alter liber *modum* habet pro *locum.* Vitiose, ut contextus docet. Virgilius IV. Georg. 225.

> *Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri*
> *Omnia*; nec morti esse locum.

Idem IV. Aen. 319.

> *Oro*, si quis adhuc precibus locus, *exue mentem.*

Sed copulae omissio inter *querelas supplices* et *miseros fletus* quum offenderet viros doctos, alii locum aliter constituerunt. Male Scaliger; *Blanditis — ipsa querelis. Supplicibus* — flentibus ipsa *favet.* Melius Heynius: illa *querelis Supplicibus; miseris fletibus illa favet.* Optime Burmannus Secundus: *Venus ipsa: querelis* Supplicis, et *miseris fletibus illa favet.* Hoc etiam probatur Santenio Bibl. Crit. P. III. p. 77. nec tamen prorsus necessarium videtur. Vossius contra, ne pronomen *ipsa*

sero veniat, transferendum illud in locum verbi *esse*, et assumendam censuit emendationem Heynianam *illa*. At nunc, quod gravius est, *Venus* sero venit, vel potius languet, nec bene dicitur, *Blanditiis* vult locum *Venus*; quum e contrario omnem vim suam retineat *Venus ipsa*, quam supra ad v. 23. in eadem statione *ridentem* vidisti apud Horatium. Adscribam locum similem Propertii, ut, quid velim, planum fiat, II. 28. 9.

> *Num sibi collatam doluit* Venus? illa *peraeque*
> *Prae se formosis invidiosa dea est.*

Ubi nonnulli libri habent *Venus ipsa*, peraeque —. Cur ibi bene habet lectio *Venus? illa* —. Scilicet quia Venus hoc loco non per eminentiam et sola infertur sed coniunctim cum Iunone et Pallade. Ergo etiam in hac statione non languet. Mirabile videtur, quod non senserint viri docti, quanta sit efficacia in pronomine *ipse*, coniuncto ita cum nomine suo. Sic supra *pater ipse* eiectus eique substitutus est *pater ille*. Sic Broukhusius contendit ad hunc locum, Propertium II. 26. 42. scripsisse: *Incendat navem* Iuppiter ille *licet*. quamquam in omnibus libris sit *Iuppiter ipse*, et in fronte hexametri exstet *Illa:* quod tacite mutatur in *Ipsa*. Iuppiter *ille* magna cum vi alibi ponitur. Sed Broukhusius ita de hac re scribit, quasi nusquam reperiatur *deus ipse*, *Iuppiter ipse*, *Venus ipsa*. Ergo aliquot exempla proferamus. Virgilius III. Georg. 266.

> *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,*
> *Et mentem* Venus ipsa *dedit.*

Ovidius X. Metam. 586. *Audentes* deus ipse *iuvat.* Quam sententiam Tibullus I. 2. 16. transtulit ad Venerem:

> *Audendum est. Fortes adiuvat* ipsa Venus.

Propertius IV. 3. 50.

> *Hanc* Venus *ut vivat ventilat* ipsa *facem.*

Magnam item vim habet clausula σὺ δ' αὐτὰ — abiiciendum enim frigidum illud σὺ δ' αὖτε — qua praeclarum carmen ad Venerem terminavit Sap-

Haec mihi, quae canerem Titio, Deus edidit ore;
Sed Titium coniux haec meminisse vetat.
Pareat ille suae: vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
Consultent; cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, quum me, Veneris praecepta ferentem,
Deducat iuvenum sedula turba senem.

V. 74. coniunx. 79. quom.

pho (apud Dionysium Halic. de Comp. Verb. p. 354 — 452. ed. Schaef.)

ἐλθέ μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον
ἐκ μεριμνᾶν, ὅσσα δέ μοι τελέσσαι
θυμὸς ἱμέῤῥει, τέλεσον, σὺ δ' αὐτὰ
σύμμαχος ἔσσο.

72. FLETIBUS] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *flentibus*.

73 — 74. TITIO — TITIUM] Cod. Paris. *Tacio* — *Tacium*. Ed. a. 1472. *Tityo* — *Tityum*.

77. ME, QUI SPERNENTUR] Cod. Paris. *qui me spernentur*.

79—80. TEMPUS ERIT, QUUM — DEDUCAT] Cod. Paris. *Diducat*. Recte Heynius censet reponendum potius esse, *deducet*. Aut enim ita scribunt Latini, *tempus erit, quum deducet*; aut ita, *tempus erit, quo deducat*, quamquam etiam *deducet*. Haec saepenumero a librariis et criticis confusa, et ubi per metrum fieri potuit, altera forma alteri substituta est, v. c. ab Heinsio in Ovidio XIV. Metam. 147.

Heu, heu, quam lento Marathus me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.

V. 81. Marathus lento.

Tempus erit, quum me *de tanto corpore parvam*
Longa dies faciet, *consumptaque membra senecta*
Ad minimum redigentur *opus*.

Ita hic locus laudatur a Statio supra ad v. 17. Nunc Heinsius ex aliis libris reposuit *faciat* et *redigantur*. Virgilius I. Aen. 283.

Veniet *lustris labentibus* aetas,
Quum *domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas*
Servitio premet *ac victis* dominabitur *Argis*.

Numquam aliter scribit Virgilius. Vide X. Aen. 11. I. Georg. 493. Semel ita variavit X. Aen. 503.

Turno tempus erit, *magno* quum optaverit *emptum* etc.

Claudianus VIII. 652. *Tempus erit*, quum — signabitis *annum*. Theocritus XXIII. 33.

ἥξει καιρὸς ἐκεῖνος, ὁπανίκα καὶ τὺ φιλάσεις.

Sed quum duo libri scripti Vindob. et Voss. hoc loco habeant *quo*, tres alii *quom*, omnes *deducat*, suspicor Tibullum scripsisse: *Tempus erit*, quo *me* — *deducat*. Porro pro *ferentem* in uno Statii alteroque Heinsii est *canentem*. Heynius malit *serentem*. in quod incidit etiam Wakefieldius Silv. Crit. P. V. p. 108. Pro *senem* Scaliger in Castig. reposuit *domum*, quod probat Valckenarius ad Callimachi Fragm. p. 204. tribuens emendationem Santenio.

81. HEU, HEU, QUAM LENTO MARATHUS] Cod. Paris. *He heu quam Marathus*. Bene Broukhusius observat: hic loci habet quemdam leporem querulae particulae geminatio lugubris: praesertim sequente tardigrado Spondeo, ut in editione Statii, Canteri, Donzarum, *Heu heu quam lento Marathus*. Nempe antiquiores habent, *Heu heu*

Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
Quum mea ridebunt vana magisteria.

V. 84. Quom.

quam Marathus *lento*. quae procul dubio vitiosa est structura. Neque enim Marathus propterea potiori in loco collocari debuit, quia haec est, quod ille ait, notio primaria, neque vero *lentus amor* hac vocum distractione *quam — lento* fit lentior vel, quod idem ait, vi crescit, quod prorsus ridicule sumitur, sed crescit ille potius et amplificatur hac ipsa verborum *quam lento* coniunctione et vicinitate. Nempe particula *quam* inseparabilis est ab adiectivo *lento*, cui per se debili vim tribuit efficaciorem, ut apud Horatium I. carm. 13. 8.

Quam lentis penitus
macerer ignibus.

Rem planam faciamus exemplo versus ad eundem fere tornati modum. Scripsit Virgilius Ecl. III. 100. similiter:

Heu heu quam pingui
macer est mihi taurus in ervo!

Hic potior sententia sine dubio est *macer taurus*, nec tamen *macer* praeponitur *pingui*, quamquam scribi potuerit, atque adeo, si quosdam audias magistros, scribi debuerit, *Heu heu quam macer est pingui* —. Quidni fecit Virgilius? Praetulit videlicet post querulae particulae geminationem lugubrem, ut Tibullus, tardigradum Spondeum: nec tamen assecutus est ambiguo hoc versu Theocritum IV. 20. *Λεπτὸς μὰν χώ ταῦρος ὁ πυῤῥιχος.* Illud autem omnium exceptum foret equitum peditumque cachinno, si Virgilio in mentem venisset, notionem nunc quidem re vera principalem, hoc est, *taurum* gregis ducem caeteris praeponere et scribere:

Heu heu quam taurus
macer est pingui
mihi in ervo!

83. NE TURPIS FABULA FIAM] Ed. a. 1472. *ne* turbis *fabula fiam.*

ELEGIA V.

Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar;
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer adsueta versat ab arte puer.

V. 3. vagor, per —

ELEGIA V.

„Queritur quod cum pro amica uota fecerit alter eam teneat.“ Ed. a. 1472.

1. DISCIDIUM] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *dissidium.*

3. NAMQUE AGOR, UT — TURBEN] Unus liber Vossianus n. 4. solus habet et sine aemulo, *Namque* vagor *per plana* etc. Lectionem tam nullam in contextum hodieque inferri potuisse, est profecto, quod mireris. Turbo non *vagatur*, sed *agitur*, *οὐ πλάζεται* (Homer. Il. ϰ. 91.), *ἀλλὰ στρέφεται* (Callimachus ep. 1. 9.). Ergo etiam homo turbini comparatus non vagatur, sed, quod Tibullus sine controversia scripsit, *agitur*, *στρέφεται*, *δινεῖται*, ut apud Theocritum II. 30. Non negamus, posse hominem vel Furiis agitatum *vagari* per agros, per urbes, sicut apud Virgilium IV. Aen. 68.

Ure ferum et torque: libeat ne dicere quidquam
Magnificum posthac, horrida verba doma.

Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens.

Sed ibidem VII. 578 — 584. Amata turbini, habenis acto, comparata *non cursu segnior illo*

Per medias urbes agitur *populosque feroces.*

Accedit quod comparatio illa pertinet ad animum, qui, etsi per totum terrarum orbem vagari potest et exspatiari, tamen ubi perturbatus est amore, in se ipse vertitur et tamquam turbine circumagitur. Ovidius II. Am. 9. 27.

Quum bene pertaesum est animoque relanguit ardor,
Nescio quo miserae turbine mentis agor.

Et hanc lectionem confirmat testis multo locupletior librario isto Vossiano Charisius p. 117. scribens: „Turben Tibullus.

Namque agor ut per plana citus sola verbere turben.

quem Maro septimo turbonem vocat, *Tortus sub verbere turbo.*“ Hinc recte Statius et Scaliger Tibullo restituerunt formam *turben*, quamvis omnes, quos hodie terimus, libri habeant *turbo*. Caeterum Statius vim verbi *agere* bene illustrat loco Sapphus (Anal. Br. T. I. p. 57.), *Ἔρος αὖτέ μ᾽ ὁ λυσιμελὴς δονεῖ, γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.* quod fragmentum comparandum est cum fragmento Ibyci, quod supra descripsimus ad El. IV. 52. Bion IV. 5.

ἦν δὲ νόον τις Ἔρωτι δονεύμενος ἁδὺ μελίσδῃ —

5 — 6. URE FERUM — DOMA] Achilli Statio hi duo versus suspecti erant et propter *ἀνακόλουθον* et propter ipsum genus dicendi. Sed deceptus ille fuit prava veterum editionum interpunctione, quam postea correxit Theodorus Pulmannus ad finem Ed. Plantin. 1569. Ed. a. 1472. *liceat — quicquam.* Eadem editio cum

Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
Per Venerem quaeso, compositumque caput.

cod. Paris. aliisque libris scriptis editisque v. 6. habet *post haec.* quod Propertius frequentat, excepto uno loco, I. 15. 13.

Et, quamvis numquam posthac *visura, dolebat.*

Ubi tamen libri quidam item *post haec* exprimunt. E contrario infra IV. 5. 16. omnes, credo, libri consentiunt in

Nulla queat posthac *quam soluisse dies.*

— *horrida verba.* Nonnulli libri *aspera verba.* Euripides Phoen. 190. ad Nemesin: *σύ τοι μεγαληγορίαν ὑπεράνορα κοιμίζοις.*

7—8. PER TE FURTIVI FOEDERA LECTI — QUAESO] Hanc constructionem, in obtestatione solemnem, qua pronomen inter praepositionem et casum praepositionis interponitur, in deliciis habet Tibullus. Sed librarii pariter atque editores rem satis obscurarunt. Hoc loco in veteribus libris omnibus Statius repererat *parce,* quod exprimunt etiam Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Ed. Venet. 1520. *te per.* Infra IV. 5. 7.

Mutuus adsit amor, per te *dulcissima furta,*
Perque tuos oculos per Geniumque rogo.

iterum libri quidam habent, *te per.* Edd. Venet. et quam Veterem dico, (sine loco et anno) cum Aldina prima conspirantem, *tua per.* Rursus IV. 13. 15. vulgo editur, quod ferri potest:

Haec *tibi sancta tuae Iunonis numina iuro.*

Sed Heinsius ad Ovidium III. Am. 2. 61. e vetusto codice restituendum censet *Per tibi.* Nulla plane scripturae varietas notatur III. 1. 15 — 16. Sed vide, quam commode hic locus hodie ita interpungatur:

Per, vos *auctores huius mihi carminis,* oro
Castaliamque umbram Pieriosque lacus.

Praestat omnem huius loci interpunctionem delere, quod primi fecerunt editores, quam verba vel ita concidere, vel etiam ut conciduntur in Edd. Heynianis: *Per, vos, auctores — carminis. oro, Castaliamque —.* Saltem ita interpungendum erat:

> *Per vos, auctores huius mihi carminis, oro*
> *Castaliamque umbram —.*

Elegantiae *Romanae* est, ut scribit Broukhusius ad IV. 5. 7. *ubi praepositio a suo casu disiungitur inserto pronomine.* Immo haec elegantia e Graecia in Latium migravit, monente contra Broukhusium Valckenario ad Euripidis Phoen. 1659.

> *ναὶ πρός σε τῆσδε μητρὸς*
> *Ἰοκάστης, Κρέον.*

Ubi reticetur verbum, quod item imitantur Latini, ut Lucanus X. 370. Interdum in hac adiurandi formula praepositio omittitur, ut apud Homerum Od. *β.* 68. de quo loco vide Porsonum ad Euripidis Or. 663. Est ubi pronomen cum aliqua vi repetatur, v. c. apud Euripidem Iphig. Taur. 1068. Hoc etiam fecisse videtur auctor elegantissimi carminis, quod nunc Alcaeo adscribitur, inter Theocritea XXIX. 25—27. qui locus adhuc sine ulla caussa foedis lacunae signis deturpatus editur, quum legi sine haesitatione possit:

> *ἀλλὰ πρές σ᾽ ἀπαλῶ στύματός σε πεδέρχομαι*
> *μνασθῆμεν, ὅτι πέρυσιν ἦσθα νεώτερος,*
> *χὤτι γηραλέοι πέλομες πρὶν ἀποπτύσαι.*

hoc est: *Sed per tuum os tenerum te rogo, ut memineris,* animo reputes, *te anno praeterito fuisse iuniorem.* *Πεδέρχεσθαι* absolute nunc pro *obsecrare* ponitur, ut apud Herodotum VI. 43. *ἐγὼ δέ σε ὦν μετέρχομαι τῶν θεῶν, εἰπεῖν τὠληθές.* quod mox plene dicitur *λιτῇσι μετέρχεσθαι.* Aeoles *πρές σε* vel *περσὲ* scribebant, non *πρός σε*, quod Brunckius substituit, cui tamen debetur *μνασθῆμεν.* Vide Gregorium Cor. p. 274. (585. Schaef.), qui hoc ipsum carmen compilasse videtur. Nec, ut in carmine Alcaei, fulcro illo opus, quod quaerens Brunckius scribebat:

> *μνασθῆμεν δ᾽, ὅτι πέρυσιν ἦσθα νεώτερος.*

Sed nunc satis erat, orationis contextum restitu-

Ille ego, quum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine quum magico praecinuisset anus.
Ipse procuravi ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.

V. 9. quom. 14. devenerata.

isse. — Per *foedera lecti* etiam Tecmessa apud Sophoclem obtestatur Aiacem v. 492. per *lectum* et *caput* Iuno Iovem apud Homerum Il. o. 36. Callimachus, interprete Catullo LXVI. 40.

— *adiuro teque tuumque caput.*

11. TER CIRCUM — SULFURE PURO] Ed. a. 1472. *te circum.* Nil caeteroquin variant libri, nec opus est cum Broukhusio legere *vivo. Purum* sulfur est, quod Etym. M. p. 449. scribit: *Θεῖον, τὸ ἐπιθυμιώμενον εἰς κάθαρσιν καὶ ἀβλαβὲς*, vel, ut scribitur in v. *Θύον* p. 457., *ἀβλαβεῖς ποιοῦν*. Unde quid sit *ἀβλαβὲς ὕδωρ* apud Theocritum intelligitur Id. XXIV. 94.

καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ πρᾶτον· ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον — ὡς νενόμισται —
θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

Virgilius VI. Aen. 229.

Idem ter socios pura *circumtulit* unda,
Spargens rore levi et ramo *felicis olivae.*

12. PRAECINUISSET] Ed. a. 1472. habet, quod adhuc non nisi in uno Statiano repertum:

Carmine cum magico pertimuisset *anus.*

13. PROCURAVI NE POSSENT] Ed. a. 1472. *ne possint.* Sustuli interpunctionem, quum verba ita construenda sint, *procuravi saeva somnia, ne possent nocere.* De qua

Ipse ego, velatus filo, tunicisque solutis,
  Vota novem Triviae nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
  Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
  Fingebam demens, sed renuente Deo.

V. 19. Ah.

verborum traiectione passim dicetur infra, v. c. ad I. 9. 25.

14. SOMNIA] Edd. Venet. *Semina.* Cyllenius: „quidam tamen non *Semina* sed *Somnia* textus habent.“ *salsa* pro *sancta* parva est Aldi, *devenerata* pessima Guyeti interpolatio. quasi *deveneranda* non sumi possit vel generaliter *quae deveneranda sunt*, ὡς νενόμισται, vel specialiter *quae deveneranda erant.* Similiter I. 9. 2.

> *Foedera per divos,* clam violanda, *dabas.*

Plautus Amph. II. 2. 107.

> *Sed, mulier, postquam experrecta es,* prodigiali Iovi
> *Aut* mola salsa *hodie, aut ture comprecatam oportuit.*

15. VELATUS FILO] Broukhusius vim vocis *filum*, quod universe sumitur pro *vitta* vel infula, ignorans e coniectura edidit *lino.* Festus in v. *Flamen Dialis dictus, quod* filo *assidue* veletur. *indeque appellatur flamen quasi filamen.* Videndus est Gronovius ad Livium I. 32. *Legatus* — capite velato filo (*lanae velamen est*), *audi Iuppiter, inquit.*

16. VOTA NOVEM TRIVIAE] Cod. Paris. *Voca nouem creme.* pro quo Guarnerianus habet, *Craemae.* Singularis aberratio pro *Triviae!* Ed. a. 1472.

> *Vota nouem* veneri *nocte silente dedi.*

19 — 20. AT MIHI — SED] Nullus liber *Ah* habet pro *At.* nec feren-

Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret.
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
Pressaque veloci candida musta pede.
Consuescet numerare pecus; consuescet amantis
Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa Deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

da est haec interpolatio. Propertius II. 7. 5.

> At *magnus Caesar*. sed *magnus Caesar in armis*.

Pindarus Ol. II. 173. *ἀλλ᾽ αἶνον ἔβα κόρος οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ᾽ ἀνδρῶν*. Santenius ad Propertium p. 917. *et* pro *sed* Tibullo restitui velit. Male! Martialis II. 14. 14.

> *Omnia quum fecit,* sed *renuente deo.*

21—34. RURA COLAM] De subita hac orationis *μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος* valet. quod de simili loco Homeri Il. o. 546. scribit Longinus *Π. Ὕ.* Sect. XXVII. *ἐψύχετο γάρ, εἰ παρενετίθει· Ἔλεγε δὲ τοῖά τινα καὶ τοῖα ὁ Ἕκτωρ. Νυνὶ δ᾽ ἔφθακεν ἄφνω τὸν μεταβαίνοντα ἡ τοῦ λόγου μετάβασις*. Sed de hac re plura dicentur infra ad II. 5. 39. Nunc vide Ovidium Heroid. XIX. 41. ubi Hero ita subito pergit, nulla interposita transitus nota:

> *Iamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?* etc.

23—24. AUT MIHI SERVABIT] Hoc primi dederunt editores. Libri scripti habent *Et*, *At*, *Ac*. Murctus intulit *Haec*, quod assumpsit Pulmannus. Equidem praetulerim *Et*. Mox pro *candida musta* Broukhusius e nonnullis libris edidit *pinguia*. quod huc translatum videtur ex I. 1. 10. ubi vide, quae annotavimus.

28. PRO SEGETE SPI-

Illa regat cunctos, illi sint omnia curae;
Et iuvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus.
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.

V. 30. At. 31. quoi. 32. detrahat.

cas] Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Pro segete et *spicas pro grege ferre dapem.*

30. et iuvet] Uterque liber scriptus et editus, *Adiuvet.*

31 — 32. huc veniet — cui detrahet] In uno *veniat*, in multis *detrahat.* Aut ita legendum aut, Huc *veniet*, cui *detrahet.* Alterutrum enim exigit temporum aequalitas. Numquam aliter scribitur, ubi binae sententiae interposito pronomine *cui*, pro *eique*, connectuntur. Hoc quoties fit apud Tibullum, fit autem saepissime, toties fere fucum fecit novissimo editori. Vide I. 6. 40. II. 1. 78. II. 3. 43. Tribus his locis falsae nunc inductae sunt lectiones. Intacta forte fortuna manserunt I. 1. 4. et II. 2. 6. Martialis IV. 53. 5.

Cerea quem *nudi tegit uxor abolla grabati,*
Cui dat *latratos obvia turba cibos.*

Docet simillimus locus Tibulli I. 1. 3 — 4. ferri nullo modo posse, quod quidam substituerunt:

Cuique *datis latrat obvia turba cibis.*

33 — 34. et tantum venerata virum, hunc] Hoc distichon asteriscis tamquam spurium notavit Heynius, scribens in Observationibus: Ut ex animo dicam, quod sen-

tio, quale illud nunc habemus, vix hoc distichon a Tibulli manu venire potuit. Nitor omnis abest et ipsa sermonis ratio. — Sed partem nitoris orationi ipse detraxit Heynius sublata post *virum* interpunctione: *Et, tantum venerata virum hunc, sedula* —. Hoc per metrum fieri nequit. At alterum non insolens, sequente praesertim post interpunctionem voce aspirata. Guelf. liber, *nunc sedula curet; Nunc paret atque — ferat.* Sed *hunc curet, huic paret* retinendum est vel propter similem Horatii locum II. Serm. 5. 214.

> *Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,*
> Huic *vestem ut gnatae* paret, *ancillas* paret, *aurum:*
> *Rufam aut Posillam adpellet* —

Ubi Wakefieldius reposuit, *ut gnatae* pater *ancillas paret* etc. probabili quidem nec tamen, quod mihi quondam visum, palmaria emendatione, quum vulgata scriptura egregie conveniat officiosae patris sedulitati. Quae observatio pertinet etiam ad locum Tibulli. Sed Horatius sua repetivit a scena. Terentius Heaut. V. 1. 20.

> *Sponsae* aurum, vestem, ancillas, *opus esse: argentum ut dares.*

Lucianus Dial. Meretr. VI. p. 294. *νῦν ὁρᾷς οἷα πρόεισι, χρυσὸς καὶ ἐσθῆτες εὐανθεῖς καὶ θεράπαιναι τέσσαρες.* Tibulli contra verba repetita sunt a cultu divino, *venerari, curare.* Vide Plautum Aul. prol. 18. Horatium III. Carm. 17. 14. *cras Genium mero Curabis.* Exquisite etiam, ut omnia in his versibus, dictum illud, *epulas ipsa* ministra *gerat* vel *ferat.* Pocula enim et epulae *ministrantur* proprie. Cicero Tusc. I. 26. *non enim ambrosia deos, aut nectare, aut* Iuventate pocula ministrante, *laetari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganymedem a diis raptum ait propter formam,* ut Iovi bibere ministraret. De N. D. I. 40. *At poetae quidem nectar, ambrosiam,* epulas *comparant, et aut Iuventatem aut Ganymedem* pocula ministrantem. — Edd. Venet. 1491 — *Huic* pareat: *atque epulas.* Num fuit *Huic* pateram *atque epulas?* Withofius apud Schraderum Emend.

Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.
Saepe ego tentavi curas depellere vino;
At dolor in lacrimas verterat omne merum.

V. 35. **Caurusque.**

p. 137. corrigit: cui *sedula curet,* Cui *paret* —. In qua emendatione rationem sermoni et nitorem constare recte negat Santenius Bibl. Crit. P. III. p. 78. faciens caeteroquin cum Heynio, hoc distichon Tibullo abiudicante. Qua in re me minime omnium habet consentientem. Quis enim bonis optima subtrahi patiatur scriptoribus? Vide Homerum Od. *α.* 136 — 140.

χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα —
νίψασθαι· παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.
σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα.

35. EURUSQUE NOTUSQUE] Ita libri scripti paene omnes, etiam Cod. Paris. Edd. veteres habent *Caurusque.* Antiquiores, ut princeps a. 1472. et Vicent., *Eurusque Notusque.*

37. SAEPE EGO TENTAVI] Scaliger novam hinc exorditur Elegiam, sequente Broukhusio. Heynius asteriscos suos praefixit scribens: Vellem utique carminis superioris venustatem non esse contaminatam foeda lacinia, quae attexta est. Sententiarum tamen ordo ac nexus non omnino eos respuit. — Huic iudicio nomen adscribo meum. Vellem ipse, Tibullus a praeclara illa vitae felicis descriptione non subito transisset ad hanc, quae sequitur, vitae dissolutioris adumbrationem. Sed sententiarum ordo ac nexus hoc non respuit, neque vero huius poetae consuetudo. Vide II. El.

Saepe aliam tenui; sed iam quum gaudia adirem,
Admonuit dominae deseruitque Venus.
Tunc me devotum descendens femina dixit,
Et pudet, et narrat, scire nefanda mea.

V. 39. quom. 40. destituitque. 42. Et, pudet heu!

6. 29 — 43. et quae his statim subiiciuntur 44 — 54. *Dives amator*, quem infra dicit v. 47., idem ille est, de quo supra scribebat v. 17. *fruitur nunc alter amore.* — *curas* depellere *vino*. Hamb. *deponere*. Horatius I. Carm. 7. 30.

O fortes, peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas.

40. DESERUITQUE VENUS] Pauci libri *destituitque*, quod illo *ποιητικώτερον* esse verbum nunc primum didici. Plautus Pseud. I. 3. 147.

Illic homo meus est. nisi omnes Di me *atque homines* deserunt,
Exossabo ego illum similiter itidem ut muraenam cocus.

41. TUNC ME DEVOTUM DESCENDENS FEMINA] Ita Ed. a. 1472. Cod. Paris. ut vulgo *Tunc me discedens devotum.* Vide I. 2. 19. Eandem sortem expertus Amasis apud Herodotum II. 181. *ὦ γύναι,* inquit, *κατά με ἐφάρμαξας.*

42. ET, PUDET HEU, NARRAT] Ita, auctore Scaligero, hodie editur. Vulgo, *Et pudet, et narrat.* quae una est verissima lectio. Ovidius Rem. Am. 407. qui locus Statio obversabatur:

Et pudet, et dicam, *Venerem quoque iunge figura* —

Haec structura offensioni fuit Burmanno ad Anth. Lat. Tom. I. p. 57. reponenti *sed se cupit* pro eo, quod recte legitur apud Virgilium Ecl. III. 65.

Non facit hoc verbis; facie tenerisque lacertis
Devovet et flavis nostra puella comis.
Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato caerula pisce Thetis.

V. 43. niveisque.

Et *fugit ad salices*, et *se cupit ante videri.*

Idem accidit Drakenborchio ad Livium Epit. 48. Ed. a. 1472.

Et pudet: et narrat scire nephanda mea.

Muretus commodam sententiam ex hoc versu elici posse negat. Addit, quosdam legere:

Et dominae narrat scire nefanda meae.

Auratus, — *sacra nefanda meae.* Heynius, *Et pudet heu! dominam scire — meam*; supplens e superiore versu, *dixit.* Placet *meam*, in quod incidit etiam Nodellius Not. Crit. p. 72. Ergo versus ita fortasse constituendus est:

Et pudet, et *narrat*, *scire nefanda* meam.

43. NON FACIT HOC VERBIS; FACIE TENERISQUE] Ita Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Pro *verbis* pauci libri *herbis*, pro *teneris* habent *niveis.* Eaedem voces confunduntur apud Ovidium VII. Metam. 203. et apud Propertium III. 6. 13. Infra I. 8. 17. *herbis* opponuntur *carmina.* Ovidius VI. Her. 83.

Nec facie meritisve placet, sed carmine movit.

45. TALIS AD HAEMONIUM NEREIS PELEA] Cod. Paris. *Nereis que Pellea.* Ed. a. 1472.

Talis ad hemonium *Nereis* quae *Pelea quondam.*

46. CAERULA THETIS] Ed. a. 1472. *cerula.* Vide Passeratium ad Propertii II. 9. 15.

Haec nocuere mihi. Quod adest huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.

V. 48. Vertit.

Quum tibi nec Peleus aderat nec caerula *mater.*

47—48. HAEC NOCUERE MIHI. QUOD ADEST] Qui maiorem versum ita interpungunt ut Heynius, priores secutus editores, fecit:

Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator;

statuant necesse est, in pentametro supplendam esse vel cogitando vel etiam corrigendo copulam. Fieri enim nequit, ut verba: *Haec nocuere,* ad sententiam singularem, hoc loco ad solam divitis amatoris accessionem referantur. Igitur Ayrmannus emendavit:

Venit et *exitium callida lena meum.*

Ita hic versus simillimus fit Homerico illi Il. φ. 39.

τῷ δ' ἄρ' ἀνώϊστον κακὸν ἤλυθε δῖος Ἀχιλλεύς.

Adde Apollonium Rhod. III. 1134. Theocritus XIV. 56. ad puellam: ἐμὸν κακὸν, οὔ τοι ἀρέσκω. Vide Bentleium ad Horatii I. Carm. 15. 21. Iam Heynius, accedens Ayrmanno, locum ita interpretatur: Mihi hoc nocuit, et animum Deliae abalienavit a me, quod dives amator et lena pessima illam obsederunt. — Pessima sane interpretatio. Nempe falsa est Ayrmanni coniectura, vera unice vetus scriptura et Broukhusii interpunctio:

Haec nocuere mihi,
Quod *adest huic dives amator,*
Venit in *exitium callida lena meum.*

Quorum verborum sensum prorsus egregie explanavit Broukhusius: „post *mihi* ponendum est punctum, quod sensum finiat. pendent enim ista a superioribus, quibus se devoveri dixit, aetatula tenera, corporis totius illecebris et dulci flore formae. *Sed* quod *super haec mala* (pergit secum con-

queri) *accessit etiam amator dives et largus, hanc mihi pestem nocentis lenae calliditas est machinata.* Nullus est sensus in vulgata distinctione. tamen omnes videntur intellexisse: etiam illi, qui Variorum Notas contexuerunt." Huius annotationis praestantiam neque Heynium cepisse neque perpetuum Heynii obtrectatorem Vossium, vehementer miror. Nimirum nullis aliorum poetarum exemplis rem confirmavit Broukhusius. Hinc illae lacrimae! Verba, *Haec nocuere mihi*, suadente ipsius linguae proprietate, referenda necessario sunt ad superiora. Nam *nocere* in re magica sedem habet. Tibullus I. 8. 23.

> *Quid queror, heu! misero carmen* nocuisse? *quid herbas?* etc.

Ovidius III. Am. 7. 27. *num misero carmen et herba* nocent? Cicero III. Offic. 19. 5. *Quid ergo? hic non* noceat, *qui quodam quasi* veneno *perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat?* Respondet verbum *nocere* verbo *δηλεῖσθαι*. Theocritus IX. 37. Vide Valckenarium ad Ammonium p. 222. Iam sequitur nova sententia apud Tibullum, *Quod adest huic dives amator;* cuius cum pentametro nexum grammaticum pulchre perspexisse Broukhusium, exemplis aliquot demonstrabimus partim corruptis a librariis, partim incorruptis. Plautus Aul. I. 2. 12.

> *Cave quenquam alienum in aedes intromiseris.*
> Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo,
> *Ne caussae quid sit, quod te quisquam quaeritet.*

Ita hunc locum e libris scriptis restituit Muretus ad Catullum XXIII. 1. illustrans simul mirifice Tibullum I. 1. 6. De vi particulae *quod*, Hoc, inquit, non tam verbis exprimi quam prolatis exemplis patefieri potest. Atque id gnaviter egit vir cultissimus. Terentius Eun. V. 8. 34.

> *Si te in platea offendero hac post umquam*, quod dicas mihi
> *Alium quaerebam, iter hac habui: periisti.*

Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animae circum, sua fata querentes
Semper, et e tectis strix violenta canat.

Ubi videndi sunt Faernus et Bentleius. Atque his locis *quod* commode explicari potest per *quamvis*. Quando vero cum indicativo construitur, ut apud Tibullum, idem est ac, *quod attinet ad id, quod.* Virgilius II. Aen. 180.

> *Et nunc* quod patrias vento petiere Mycenas,
> *Arma deosque* parant *comites*, *pelagoque remenso*
> *Inprovisi aderunt.*

Egregie hunc loquendi modum illustravit Heinsius ad Ovidii Her. XVII. 51. perperam tamen huc trahens Propertium II. 25. 21. (19. 61.) *Tu quoque* quod *pleno* etc. pro *Tu quoque,* qui *pleno fastus adsumis amore.* Nulla enim caussa subest, quamobrem locus sanus vel hoc modo interpoletur vel illo, quem proposuit in Not. p. 700. vir eruditissimus. Burmannus tamen, mira inconstantia, ad III. 1. 49. item legit, *Tu quoque* quod *pleno*. Commode mihi hic succurrit Horatius I. Serm. 5. 58.

> *Illuc praevertamur*, *amatorem quod amicae* etc.

de quo loco vide Heusingerum ad C. Nepotem VIII. 1. Nemo hanc structuram magis frequentat Cicerone, praesertim in Epistolis, v. c. ad Famil. I. 7. Quod *scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate:* difficile dictu est *de singulis*. Lege reliqua. Nam in hac una Epistola eandem constructionem bis terve repetitam videbis. Ergo locus Tibulli ita explicandus est: *Haec nocuere mihi,* facies, teneri lacerti, flavae comae. *Quod vero attinet divitem amatorem, qui Deliae adest,* hanc

Ipsa, fame stimulante furens, herbasque sepulcris
Quaerat, et a saevis ossa relicta lupis;
Currat et inguinibus nudis, ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.
Evenient; dat signa Deus: sunt numina amanti,
Saevit et iniusta lege relicta Venus.
At tu quamprimum sagae praecepta rapacis
Desere: nam donis vincitur omnis amor.

V. 60. Desere! Non.

mihi pestem exitiosae lenae calliditas est machinata. Hoc volebat Bronkhusius. Quae quum ita sint, solis luce clarius est, Vossium pro *Venit* legentem *Vertit* poetam non emendasse, sed corrupisse.

53. HERBASQUE SEPULCRIS] Muretus *escasque.* Ed. a. 1472. *sepulchris,* ut semper.

57. EVENIENT] Balbus carm. 4. p. 148. *Eveniet; dat signa Deus: sunt omina vati.* Antiquam expressit Tibulli lectionem I. 5. 57. *Eveniet; dat signa deus* etc. quam agnoscunt tres apud me codices, et principes duae, Veneta 1475. et Rhegiensis 1481. Heinsius ex aliis *Evenient.* Utrumque quidem videtur posse dici; at illud constat, non oportuisse Heinsium in textum Ovidii III. Metam. 424. (524.) coniecturam inducere. SANTEN. p. 1806. Cod. Paris. *Euenient.* Ed. a. 1472. *Eueniet.*

60. NAM DONIS VINCITUR OMNIS AMOR] Editiones consentiunt, codices variant. In libro Colot. cui accedunt alii apud

Pauper erit praesto tibi, praesto pauper adibit
Primus, et in tenero fixus erit latere.

V. 61. praesto semper tibi, pauper —

Statium, *non* erat pro *nam.* perperam, si audias Broukhusium et Heynium, vere, si Vossium. Porro Askew. et duo Broukh. *omnis amans;* duo alii *ipsa Venus.* Illud accommodatum est ad II. 4. 39.

> *At tibi, quae* pretio victos *excludis* amantes —

hoc ad sententiam generalem:

> *δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ᾽ αἰδοίους βασιλῆας.*

Plato III. de Rep. p. 390. E. Euripides Med. 960. Seneca IV. Quaest. Nat. 7. *quamvis munera etiam deos vincant.* Apparet, qui *ipsa Venus* legebant, legisse etiam *nam donis:* qui *omnis amans,* fortasse etiam *non donis:* nisi forte voluerunt, quod elegantius foret, *Num donis vincitur omnis amans?* vel potius, *omnis amor?* plane ut apud Horatium Ep. XI. 11.

> *Contrane* lucrum *nil* valere *candidum*
> Pauperis *ingenium, querebar adplorans tibi!*

61. PAUPER ERIT PRAESTO TIBI, PRAESTO] Muretus, nullo, nisi fallor, adiutus libro scripto, edidit: *Pauper erit praesto* semper *tibi.* Exc. Scalig. *semper*, te *pauper adibit.* Codd. et Edd. veteres in vulgata consentiunt, quae manifesto corrupta est. Nam *praesto adire* nemo dixit. Unus Statii liber habet:

> *Pauper erit praesto* nam praesto *pauper adibit* —

quae si transponas ita, *praesto* nam *pauper adibit*, fortasse, quid in hac scriptura latere possit, senties. *Praesto esse*, docente Vulpio, servis potissimum convenit. Adde, frequentari illud in primis in Scena, ut item verbum *adire.* Plautus IV. 9. 54.

> *Sed Priamum adstantem eccum ante portam video.* adibo *atque alloquar.*

Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subiicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducit amicos,
Vinclaque de niveo detrahit ipse pede.

V. 65. et ad cultos — deducet. 66. detrahet.

At iisdem servis convenit etiam *praestolari*. Terentius Eun. V. 5. 5.

> *Quid* praestolare, *Parmeno*, *hic ante ostium?*

Ubi Donatus, *Praestolari* est *praesto esse* et apparere, hoc est, obsequi. Non conveniunt inter se grammatici, verbi *praestolari* secunda syllaba utrum producatur an corripiatur. Vossius Art. Gramm. II. c. 57. in utramque partem disputat. Quodsi *praestolari* ortum est a *praesto*, quod digito quasi innuit Donatus, idemque fere significat, quod *praesto esse*, secundam illud etiam producat necesse est. Et manifesto producitur apud Plautum Epid. II. 2. 57.

> *Ea praestolabatur illum apud portam. Viden' veneficam?*

Quae si ita se habent, ut nullus dubito, fateberis, nihil Tibulli loco accommodatius, nihil rei, de qua agitur, convenientius inveniri posse hac emendatione:

> *Pauper erit praesto*, praestolans *pauper adibit*
> *Primus et in tenero fixus erit latere.*

64. SUBIICIETQUE MANUS] Ed. a. 1472. *Subicietque*. Heynius malebat *obiicietque manus*, ex Horatio II. Serm. 5. 94. *extrahe turba* Oppositis *humeris*. Cicero pro Marcello c. 10. *quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias et custodias, sed etiam* laterum nostrorum oppositus et corporum *pollicemur*. Sed nihil mutandum. *Subiicere manum* est, quod Horatius l. Ep. 6. 51. de eodem officii genere scribit: *trans pondera* dextram porrigere.

65 — 66. AD OCCULTOS — DEDUCIT AMICOS]

Heu canimus frustra, nec verbis victa fatiscit
Ianua, sed plena est percutienda manu.

Ita Ed. a. 1472. Corvin. cum aliis *amictus*. Nonnulli *ad excultos amantes*. Hinc Corradus in Quaestura p. 328. corrigit: *et excultos — deducet amictus*. Heynius: *et excussos — deducit amictus*. Sed *deducere vestem, amictum,* alio sensu dicunt Latini, nec *deducere puellam* perductoris est vel lenonis, quod Heynius ait, sed iterum servi, puellam in convivium deducentis, quas partes pauper amator ipse suscipit. Terentius Eun. IV. 1. 10.

> *heus, inquit*, puer, i, *Pamphilam*
> *Adcerse, ut delectet hic nos.*

Quae quoniam erat civis Attica,

> *illa exclamat, minime gentium:*

In convivium illam? In convivia autem deductas esse Deliae similes puellas quis ignorat? Vide Tibullum III. 6. 9. et 59. *Amicos* igitur vera est lectio, nec dubito, quin *occultos*, vel propterea, quod haec verborum coniunctio, *ad* occultos furtim *deducit*, colorem habet consuetudinis Tibullianae. I. 6. 60.

> *Coniungit nostras* clam taciturna *manus*.

I. 10. 34.

> *Imminet et* tacito clam *venit illa pede*. —

IV. 5. 21.

> *Et quaecunque meo* furtim subrepet *amori*.

IV. 6. 16.

> *Illa aliud* tacita clam *sibi mente rogat*.

— *Vinclaque detrahit*. Terentius Heaut. I. 1. 72.

> *Adsidu: adcurrunt* servi: *soccos* detrahunt.

Hoc fieri in discubitu solebat. Plato Symp. p. 213. B. ὑπολύετε, παῖδες, Ἀλκιβιάδην, ἵνα ἐκ τρίτων κατακέηται. Horatius II. Serm. 8. 77. *Et soleas poscit*. Martialis III. 50. 3. *Deposui soleas*. In nonnullis libris est *deducet — detrahet*. Placuit caeteris editoribus temporum variatio. Placet etiam mihi. Cod. Paris. *detrahet ille*.

67—68. FATISCIT] Hoc Broukhusius e libris post

At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
Versatur celeri Fors levis orbe rotae.

V. 69. caveto.

Gebhardum reposuit. Vulgo *patescit.* Vide quae diximus ad I. 2. 9. — *plena manu.* Cyllenius vir candidus in illa sua simplicitate, ut scribit Broukhusius, annotavit: plena scilicet numis et aureolis. namque muneribus amor conciliatur: qui non adfert, excluditur ac negligitur. Recte! Ita Dioscorides ep. III. Anal. Brunck. T. I. p. 493. *Βλέψον ἐς Ἑρμογένην πλήρει χερί.* Vide Mitscherlichium Tent. Crit. p. 6. Homerus Od. κ. 42.

οἴκαδε νισσόμεθα κενεὰς σὺν χεῖρας ἔχοντες.

Od. λ. 358.

πλειοτέρῃ σὺν χειρὶ φίλην ἐς πατρίδ' ἱκέσθαι.

69 — 76. Haud dubie hoc est fragmentum alterius carminis, ex quo lacinia servata et superioribus attexta est: forte propter argumenti similitudinem aliquam; etsi diversa res est. HEYN. Similitudinem argumenti video, diversitatem rei non item. Invehitur poeta ad extremum in eum hominem, de quo dixerat v. 15. *fruitur nunc alter amore;* quemque v. 47. vocat *divitem amatorem*, solemni hac formula: *At tu, qui potior nunc es* — qua orationis conversione nihil est apud Tibullum aliosque poetas frequentius. Vide I. 2. 87.

At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto!

Adde I. 6. 15. II. 5. 35. et 61. II. 4. 39. et Horatium Ep. XV. 17. *At tu, quicunque es felicior* etc. Nihil igitur hoc loco hiat neque in verbis neque in sententiis, sed conspirant omnia optime. — Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *mea furta timeto.* Edd. Venetae 1491 — *mea furta caveto.* Plant. *mea fata caveto.* Broukhusius e libris suis revocavit *timeto.*

70. VERSATUR CELERI FORS] Balbus carm. 67. p. 172. *Instabili celerem sors movet orbe rotam.* Imitatur Tibullum I. 5. 70. ubi Fors, a Brouk-

Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit:
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus, et ante ipsas exscreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat. Utere quaeso,
Dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

V. 72. et crebro.

husio assertum, confirmat ex meis codicibus recentior, et editiones 1475. 1481. 1493. duo codd. *sors.* Vide Drakenb. ad Sil. XV. 105. Heyn. ad Virgil. IX. Ecl. 5. SANTEN. p. 1835. Ed. a. 1472.

Versatur celeri fors leuis orbe rota.

72. AC CREBRO PROSPICIT, AC REFUGIT] Libri veteres, monente Statio: *et crebro prospicit, atque fugit*. Edd. Venetae: *ac crebro prospicit atque fugit*. Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

ac crebro prospicit ac refugit.

74. EXSCREAT USQUE] Unus *ille*. multi, in quibus etiam Cod. Paris., *ipse*. Guelf. 4. *atque* Ed. a. 1472. vulgatam exprimit.

75. NESCIO] Colot. *Nescis. — utere quaeso.* Heynius, quum *utere* absolute poni potuisse dubitaret, malebat, *utere vento*, seu *velis*, seu *remis*. Wakefieldius, *utere quaestu*. Quidni attrahebant viri doctissimi e *lintre* in liquida *nante* aqua *opportunitatem?* Sed nihil opus. Terentius Phorm. III. 2. 42.

sic sum: si placeo, utere.

Infra I. 8. 47.

At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere; *non tardo labitur illa pede.*

Propertius IV. 5. 57.

Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, *ne quid cras libet ab ore dies.*

76. IN LIQUIDA NAT TIBI LINTER AQUA] Cod. Paris.

— *in liquida* nam *tibi linter aqua.*

ELEGIA VI.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus;
Post tamen es misero tristis et asper, Amor.

ELEGIA VI.

„Ad Amorem.“ Ed. a. 1472.

1. UT INDUCAR] Scaliger, probante Broukhusio, edidit, quod libri perpauci habent, *ut inducas*. *Inducere* proprie dicitur *blandus* Amoris vultus, ut patet e docta Lutatii annotatione ad Statii XII. Theb. 246. *exacti si* spes non blanda *laboris*. Ubi Lutatius, quod Broukhusius indicavit, haec scribit: „*non blanda*. non falsa. A blandimentis enim inducimur. ut Terentius (Andr. IV. 1. 24.):

Nisi me lactasses amantem et falsa spe *deluderes*.

id est, blandimentis induceres.“ Quo Terentii loco hodie sine scripturae varietate legitur, *falsa spe produceres*. Notanda autem est significatio vocis *blandus* pro *fallax* vel *falsus*, quam Lexicographi, quod sciam, omiserunt. Hoc sensu a Cicerone II. Off. 10. *voluptates* dicuntur *blandissimae dominae*. Ovidius III. A. A. 515.

Res est blanda *canor: discant cantare puellae.*
Pro facie multis vox sua lena *fuit.*

Quid tibi, saeve puer, mecum est? an gloria magna,
Insidias homini composuisse Deum?

Ita graece, in primis apud Homerum, *θέλγειν* est *inducere*. ut *θελκτήρια πάντα τέτυκτο* in Veneris cingulo Il. ξ. 215. inter alia etiam

> *πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.*

Caeterum Amor hoc loco describitur plane ut Venus apud Theocritum I. 95.

> *ἦνθέ γε μὰν ἁδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,*
> *λάθρια μὲν γελάοισα, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα —*

Qui locus omnium est in toto Theocriti volumine sanissimus.

3. QUID TIBI, SAEVE PUER, MECUM EST?] Vulgo, *saevitiae*. Cod. Paris.

> *Quid tibi* saeviciae est *mecum? an gloria magna est.*

Ed. a. 1472.

> *Quid tibi* saevitiae *mecum est. an gloria magna est.*

De qua lectione Cyllenius scribit, Aut cur in se saeviat quaerit, aut inquit, quid est cur iniuriarum inter utrumque oriatur occasio? „Est autem antiquissima in latinitate locutio.“ Sed quod profert exemplum, rem non demonstrat, e Priap. XVI. 1.

> *Quid mecum tibi circitor moleste?*

nisi voluit *molesti*. Propins absunt formulae graecae, v. c. Homeri Il. φ. 560. *τί μοι ἔριδος καὶ ἀρωγῆς; quid mihi contentionis* tecum *et auxilii* cum Troianis *est?* Nec damnat prorsus lectionem Heynius, nec ego prorsus damnaverim. Vide Gronovium ad Plaut. Casin. II. 2. 15. Sed iam Muretus monuit, alios legere, *Quid tibi*, saeve puer, *mecum est?* quod nunc etiam confirmaut duo Voss. libri. Vide Valckenarium ad Euripidis Hipp. 224. p. 187. Priscianus Putschii p. 1207. „Attici, *τί μοι τοῦτον* (*τούτων*) *καὶ τί μοι δεῖ τούτων*. Terentius in Adelphis, *Sed quid ista, Aeschine, nostra, aut quid nobis cum illis?*“ Ed. Venet. 1485. ita: At-

Iam mihi tenduntur casses: iam Delia furtim
 Nescio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est.
 Sic etiam de me pernegat usque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
 Custodes. heu heu, nunc premor arte mea.

V. 7. *Omittitur* est. 9. posset quo.

tici *τιν μῖν καὶ σαὶ ὦ ἔταῖρε.* Terent. etc. hoc est, *τί ἐμοὶ καὶ σοὶ*, (vel, ut Basil. 1554. habet, *τί ἡμῖν καὶ σοὶ*) *ὦ ἑταῖρε.* Adeo in Graecis discrepant Editiones Prisciani. Vide infra ad v. 59. — *an gloria magna.* In multis additur *est.* satis incommode. Muretus comparat cum hoc loco Alcaei Mess. ep. 5. (apud Brunckium Tom. I. p. 486.) et Virgilii IV. Aen. 93—95.

5. IAM MIHI TENDUNTUR CASSES] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Nam *mihi tenduntur casses.*

7. ILLA QUIDEM TAM MULTA NEGAT] Nulla in libris reperitur diversitas. Scaliger corrigit *iam multa.* Heynius *iurata* ex Ovidii II. Trist. 474. vel etiam *sua furta.* Burmannus *insimulata*, Santenius *delicta negat*, laudans Ovidium II. Am. 4. 5. *delicta fateri.* Nihil horum placet prae vulgata lectione *tam multa*, quae fortasse defendi potest loco Catulli VIII. 6. *Ibi illa multa tam iocosa fiebant.* ubi alii *tum* legunt. In fine versus verbum substantivum omissum est non nisi in uno Heinsii libro.

8. PERNEGAT USQUE] Unus Gebh. *ipsa.* Unus Broukh. *quod neget illa.* In Colot. *Nam sic et de me pernegat.*

9. QUO POSSET LUDERE PACTO] Ita omnes,

Fingere tunc didicit caussas, cur sola cubaret:
  Cardine tunc tacito vertere posse fores.
Tum succos herbasque dedi, queis livor abiret,
  Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis coniux incaute puellae,
  Me quoque servato, peccet ut illa nihil.

V. 11. 12. tum. 15. coniunx.

nisi quod Guelf. 2. habet *laedere*. Nec admittenda est interpolatoris traiectio, *posset* quo *ludere pacto*. Nam haec traiectio in formula *quo pacto*, non est consuetudinis Romanae. Horatius I. Serm. 4. 55.

Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo *personatus* pacto *pater*.

Il. v. 99.

Sed tamen admiror, quo pacto *iudicium illud Fugerit*.

Idem I. Ep. 8. 15.

Post haec, ut valeat; quo pacto *rem gerat et se*.

Propertius II. 25. 32.

Nescio quo pacto *verba nocere solent*.

11—12. FINGERE TUNC DIDICIT CAUSSAS] Cod. Paris. *tunc did. c. ut — tunc*. Ed. a. 1472.

Fingere nunc *didicit* causas: ut *sola cubaret*
Cardine nunc *tacito uertere posse* forem.

13. TUM SUCCOS HERBASQUE DEDI, QUEIS] Cod. Paris. *Tunc*. Ed. a. 1472.

Tunc *succos herbasque dedi* quis *liuor abiret*.

15. INCAUTE PUELLAE] Unus Broukh. *cautaeque*.

Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto;
Neve cubet laxo pectus aperta sinu.
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, et mensae ducat in orbe notas.
Exibit quam saepe, time; seu visere dicet
Sacra Bonae, maribus non adeunda, Deae.

V. 17. **Ne iuvenes multo.**

Perperam. Ovidius II. Am. 37.

> *At tu, formosae nimium* secure *puellae*—

16. PECCET UT ILLA NIHIL] Duo Italici *minus* ex Ovidio II. Trist. 458. Praeeunte Broukhusio recepit Heynius, sed invitus.

17. NEU — CELEBRET MULTO SERMONE] Hamb. *multo celebret sermone.* Pauci habent *Ne* pro *Neu.* Vide I. 2. 35. Claudianus VIII. 337.

> Neu *tibi regificis tentoria larga redundent*
> *Deliciis,* neve *imbelles ad signa ministros*
> *Luxuries armata trahat.* neu *flantibus Austris* etc.

18. LAXO PECTUS APERTA SINU] Thuan. *lapso.* Cod. Paris. cum aliis *lasso*, quod perperam edidit Aldus. Ovidius I. Fast. 408.

> *Altera* dissuto *pectus aperta* sinu.

Vide Ouwensium Noct. Hag. p. 558. docte disputantem contra Broukhusium, qui *abscissos sinus* obtrusit Amazoni vel Bacchae apud Propertium IV. 4. 72.

> *Strymonis* abscisso *fertur aperta* sinu.

21. SEU VISERE DICET] Vulpius, ignorans, *seu* saepenumero poni pro *vel si*, orationem altero membro defectam, quod schema ἀνανταπόδοτον vocant,

At mihi si credas, illam sequar unus ad aras.
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Saepe, velut gemmas eius signumve probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum.
Saepe mero somnum peperi tibi; at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.

V. 24. Tum.

et ita supplendam esse ait, *seu quacunque alia de caussa prodire se dicet.* Sed vide Gronovium ad Senecae Herc. Oet. 1260. Burmannum ad Val. Flaccum I. 100. et Ouwensium Noct. Hag. p. 504. Ita etiam *sive* pro *vel si* ponitur apud Persium I. 67.

24. TUNC MIHI] Ita Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

25. SIGNUMVE] Iidem libri, *signumque.*

27 — 28. BIBEBAM — POCULA] Homerus Il. δ. 345.

ἔνθα φίλ᾽ ὀπταλέα κρέα ἔδμεναι, ἠδὲ κύπελλα οἴνου πινέμεναι μελιηδέος, ὄφρ᾽ ἐθέλητον.

Sobria pocula. Heynius in transcursu commemorat locum Platonis VI. de Legg. p. 773. D. *ὅτι πόλιν εἶναι δεῖ δίκην κρατῆρος κεκραμένην, οὗ μαινόμενος μὲν οἶνος ἐγκεχυμένος ζεῖ, κολαζόμενος δὲ ὑπὸ νήφοντος ἑτέρου θεοῦ, καλὴν κοινωνίαν λαβὼν, ἀγαθὸν πόμα (πῶμα) καὶ μέτριον ἀπεργάζεται.* Quo loco mireris, veteres Criticos inter alia verbum etiam *κολάζειν* pro *temperare* tamquam dictionem *ποιητοῦ οὐχὶ νήφοντος* notasse (Longin. Sect. XXXII.), quandoquidem Xenophon, scriptor satis sobrius, non dubitavit illo uti eodem

Non ego te laesi prudens: ignosce fatenti.
Iussit Amor: contra quis ferat arma Deos?

sensu Oecon. XX. 12. ὡς ἡ ἅλμη κολάζεται μιγνυμένη πᾶσι τοῖς ἀναλμοις τε καὶ ὑγροῖς καὶ ξηροῖς. De caeteris adsentior viro summo, cuius penes me est haec annotatio inedita: „*Venuste* Plato *μαινόμενον οἶνον κολάζεσθαι ὑπὸ νήφοντος ἑτέρου θεοῦ* dicit, id est, *vinum merum et furoris plenum castigari et in ordinem redigi ab alio deo sobrio*, quando aqua mixtum diluitur ardoremque deponit. Suevit autem, ut crebro solet, hanc figuram ab Homero Il. ζ. 132. ubi *μαινόμενος Διώνυσος* exponitur a Grammaticis *μανιοποιὸς*, insaniae furorisque auctor." T. H. Vide Toupium Emend. in Suid, p. 87, Lips. Tibullus II. 1. 46.

Mixtaque securo est
sobria lympha *mero*.

30. CONTRA QUIS FERAT ARMA DEOS?] Duo Voss. *feret*. Eandem sententiam eodem plane modo exprimit Meleager ep. 100. Tom. I. p. 28.

ἅρπασται· τίς τόσσον ἐναιχμάσαι ἄγριος εἴη;
τίς τόσον ἀντᾶραι καὶ πρὸς Ἔρωτα μάχην;

Sic edidit Brunckius. Cod. Vatic. τίς τόσσον — εἶναι; Graefius edidit, τίς τόσσος ἂν αἰχμάσαι ἄγριος εἴη. Quod qua ratione defendi possit, equidem non video. Ferri potest, quod posteriori versu habet Codex, τίς τόσος. Sed praeferenda videtur lectio Brunckiana. Simillime Moschus III. 118.

τίς δὲ βροτὸς τοσσοῦτον ἀνάμερος, ἢ κεράσαι τοι,
ἢ δοῦναι λαλέοντι τὸ φάρμακον, ἔκφυγεν ᾠδάν;

Ita post τοῖος, τοιοῦτος, infinitivum, omisso ὥστε, ponere solet Homerus v. c. Od. β. 60. η. 309. Sed de Moschi loco, cui nec lectio λαλέοντι, neque vero signum interrogationis, post φάρμακον vulgo positum, convenit, plura dicendi opportunitas dabitur infra ad III. 5. 9. ubi *inficere pocula succis mortiferis*, et *dare venena* eodem plane modo distinguuntur, ut κεράσαι et δοῦναι τὸ φάρ-

Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
  Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus? tua si bona nescis
  Servare, ah frustra clavis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores,
  Et simulat subito condoluisse caput.

μακον apud auctorem graecum:

> *Nec mea mortiferis* infecit pocula *succis*
> *Dextera*, *nec cuiquam tetra* venena dedit.

54. AH FRUSTRA] In Cod. Paris. ut in aliis omissum est *ah*.

55. ABSENTES ALIOS SUSPIRAT AMORES] Broukhusius e coniectura edidit *absentis*: „quod sciolus aliquis corruperit in accusativum, quum non caperet elegantiam casus secundi, et fortasse versui etiam timeret a syllaba brevi in penthemimerin cadente.“ Perperam haud dubie. Quis offendat in hac constructione, *absentem alium virum desiderat?* hoc enim est *suspirat* amores, dictum ut, quod raro occurrit, *πνεῖ* vel *ἐμπνεῖ τοῦ ἐρωμένου*. Theocritus XXIX. 19.

> *ἀνδρῶν τῶν ὑπερηνορέων δοκέεις πνέειν.*

Hesychius: *Ἐμπνεῖ μου, ἐρᾷ μου, ποθεῖ με.* Vide Valckenarium ad Euripidis Phoen. 192. Musaeus v. 284.

> *ἐννυχίων ἀκόρητος ἔτι πνείων ὑμεναίων.*

Alios suspirat *amores* infra iterum scribit Tibullus IV. 5. 11. *absentes*, ut Pindarus de Coronide Pyth. III. 35. (19.) *ἀλλά τοι ἤρατο τῶν ἀπεόντων. οἷα καὶ πολλοὶ πάθον.* Quod imitatur Thucydides VI. 13. *μήδ᾽, ὅπερ ἂν αὐτοὶ πάθοιεν, δυςέρωτας εἶναι τῶν ἀπόντων.* Euripides Hipp. 184. de Phaedra:

> *οὐδέ σ᾽ ἀρέσκει τὸ παρὸν, τὸ δ᾽ ἀπὸν φίλτερον ἡγεῖ.*

At mihi servandam credas, non saeva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

V. 39. Tum: „Procul hinc absit — *Sic reliqua usque ad finem v. 42. uncinata.* 40. Et fluit.

Terentius Eun. I. 2. 112.
Cum milite isto praesens, absens ut sies,
Noctes diesque me ames, me desideres etc.

38. DETRECTO] Cod. Paris. *detracto.*

39. TUNC PROCUL ABSITIS, QUISQUIS COLIT] Adhuc non nisi unus repertus est liber scriptus, qui Guyeti emendationem *colis* pro *colit* exhiberet, quam cupide arripuerunt editores posteriores Broukhusius, Vulpius, Heynius, tamquam sermoni latino unice convenientem. Et hoc propter insolentiam structurae aliquam habet excusationem. Verum in alia omnia discessit novissimus editor. Qui etsi re ipsa consentit cum Guyeto, tamen tot syllabarum in *is* desinentium sibilo offensus in contextum invexit lectionem ab omni probabilitate remotam, externorum adeo quorumdam signorum, ut intelligi possit, adminiculo indigentem. Hic primum duobus punctis, particulae *Tum* adpositis, indicatur, supplendum esse aliquid, v. c. *dicam* vel *clamabo;* deinde ut appareat, sequi verba ianitoris futuri, hami iis adpicti sunt, orationem ianitoris ipsam complectentes. Sed „nullis hamis aut uncis id clarum aut elegans efficietur, quod vel sine illis nativam perspicuitatem nitoremque non habeat," ut scribit Bentleius ad Horatium II. Serm. 4. 62. disputans contra Torren-

tium, qui, *ut constructio apertior fieret*, quaedam verba parentheseos hamis incluserat. Clara autem et perspicua est vetus lectio: *procul absitis, quisquis colit.* quam constructionem nego rationi linguae Latinae repugnare vel hanc ob causam, quod non repugnat rationi linguae Graecae. Luculenta huius structurae exempla reperiuntur apud Homerum v. c. Il. ρ. 248.

> *ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,*
> *οἵτε παρ' Ἀτρείδῃς Ἀγαμέμνονι καὶ Μενελάῳ*
> *δήμια πίνουσιν καὶ σημαίνουσιν ἕκαστος*
> *λαοῖς· ἐκ δὲ Διὸς τιμὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.*

Huic loco convenit eiusdem structurae versus, nescio cuius poetae Latini, apud Scaligerum ad Catullum carm. LXVIII. 6.

> *Danai*, qui parent *Atridis*, *quam primum arma* sumite.

Rursus Homerus Il. ψ. 285.

> *ἄλλοι δὲ στέλλεσθε κατὰ στρατὸν, ὅςτις Ἀχαιῶν*
> *ἵπποισίν τε πέποιθε καὶ ἅρμασι κολλητοῖσιν.*

Cui exemplo quid similius esse potest quam versus Tibulli:

> *Tunc procul* absitis, quisquis colit *arte capillos?*

Adde Homeri Il. π. 200. et Pindari Nem. VII. 103. (70.) ubi vulgo legitur, *Εὐξενίδα πάτραθε Σώγενες — ὃς ἐξέπεμψας παλαισμάτων αὐχένα —*. Sed Scholiastes legit cum aliis *ἐξέπεμψε*, refertque pronomen ad Sogenem, non ad *ἄκοντα*, scribens: *ἀπὸ τοῦ πρὸς αὐτὸν λόγου εἰς τὸν περὶ αὐτοῦ μετέστη.* Aliter hunc locum expedire conati sunt viri doctissimi, Hermannus et Boeckhius. Euripides Fragm. LXXXI. apud Stobaeum Tit. CXXII. Gesn.

> *ὦ φιλόξωοι βροτοὶ,*
> *οἳ τὴν ἐπιστείχουσαν ἡμέραν ἰδεῖν*
> *ποθοῦσ', ἔχοντες μυρίων ἄχθος κακῶν.*

In qua scriptura non invenit, quod reprehenderet Valckenarius, Diatr. p. 232. Musgravius, nisi fallor, substituit *ποθεῖτ'*. Vide Euripidis Suppl. 1084. (1114. ed. Herm.) Aristophanis Av. 1115-17. Huic constructioni similis est ea, qua Graeci inverso ordine nominativum pro vocativo cum secunda ver-

bi persona coniungunt. Plato Symp. p. 218. B. οἱ δὲ οἰκέται, καὶ εἴ τις ἄλλος ἐστὶ βέβηλός τε καὶ ἄγροῖκος, πύλας πάνυ μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε. Ad quod genus pertinent Comicorum Latinorum formulae, *Heus foras exite huc aliquis*, Plautus Epid. III. 3. 17. Aperite aliquis *actutum ostium*, Terentius Adelph. IV. 4. 26. Priscianus p. 1208. Putsch. „Attici, τίνα πόθεν ἔλεγες, καὶ πόθεν ἔλεγες. Simile Terentius in Adelphis: *Aperite aliquis actutum ostium.*“ Graeca illa verba unde assumpserit Putschius, ignoro. Locus ita legitur in Prisciani Ed. Venet. a. 1485. „Attici ἀκούετε τις ὑμῶν, λάβετε τῆς (τις) τοῦτο. Teren. in adel. *Aperite aliquis actutum hostium.*“ Similiter Virgilius IV. Aen. 625.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

40. EFFLUIT EFFUSO CUI TOGA LAXA SINU] Colb. *lapsa*. quod Aldus edidit. Alii libri, ut Cod. Paris., habent *lassa*. Eandem varietatem notavimus supra ad v. 18. ubi casu omissus est locus Horatii II. Serm. 3. 172. *Ferre sinu laxo.* Caeterum quaerit novissimus editor, qui tandem fieri potuerit, ut admitteretur ab aliis editoribus scriptura, *Effluit effuso*, quum obtulerint iis libri quidam lectionem, multo scilicet meliorem, *Et fluit?* „hanc ex suis quinque numero habere, eamque etiam praeferre Burmannum Secundum.“ Equidem, si centum Codices, centumque Burmanni consentirent in lectione *Et fluit*, tamen retinendam esse censerem alteram, *Effluit effuso* — non modo grammatica victus ratione, sed etiam suavi illo syllabarum initialium adductus concentu. Ad quos Sirenum scopulos saepe offendit vir doctissimus, v. c. IV. 2. (3.) 22.

Incidat in saevas diripienda feras.

ubi e duobus libris reposuit, *Incidat* et *saevis — feris*; usus inter alia argumento ab eiusdem syllabae repetitione ducto. Rectius de hac re existimabat Broukhusius ad Propertium I. 3. 36. Sed Vossio non solum eiusdem syllabae, sed etiam eiusdem litterae repetitio molesta accidit v. c. II. 1. 78.

Explorat caecas cui manus ante vias.

Quo loco, ne ter deinceps repetatur littera *c*, reposuit, quod supra iam

Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, aut alia stet procul ante via.

V. 42. procul ante, alia stet procul.

monuimus ad I. 4. 5. *dum* pro *cui*. Illud bene maleve sonet, nunc non disputo. Hoc video, locum simillimum esse illi, de quo cum maxime agitur, alterumque alterius indigere adiumento. Nempe numquam in tali sententiae alicuius continuatione pronomini *cui* adiicitur copula, ut demonstrant exempla, quae laudavimus ad I. 5. 31. Hoc fraudi etiam fuit Heynio ad Virgilium IV. Aen. 156. qui locus ita interpungendus est:

Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui *pharetra ex* auro, *crines nodantur in aurum*,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Ibi Heynius „Ingratum, inquit, τὸ *cui*.“ Immo gratissimum est, ut hoc loco, ita XII. Aen. 65. Vide quae annotavimus ad II. 3. 43. Virgilii locum adhibet Salmasius ad corrigendum Trebellium Pollionem Histor. Aug. Script. T. II. p. 328. *Et quidem peregrina, nomine Zenobia — quae se de Cleopatrarum Ptolemaeorumque gente iactaret, post Odenatum maritum* imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, *diademate etiam accepto, nomine filiorum — imperavit.* Hic igitur Salmasius ingeniose corrigit: *habitu* Didonis *ornata*. Quod vero *sagulum perfusum* idem esse ait ac βαπτὴ χλαμὺς, insigniter errat. *Sagulum perfusum per humeros* eo sensu dixit Pollio, quo Tibullus togam laxam *effuso sinu effluere* dixit. De quo dicendi modo videndus est Gronovius II. Observ. 7. Sophocles de Laocoonte Fragm. III. p. 630. ed. Brunck.

νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνέας ὁ τῆς θεοῦ
πάρεστ', ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων, κεραυνίου
νῶτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.

41. NE POSSIT CRIMEN HABERE] Ed. a. 1472.

Sic fieri iubet ipse Deus; sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam.
Statque latus praefixa veru; stat saucia pectus;
Et canit eventus, quos Dea magna monet:

Quisquis et occurret, ne crimen posset habere.

42. AUT ALIA STET PROCUL ANTE VIA] Statius emendat, in quod Heynius etiam incidit, *Stet procul* ante, *alia*. Broukhusius edidit, *atque alia* — ut est in Excerpt. Pocchi, aliisque libris paucis. Mitscherlichius locum a misello versificatore profectum censet. Adverbium *procul* eodem modo repetitur II. 1. 82.

Et procul *ardentes hinc* procul *abde faces.*

45. MOTU] Cod. Paris. *mota.*

46. NON AMENS] Ita Ald. 1515. quod confirmant libri scripti. Multi habent *non et amans*, ut Cod. Paris., vel *et amens*, ut Ed. a. 1472., vel *nec et amens.* Cod. Ursin. *nec demens.*

47. VIOLENTA] Edd. veteres cum principe, ut libri quidam scripti cum Cod. Paris., *violata.* Eaedem voces confunduntur IV. 1. 76.

48. SANGUINEQUE EFFUSO] Cod. Paris. *Sanguine* et *effuso.*

49. PRAEFIXA] Corvin. et Excerpt. e Cod. Falcoburg. *perfixa.*

Parcite, quam custodit Amor, violare puellam;
Ne pigeat magno post didicisse malo:
Attigeris, labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas;
Si tamen admittas, sit, precor, illa levis!

V. 56. ulla levis.

52. DIDICISSE] Ed. a. 1472. et Ed. Rheg. Lep. 1481.

Ne pigeat magno post decidisse malo.

53. ATTIGERIS] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Attigerit.*

54. UT HIC VENTIS] Ed. a. 1472. *ut* hinc *uentis.*

56. SIT, PRECOR, ILLA LEVIS] Cyllenius interpretatur, *mitis sit in te execrando.* Hanc vocis huius significationem duobus exemplis confirmat Gronovius Diatr. I. p. 101. ed. Lips. altero Horatii I. Carm. 18. 9. altero Val. Flacci II. 523,

levior *Lemno deus aequore flexit*
Huc Minyas; Venus ipsa volens *dat tempora iungi.*

Ubi Burmannus *leviorem* deum interpretatur *mutabilem.* Sed satis docet Venus *volens*, id est, *benevola*, benigna, veram esse Gronovii explicationem. Plautus Trin. III. 2. 58.

Numquam erit alienis gravis, *qui suis se concinnat* levem.

Plane ita Acontius apud Aristaenetum, Callimachi imitatorem, optat, ut Diana lenis sit in Cydippen, periurio, si forte, obnoxiam, I. 10. p. 25. εἴθε μὲν οὖν, ὡς ἀρτίως ηὐχό-

Non ego te propter parco tibi: sed tua mater

Me movet, atque iras aurea vincit anus.

Haec mihi te adducit tenebris, multoque timore

Coniungit nostras clam taciturna manus.

V. 59. Haec me deducit.

μην, εὔορκος εἴης· εἴθε γάρ. Εἰ δὲ ἀποβαίη, ὅπερ μηδὲ λέγειν καλὸν, ἡ Ἄρτεμις ἔστω σοὶ παρθένος πραεῖα, Si tamen admittas, *sit, precor, illa levis!* Sed Broukhusius, praeeunte Scaligero, locum Tibulli ita capit: *opto ut potius antistita sit* vaniloqua *ac* mendax. Nec hoc ab usu loquendi abhorret. Nepos Attic. 15. *Quidquid rogabatur, religiose promittebat: quod non liberalis* sed levis *arbitrabatur polliceri, quod praestare non posset.* Gellius I. 15. *Qui sunt* leves et futiles et importuni locutores, *quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis et lapsantibus diffluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore.* Idem de significatione *levitatis* disputat VII. 11. Ovidius II. Am. 9. 49.

> *Tu* levis *es, multoque tuis* ventosior *alis,*
>
> *Gaudiaque* ambigua *dasque negasque* fide.

Vossius, qui neutram interpretationem probat, de sua coniectura edidit, *sit, precor,* ulla *levis,* scilicet *poena.* Equidem, *ulla poena* qui dixerit, scio; qui *ulla levis poena,* nescio. (Horatius II. Carm. 8. 1.) Idem in Notis peius etiam corrigit, *sit, precor,* ulta *levi.* id est, *ulciscatur levi poena.* Vera procul dubio est lectio recepta.

59. HAEC MIHI TE ADDUCIT TENEBRIS] Hanc lectionem tuentur libri haud pauci, eamque bene interpretatur Heynius: „anus eum ad fores praestolatur et, ubi venit, puellam e cubiculo furtim ad eum adducit.“ Eadem res agitur apud Plautum

Haec foribusque manet noctu me adfixa, proculque
Cognoscit strepitus, me veniente, pedum.

Curc. I. Sc. II. Nam, accedente ibi Phaedromo ad ianuam puellae, quam amabat, anus, de odore vini adesse illum sciens, progreditur *per tenebras* ad fores v. 2. et, postquam *ingurgitavit in se merum avariter,* (v. 35.) *Phaedrome mi,* inquit v. 47., *ne plora, amabo: tu me*

> *Curato ne sitiam, ego*
> tibi, quod amas,
> *iam huc* adducam:

αὐτὴ δ' αὖθ' Ἑλένην καλέουσ' ἴε. Livius XXVI. 50. *Captiva deinde a militibus* adducitur *ad eum adulta virgo.* Alii libri habent: *Haec mihi te adiungit*, unus *abducat* vel *abduat,* multi, ut Cod. Paris. et Ed. a. 1472., *Haec me deducit*, quod placuit Broukhusio. Ferri hoc potest. Vide Ciceronem Philipp. II. 31. Sed inutiles sunt coniecturae Pricaei et Vossii, *Haec tibi me adducit*, et *Haec mihi te sociat* vel *placat.* Vide, quae dicentur infra ad I. El. 9. 43.

> *Saepe insperanti* venit
> tibi *munere nostro.*

62. COGNOSCIT STREPITUS, ME VENIENTE, PEDUM] Hamb. *Agnoscit.* Dresd. *strepitum.* Plautus l. c. versu 69. *sentio sonitum.* Tibullus supra I. 2. 55. *Neu* strepitu *terrete* pedum. *Cognoscit* strepitum, ut apud Homerum Od. π. 5. veniente Telemacho:

> — — — — *νόησε δὲ*
> *δῖος Ὀδυσσεὺς*
> *σαίνοντάς τε κύνας, περί*
> *τε κτύπος ἦλθε ποδοῖϊν.*

vel, ut legitur apud Dionysium Halic. de Compos. Verb. p. 50. *ὑπὸ δὲ κτύπος ἦλθε π.* quod Schaeferus praefert non modo propterea, quod v. 10. repetitur *ποδῶν δ' ὑπὸ δοῦπον ἀκούω*, verum etiam quod *περιέρχεσθαι*, *circumsonare*, recte dicatur de *citharae sono* Od. ρ. 261. non item de pedum strepitu. Argutius fortasse quam verius. Nam etiam *ἀμφιβάλλειν* de pedum stre-

Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.
Te semper, natamque tuam te propter, amabo.
Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.

V. 66. agat.

pitu posuit Homerus Il. *κ*. 535. quod, ut bene monet Heynius, de Hymno dicit Pindarus Ol. I. 14. *ὅθεν ὁ πολύφατος Ὕμνος ἀμφιβάλλεται.*

63. VIVE DIU MIHI] Scaliger edidit, *Vive diu*, mi *dulcis anus*, *ἀρχαϊκῶς*. Non ille meminerat, *Vive mihi* scribere Latinos ut *Vale mihi*, *Ἀχαϊκῶς*. Vide II. 4. 2. Burmannus legit: *Vive diu:* tibi—*proprios ego* vitae etc. adductus verbo *contribuisse,* quod *tibi* potius quam *tecum* requirere videtur. Sed locutionem, *tecum contribuisse*, notandam esse, non mutandam, recte censet Heynius. Caesar I. Bell. Civ. 60. *Calagurritani, qui erant* cum Oscensibus *contributi.* Broukhusius admisit Heinsii emendationem *conteruisse.* quasi Tibullus cum anu consuescere et *vitam conterere* voluerit!—*Sit modo fas.* Askew. *Sit mihi fas.* Hamb. *Sed modo fas.* Duo Voss. *Si modo fas.* Hoc fortasse reponendum. Plene infra II. 5. 74. *si fas est.* Graeci *εἰ θέμις, εἰ χρεὼν*, omisso plerumque verbo substantivo. Conferatur in primis Pindarus Pyth. III. 1—4.

66. QUIDQUID AGIT] Ita Edd. veteres et libri complures, ut Paris. ex quo notatur, *Quidquid agit* mens. Broukhusius ex aliis recepit *Quidquid agat.* Haec modorum confusio frequens est, sive *quidquid* cum verbo aliquo construatur, sive *quodcunque* vel *quaecunque.* Optio interdum difficilis est. Sed male infra II. 2. 9. Guyetus rescripsit *rogaris,* ubi omnes libri habent:

Adnuat et, Cerinthe, tibi,
quodcunque rogabis.

Recte Bentleius reddidit Horatio I. Serm. 10. 88.

Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.
Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos.

V. 69. sunt. 70. Possum.

Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacunque,
Adridere velim.

Nec tamen dubium, quin idem recte reposuerit II. Serm. 8. 75.

— — — *tibi Di*, quaecunque preceris,
Commoda dent; ita vir bonus es, convivaque comis.

Omnes libri consentiunt apud Ciceronem I. Off. 25. *Omnino qui rei publicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut*, quaecunque agunt, *ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.* Sunt quidem libri, qui pro *quaecunque agunt* habeant, *quidquid agunt*. In nullo tamen *agant* reperitur, quamvis proni sint librarii ad mutandum in hac formula modum, ut fecerunt, nisi fallor, apud Tibullum. *Quidquid agit* etiam Heynio probatur in Observatione. IV. 2. 7.

Illam, quidquid agit, quoquo *vestigia* movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.

69. ET MIHI SINT DURAE LEGES] Ita Cod. Paris. Haec ita cum caeteris ultro citroque dictis cohaerere videntur. *Sit modo* casta *doce!* Hac conditione *et ego* vel durissimas castimoniae leges imponi mihi — *Et*, (at-

Et, si quid peccasse puter, ducarque capillis,
Immerito, pronas proripiarque vias.

V. 71. At si. 72. pronus — viae.

que adeo) si quid peccasse puter, *duci capillis*, quamvis *immerito*, *pronas proripique* per *vias* facile patiar. Neque tamen, ut tu me indignissime tractaveris, te referiam v. 72. *Non ego te pulsare velim, sed* —. Neque vero ut *saevo metu* v. 75. vel poenae formidine, *casta sis* opto, *sed* ut *mente fideli te mihi servet amor mutuus*. Haec optime, credo, procedunt, nec temere alii editores admiserunt v. 69 et 70. *sint* et *possim*, v. 71 et 72. *puter, ducterque, proripiarque:* quibus alii substituerunt *sunt,* (quod habet Ed. a. 1472.) *possum, ducorque* capillis, *proripiorque* vias, Deliam in Furiam transformantes. Ovidius II. Am. 7. 7.

Si quam laudavi, *miseros* petit *ungue capillos.*

71. ET, SI QUID PECCASSE PUTER] Ed. a. 1472.

Etsi *quid peccasse* putat: ducorque *capillis.*

Ita etiam Cod. Paris. nisi quod *Et si* habet. Nempe omnes libri *Et* habent; (unus Guelf. 2. *Ac*) nullus *At.* — *puter* Broukhusius e libris scriptis, *ducterque* Scaliger e coniectura edidit. Edd. veteres, ut Venetae 1491 — *putor*. At in plerisque libris, teste Statio, legitur *puter*, *ducar*, *proripiar*, de qua lectione modo diximus. *ducar* servari debebat de Heynii etiam iudicio in Observatt. et servavit editor Cantabrig. *Duci capillis* plane dicitur ut ἄγεσθαι πλοκάμων apud Aeschylum Septem a. Theb. 328. (311.) Theocritus IV. 55.

τηνεὶ καὶ τὸν ταῦρον ἀπ' ὤρεος ἄγε πιάξας
τᾶς ὁπλᾶς, κἤδωκ' Ἀμαρυλλίδι.

Iuvenalis, laudatus a Broukhusio, V. 125.

Duceris planta *velut ictus ab Hercule Cacus.*

72. IMMERITO, PRONAS PRORIPIARQUE VIAS] In aliis, *In proprias merito:*

Non ego te pulsare velim; sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.

in aliis, *Immerito pronas.* ego locum corruptum esse existimo. MURET. Cod. Paris. *proprias proripiorque.* Ed. a. 1472. *proprias proripiarque.* Corvin. *propria manu.* alii *proprias manus.* Scaliger edidit *properas vias*, sine sensu. Heinsius, *pronas* per *rapiarque vias.* quod recepit Broukhusius. Quum *pronas vias* aliquot boni libri exprimant, praestat hanc lectionem retinere, quam novam eamque non magis certam in contextum inferre. Ferri potest *pronus proripiarque viae.* At poteris etiam scribere, *pronus* proiiciarque *viae.* Lucretius VI. 793.

> Deiicere *et* pronos *qui morbus saepe suevit.*

Virgilius XI. Aen. 87.

> *Sternitur et toto* proiectus *corpore* terrae.

Ubi ambiguum est, dativus *terrae* utrum pendeat a verbo *sternitur*, an a participio *proiectus.* Nam utrumque dicitur *sternere terrae* et *proiicere terrae*, sicut *procumbere terrae*, *iacere terrae* pro *in terra.* Conferatur Lysias interprete Rutilio Lupo p. 45. ed. Ruhnk. *domum eius expugnavit: expugnata vi domo, familiam abstrahit: abstractam tormentis omnibus excruciavit: cruciatam vinxit: vinctam* in publicum proiecit *praedo*, *ne suum maleficium tacitum lateret*, *sed*, *cum praetereuntes* prostratam familiam *viderent* — *simul et oculis et auribus scelus illius usurparent.* — *Pronus*, ut ἐπικλινὴς apud Aristophanem Lysistr. 575. ἐκ τῆς πόλεως ἐπικλινεῖς ἐκραβδίζειν τοὺς μοχθηρούς. Lucianus Tim. T. I. p. 150. ἀπελαθεὶς ὑπὸ σοῦ καὶ ἐπὶ κεφαλὴν ἐξωσθεὶς τῆς οἰκίας. Utrumque *ducere capillis* et *deturbare terrae*, (ut scribit Virgilius X. Aen. 555.) coniungit Achilles Tatius V. 23. ἑλκύσας δὲ τῶν τριχῶν ἀράσσει πρὸς τοὔδαφος καὶ προσπίπτων κατακόπτει με πληγαῖς. Homerus Od. χ. 187.

Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli
Mutuus absenti te mihi servet amor.

V. 75. sic mente.

τὼ δ' ἄρ' ἐπαΐξανθ' ἑλέτην, ἔρυσάν τέ μιν εἴσω
κουρίξ· ἐν δαπέδῳ δὲ χαμαὶ βάλον ἀχνύμενον κῆρ.

75. NEC SAEVO SIS CASTA METU, SED] Scaliger e suo libro edidit *Ne.* quod probandum foret, si sententia nude nec in hoc orationis contextu legeretur. Vide tamen, quae paullo post dicentur, et compara I. 8. 29. *Munera ne poscas.* Porro Douza emendavit *servo metu.* improbante Broukhusio, non quo pravum putet aut ineptum, sed quod ab his argutae dictionis deliciis longe longeque absit simplicitas Albiana. Tandem pro *sed* Vossius non modo coniecit, verum etiam edidit *sic*, gravibus his adductus argumentis, primum ne duo deinceps hexametri eundem exitum habeant:

sed venerit ipse.
sed mente fideli.

deinde ne quis, si *sed* legatur, haec verba, quae ad posterius membrum pertinent, ad prius trahat:

Nec saevo sis casta metu.

De illo facinore viderit Tibullus, de hoc Bias, unus e septem, cuius sententiam expressit Tibullus: *Μὴ διὰ φόβον, ἀλλὰ διὰ τὸ δέον ἀπέχεσθαι χρεὼν ἁμαρτημάτων.* Eandem ob oculos habuit Horatius, monente Cruquio, I. Ep. 16. 52.

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te, formidine poenae.

Hinc fortasse corrigendus Plutarchus de Virt. Moral. T. VII. p. 755. Reisk. ubi profert simile Xenocratis dictum de vere philosophantibus: *ὅτι μόνοι ποιοῦσιν ἑκουσίως ἃ ποιοῦσιν ἄκοντες οἱ λοιποὶ διὰ τὸν νόμον, ὥσπερ ὑπὸ πληγῆς κυνὸς ἢ γαλεοῦ ψόφῳ τῶν ἡδονῶν ἀποτρεπόμενοι, καὶ πρὸς τὸ δεινὸν ἀποβλέποντες.* Locus misere

At quae fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu,

corruptus quomodo editus vel emendatus sit a Wyttenbachio, ignoro. Verba *διὰ τὸν νόμον* idem significant ac, quod Bias dixit, *διὰ τὸν φόβον*. Livius I. 21. *Deorum assidua insidens cura, quum interesse rebus humanis coeleste Numen videretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac iusiurandum*, proximo legum ac poenarum metu, *civitatem regerent.* Quae sequuntur, Gatakerus ad Antonin. XI. §. 18. p. 400. ita corrigit, *ὥςπερ ὑπὸ πληγῆς ψόφῳ κύων ἢ γαλῆ τῶν ἡδονῶν ἀποτρεπόμενοι.* Ultima verba ita ipse emendo: *καὶ πρὸς τὸ δέον ἀποβλέποντες.* Peregrinus apud Gellium XII. 11. *Virum quidem sapientem non peccaturum esse dicebat, etiamsi peccasse eum dii atque homines ignoraturi forent.* non *enim* poenae *aut infamiae* metu *non esse peccandum censebat*, sed *iusti* honestique studio *et officio.*

77. AT QUAE FIDA FUIT NULLI] Ita est summo consensu in veteribus libris, non, ut in pervulgatis, *Nam quae fida fuit.* Constat autem amissos aliquot versus, quibus exponeretur, castae mulieres et uno viro contentae quas commoditates in senectute ex constantia illa sua et fidelitate perciperent. MURET. *Nam* in nonnullis libris Statius, in uno reperit Broukhusius, idemque illud, tamquam contextui unice aptum, edidit. Enimvero particula *At* rite inchoat oppositam superiori sententiam, ut I. 5. 21. At *mihi felicem vitam* —. Neque vero aliquid excidit, iudice etiam Scaligero. Ed. a. 1472.

At quae fida fuit nulli: potest *uicta senecta.*

Caeterum Tibullus pulchre hic, per partes eundo, operam vetulae textoriam ob oculos ponit, *stamina ducere, licia telis adnectere, tracta putare* (similiter ut Plato Sophist. p. 152. E. *ξαίνειν καὶ κατάγειν καὶ κερκίζειν*)

Firmaque conductis adnectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat.

V. 80. dente putat.

quem Ἀθηναίης δολιχὸν vocat Leonidas Tarent. ep. 78. in Anal. Brunck. T. I. p. 240. agens de vetula textrice, quae ut Lais illa Epicratis apud Athenaeum XIII. p. 570. D. δολιχὸν τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει, secundum Senecam Troad. 52.

Mortalis aevi cardinem extremum premens.

79. FIRMAQUE — LICIA] Ed. a. 1472. *litia.* Vossius adiectivum ad anum refert, ut *firma* sit i. q. *in negotio molesto obdurans.* Malit tamen legere *Seraque.* Sed emendatio non est necessaria, explicatio falsa. Plato V. Legg. p. 736. E. διαφέρειν δ' ἀναγκαῖον τὸ τῶν στημόνων πρὸς ἀρετὴν γένος· ἰσχυρόν τε γὰρ καί τινα βεβαιότητα ἐν τοῖς τρόποις εἰληφὸς, τὸ δὲ μαλακώτερον. Theocritus XVIII. 32. πυκινώτερον ἄτριον, de quo vide Schneiderum in Ind. ad Script. Rei Rust. p. 367. et p. 372. Iisdem verbis utitur Plinius de erudita araneorum operatione H. N. XI. 28. *tereti filo* deducere stamina, *adnectere subtemina*, mox *licia*, addens denique: *Age*, firmitas, *quando rumpentibus ventis? qua pulverum mole degravante? — conductis telis.* Heinsius, *consutis.* Male. Pertinet huc epigr. 82. Anal. Br. T. III. p. 166. comparatum cum Tibullo a Mitscherlichio ad Horatium III. carm. 15. 11 — 16.

ἡ τὸ πρὶν αὐχήσασα πολυχρύσοις ἐπ' ἐρασταῖς,
ἡ Νέμεσιν δεινὴν οὐχὶ κύσασα θεόν,
μισθία νῦν σπαθίοις πενιχροῖς πηνίσματα κρούει.
ὀψέ γ' Ἀθηναίη Κύπριν ἐλῄσατο.

80. TRACTAQUE — DUCTA PUTAT] Haec est lectio Editionum antiquiorum, ut principis a. 1472. Reg. et Vicent. At Venett. 1491 — *ducta parat.* Eadem verba confusa sunt apud Varronem II. R. R. cap. 2. 18. de ovibus pellitis, *quae propter*

lanae bonitatem — pellibus teguntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit vellus vel lavari ac putari. Ubi alii legunt *parari.* — Ald. 1. *fila parat.* Ald. 1515. *dente putat.* Plantin. *dente parat.* Unus Bronkh. *texta parat.* At maxima librorum pars, ut Cod. Paris., *ducta putat.* Hanc lectionem ut infirmet, tribus utitur argumentis Voss. primum asseverans, *ducta* male inferri post *conductis.* de qua re dixi supra ad El. 5. 63 — 64. *immixta — miscet.* Deinde innuitur, *ducta* esse interpretationis causa additum verbis *de niveo vellere.* Sed similiter scribit Sophocles Trach. 689.

> ἔχρισα μὲν κατ' οἶκον ἐν δόμοις κρυφῇ
> μαλλῷ, σπάσασα κτησίου βοτοῦ λάχνην.

Tandem negatur, *putare* simpliciter positum sine *dente*, esse idem quod *carminare.* Nempe universe ponitur pro *purgare lanam.* Sed audiamus Scaligerum: „*Putare* est prisca lingua *purgare*, ut nemini paullo humaniori ignotum est. *Putare lanam* Graeci dicunt κροκοδύζειν. (κροκυδίζειν). Philaetius poeta: κροκοδύζουσαν αὐτὴν κατέλαβον. Grammatici exponunt ἐκλέγουσαν τὸ τραχὺ τοῦ ἐρίου. Latini *Carrere.*" *Philaetio* Scaliger ad Albinovanum El. II. 74. substituit *Philetaerum* Comicum. Pollux VII. 29. καὶ κροκυδίζειν Φιλύλλιος εἶπε·

> τὸ κάταγμα κροκυδίζουσαν αὐτὴν κατέλαβον.

ὅπερ ἐστιν, ἐκλέγουσαν τὸ τραχύ. Vide Ruhnkenium ad Timaeum p. 153. Addit Scaliger: „*Putare* igitur *lanam* est κροκυδίζειν. Titinnius Fullon.

> *Date pensam lanam. qui non reddet tempori*
> Putatam recte, *facite ut multetur malo.*

Glossae: *Putatrix*, ξάντρια." Locus Titinnii exstat apud Nonium IV. n. 362. Vide Gellium VI. 5. — *Tracta* Glossae apud Scaligerum interpretantur, ἑλκύσματα, μηρύματα. Plane ita, quod Philyllius κάταγμα dicit, Ammonius p. 78. explicat, τὸ τοῦ ἐρίου ἕλκυσμα, Timaeus p. 153, ἐρίου σπάσμα καὶ μήρυμα. At idem Sophocles vocat Trach. 695. τὸ κάταγμα τῆς οἰὸς, hoc est, *tractum velleris*, sive *ductum de vellere ovis tractum.* Quare versum Tibulli ita interpungendum censeo:

Hanc animo gaudente vident, iuvenumque catervae
Commemorant, merito tot mala ferre senem.
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, et, infidis quam sit acerba, monet.

Tractaque, de niveo vellere ducta, putat.

81. HANC ANIMO GAUDENTE VIDENT] Sallustius Iug. 73. 3. *Et Romae plebes, litteris, quae de Metello ac Mario missae erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant.* Ubi Cortius *volenti animo* pro tertio casu sumit, locum ita explicans: *quae erant animo eorum volenti, de ambobus acceperant.* Non poterat contortius! *Animo volenti* nihil aliud est quam *animo gaudente*, *ἀδομένᾳ ψυχᾷ*, ut scribit Tragicus apud Plutarchum T. II. p. 93. C. vel *ἀδόντι νόῳ*, ut Pindarus Pyth. VI. 51. *θυμῷ γελανεῖ* Pyth. IV. 322.

83. HANC VENUS EX ALTO — OLYMPO SPECTAT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *olimpo.* Similiter Virgilius I. Georg. 95.

iuvat arva, neque illum
Flava Ceres alto *nequidquam* spectat Olympo.

84. INFIDIS QUAM SIT ACERBA] Ed. a. 1472. *quae sit.* Edd. Venetae 1491. et 1493. *infoelix quod sit.* ut est in Cod. Paris. Eadem lectio exstare debet in Venet. 1487. quam Broukhusius Cyllenianam dicit, confundens Editionem cum Commentario, cui nullum inest lectionis illius vestigium. Editio Cylleniana a. 1487. non magis umquam exstitit, quam eiusdem anni Beroaldina Venet., memorata in Append. Catal. Bibl. Lugd. p. 513. et citata saepissime a Burmanno ad Propertium.

Haec aliis maledicta cadant! Nos, Delia, amoris
Exemplum cana stemus uterque coma.

Hamb. *quod* — *canit* pro *monet*. ut statim v. 85. Commel. *canant* pro *cadant*.

86. STEMUS] Ita Bern. Askew. Voss. 5. Excerpt. Perreii, et Edd. Venetae cum commentariis Cyllenii. Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *simus*.

ELEGIA VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda Deo:

V. 1. Hac — die.

ELEGIA VII.

„Gratulatur messale de uictoria contra Aquitanos a se parta." Ed. a. 1472.

1. HUNC CECINERE DIEM] Nulla magnopere scripturae diversitas hoc loco notanda est, nisi quod pro *Hunc* aliquot libri exhibent *Hanc*, *Nunc*, *Tunc*. Cod. Paris. *Hanc diem*. Ed. a. 1472. *Hunc diem*. Heinsius malebat *ducem* pro *diem*; Heynius, Hoc *cecinere* die: addens tamen prudenter, esse hoc Parcae vaticinium, adeoque assurgere poetae orationem. Vossius verens, ne, si vulgata servetur lectio, in ipsum proelii tempus incidens dies natalis pro Messala victoriam de Aquitanis reportasse dicatur, Heynii emendationem in contextum admisit, converso, quod facere minime necessarium erat, *Hoc* in *Hac*. Ponere autem diem natalem pro homine nato, hoc illi fines poeseos et rationis humanae excedere videtur. Messalae quidem nemo tradidit contigisse, quod contigit Timoleonti, de quo refert Cornelius Nepos c. 5. ***Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus.*** Nam proelia maxima natali die suo fecit omnia. *Quo factum est,*

ut eiusdem natalem festum haberet universa Sicilia. Sed Tibullus procul dubio loquitur de primo vitae die, eique tribuit, quidquid per totam vitam praeclare gessit Messala. Nec huius insolentiae desunt auctores. Homerus de Phereclo Il. ε. 62.

> ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας
> ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο,
> οἷ τ' αὐτῷ· ἐπεὶ οὔτι θεῶν ἐκ θέσφατα ᾔδη.

Huius fere par ratio est loci:

> Has *cecinere* rates *sacris oracula templis,*
> Has fore, *Troianam* possent quae *frangere gentem.*

Quem locum multi imitati sunt, ut Herodotus V. 97. de navibus, quas Ionibus auxilio miserant Athenienses: αὗται δὲ αἱ νέες ἀρχὴ κακῶν ἐγένοντο Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροισι· item Thucydides de *die*, qui belli Peloponnesii *primus* censeri poterat. Nam Melesippus ab Archidamo Athenas missus, ut exploraret, si forte Athenienses de sua pertinacia remitterent, quum infecta re abire iussus esset, II. 12. τοσόνδε εἰπὼν ἐπορεύετο, ὅτι ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. Thucydidem, monente Scholiasta, expressit Aristophanes Pac. 437.

> σπένδοντες εὐχώμεσθα, τὴν νῦν ἡμέραν
> Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν κἀγαθῶν.

Sic Menander apud Gellium II. 23. primam infausti coniugii noctem vocat πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν, ex imitatione fortasse Euripidis Hippol. 881.

> αἶ, αἶ. κακῶν ἀρχηγὸν ἐκφαίνεις λόγον.

Virgilius IV. Aen. 169.

> Ille dies *primus leti primusque malorum*
> *Caussa fuit.*

Propius accedit Lucanus VII. 151.

> *Advenisse diem,* qui fatum rebus in aevum
> Conderet humanis, *et quaeri, Roma quid esset,*
> *Illo Marte palam est.*

His aliorum scriptorum exemplis satis firmatur recepta lectio, simulque defenditur felix audacia Tibulli, diei natali tribu-

Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere; novos pubes Romana triumphos
Vidit, et evinctos brachia capta duces.

V. 3. frangere.

entis res gestas hominis, eo die nati. Sed ne quis forte credat, hodie demum fluctus excitari in simpulo, adeat interpretes graecos ad similem locum Pindari Nem. VII. 1. ubi Ilithyia, *Parcarum πάρεδρος*, soror *Hebes*, celebratur tamquam parens vel effectrix victoriae, quam Sogenes reportaverat quinquertio:

— — σὺν δὲ τὶν
καὶ παῖς ὁ Θεαρίωνος ἀ-
ρετᾷ κριθεὶς
εὔδοξος ἀείδεται Σωγένης
μετὰ πενταέθλοις.

3. FUNDERE GENTES] Cod. Thuan. et alii *spargere*. Quod unde ortum sit, apparet. Credidit librarius, praeclare se acturum, si verbum *fundere* illustraret verbo *spargere*. Alius e coniectura, ut videtur, inde fecit *frangere*, quod exstat in Guelf. 2. Ita etiam Cyllenius legit in commentario ad Il. 1. 33. Sed hoc loco Edd. Venetae habent *fundere*, ut caeteri libri sine exceptione omnes.

4. ATAX] Heynius, praeeunte Broukhusio, reposuit Scaligeri emendationem *Atur;* qui fluvius est Aquitaniae, vulgo dictus *Aturus*. Messala quidem triumphum egit de Aquitanis. Sed, ut idem bene observat Heynius, etiam v. 11. Arar et Rhodanus, fluvii Narbonensis Galliae, memorantur, quia vicini Aquitanis; et Narbonensis provinciae res ipsae a Messala potuere constitui. Recte igitur a Vossio repositus est *Atax*. Nobilitavit hunc fluvium P. Terentius Varro *Atacinus*. Vide Ruhnkenium Epist. Crit. II. p. 199.

5. EVENERE] Ed. a. 1472. *Euenire*.

6. EVINCTOS] Cod. Paris. *invinctos*.

At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

V. 7. laurus.

7—8. VICTRICES LAUROS] *Lauros*, emendatum *laurus* in Guelf. 2. quod frequentant alii poetae. HEYN. Eadem scripturae varietas obtinet infra II. 5. 63. et 117. Ad versum minorem paullulum turbavit Heynius. Nam quod scribit: „Scaliger e suo malebat *portabit*, tamquam ex Parcarum praedicentium futura persona,“ falsum est. Scaliger enim ita: (certe ad Ed. 1582.) „*Portabit — niveis*: Vitium librarium *b* pro *u*. *Portavit* enim debuerant scribere.“ Hanc emendationem Guyeto adscripsit Vossius. — Nunc video, Heynium spectasse Editiones Scaligeri posteriores. Nam in Ed. 1607. Scaliger commendat codicis sui lectionem *Portabit*. „Non enim hac elegia celebratur triumphus Messalae sed natalis. Ideo Parcarum interiecta mentio. Nascentibus enim fata a Parcis scribebantur. Auctor Tertullianus.“ Atqui hoc loco haud dubie celebratur Messalae triumphus. Ergo legendum *Portabat*. ut est in Cod. Paris. Idem *nitidis*. Ed. a. 1472. *Portabit nitidis*. Cyllenius in commentario habet *portabit*, in contextu *portabat*. Idem legit *nitidis*. Posteriores editores *niveis*. Recte! *Niveos* triumphantium equos *insignes* vocat Orator post Red. in Senatu §. 28. *Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives*, sed *equis* insignibus, *et curru aurato reportati*. Qui locus non potest non luxatus videri ac decurtatus. *Non* enim *reductus ille est in patriam — equis insignibus et curru aurato*, *sed* — ut ipse gloriatur in extrema oratione, et apud Macrobium — *humeris reipublicae reportatus*. Ad hunc fere modum scribere debuit auctor. Similiter Plinius Panegyr. 22. *Nam priores invehi et importari solebant*, non dico quadriiugo curru et albentibus equis, sed humeris hominum, *quod arrogantius erat*.

Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleis placidus per vada serpis aquis?

V. 9. *Omittitur* est. 14. Caeruleus placidae — aquae?

9. NON SINE ME EST TIBI PARTUS HONOS] Verbum *est* aberat a secundo Vaticano, me non nolente. BROUKH. Non abest a Cod. Paris. nec ab Ed. a. 1472. Ille porro habet, *honor tua bella Pirene.* haec, *honos tua bella pyrenae.* Plant. *per bella. Tarbella* egregia est Scaligeri emendatio. Cyllenius animadvertit, Lucanum primam in *Pyrene* syllabam producere I. 688. Idem faciunt, quod Vulpius monet, alii, ut Silius Italicus III. 415. Sed hi poetae mediam adeo in *Edonis* corripiunt. Qua de re vide Bentleium ad Horatium III. Carm. 25. 9. Secundam in *Aturus* corripit Lucanus I. 420. producit Ausonius 163. 11.

Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturus,
Tarbellique *furor perstrepit Oceani.*

12. CARNUTI ET] Ed. a. 1472.

Carnoti *et flavi* cerula *lympha* Lyger.

13. AN TE, CYDNE, CANAM] Cod. Paris. *At te Cidne.* Ed. a. 1472. *At te cydne canam.*

14. CAERULEIS PLACIDUS] Edd. veteres, ut libri fere omnes: *Caeruleus placidis.* Hinc Statius leni mutatione formavit, *Caeruleis placidus* — quod tres libri confirmant Vossiani. In hac

Quantus et aërio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?

V. 15. aetherio conscindens.

lectione nihil offensionis illud habet, quod Cydnus *tacitis undis placidus* serpere dicitur. Horatius I. Carm. 31. 7.

Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus *amnis.*

Nec displicere possunt illa, *leniter placidus* serpis; quae Tibullus etiam coniungit II. 1. 8.

Felix, cui placidus leniter *afflat Amor.*

Appuleius I. Metam. p. 14. ed. Pric. *haud ita longe radices platani* lenis fluvius *in speciem* placidae paludis ignavus ibat *argento vel vitro aemulus in colorem.* At enimvero quod post *tacitis undis* infertur *caeruleis* vel *placidis aquis*, inconcinnum est et a nitore Tibulli alienum. Hactenus probabiliter Vossius emendavit *placidae* per vada serpis *aquae.* Quibus verbis designatur lacus ille, de quo scribit Strabo XIV. p. 659. ed. Basil. *μετὰ δὲ τὴν Ἀγχιάλην αἱ τοῦ Κύδνου ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλούμενον. Ἔστι δὲ λιμνάζων τόπος, ἔχων καὶ πάλαι νεώρια, εἰς ὃν ἐμπίπτει ὁ Κύδνος διαῤῥέων μέσην τὴν Ταρσὸν, τὰς ἀρχὰς ἔχων ἀπὸ τοῦ ὑπερκειμένου τῆς πόλεως Ταύρου. Καὶ ἔστιν ἐπίνειον ἡ λίμνη τῆς Ταρσοῦ.* Nemo tamen non intelligit, *caeruleum* rectius dici lacum vel mare, (Ovidius VIII. Metam. 229.

Oraque caerulea, *patrium clamantia nomen,*
Excipiuntur aqua):

quam Cydnum, qui a candido aquarum colore nomen cepisse traditur. Quare locum ita legendum censeo:

An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleae *placidus per vada serpis* aquae?

15. CONTINGENS] Unus liber *contingis.* Colot. *contingere.* Palat. *consurgens.*

His Vossius substituit *conscindens*. Fatendum est, non satis accurate montem dici *vertice* aetherio *contingere* nubes. Nam *aetherius* vertex nubes iam superavit. Verum multo certiorem medelam offerunt duo Codd. pro *aetherio* exhibentes *aërio*. Haec lectio Tibullo restituenda videtur. Nam *aërii* montes perpetuo dicuntur. Catullus LXIV. 239.

> *Haec mandata prius constanti mente tenentem*
> *Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes*
> Aërium *nivei montis liquere* cacumen.

LXVIII. 57.

> *Qualis in* aërii *perlucens* vertice montis
> *Rivus muscoso prosilit e lapide.*

Ovidius II. Metam. 226.

> Aëriaeque *Alpes et nubifer Apenninus.*

Lucanus I. 688.

> *nunc desuper Alpis*
> *Nubiferae colles, atque* aëriam Pyrenen
> *Abripimur.*

Nusquam hinc discedit Virgilius, qui *aetherium* non nisi Olympum vocat. Male igitur Burmannus VIII. Aen. 221. edidit: aetherii *cursu petit ardua montis*. Hic in transcursu confirmanda est recepta lectio Cul. 137.

> *Adpetit* aëriis contingere montibus *astra*
> *Ilicis et nigrae species et laeta cupressus.*

Ubi Scaliger *motibus* emendat, Heinsius *frondibus*. Sed veram esse lectionem *montibus* demonstrat locus Homeri, unde ille expressus est, Il. ξ. 287.

> *εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον, ἣ τότ᾽ ἐν Ἴδῃ*
> *μακροτάτη πεφυυῖα δι᾽ ἠέρος αἰθέρ᾽ ἵκανεν.*

Cicero V. Tusc. Disp. 27. *sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi; — alia autem illa divina* longe lateque se pandant, caelumque contingant.

16. TAURUS ARAT CILICAS] Ed. a. 1472. *arat cylicas*. Edd. Venet. *arat cilices*. Plantin. *alat Cilicas*, quam lectionem probat Muretus, addens: „inepte in aliis libris, *Taurus arat Cilicas*, et inventi sunt tamen, qui hanc scripturam reciperent dicerentque, hypallagen esse.“ *Arat* Statius

intelligit de rugis, quas frigus inducit: Broukhusius sumit pro *secat, dividit, dirimit.* Illud ridiculum est, hoc falsum. Neque enim Ciliciam in diversas partes dirimit Taurus, sed Ciliciam separat a proximis regionibus. At Cilicas *alit* Taurus, quatenus pascua habet et convalles, quae seri possunt et arari, in summis ille partibus adeo ferax, ὥστε καὶ ἐλαιόφυτα εἶναι πολλὰ χωρία καὶ εὐάμπελα, Strabo XII. p. 546. Huic tamen lectioni obstat, quod Tibullus non historiam naturalem scribere, sed res terrarum orbis admirabiliores, velut fluvios insignes, urbes claras, montes spectabiles commemorare volebat et debebat. Nunc tota miraculi vis cadit in verbum *alat*, quod, ut Heynii dicto utar, ipso Tauro frigidius est. Sed haec fortasse non Tibulli culpa est. Fieri enim potuit, ut librarius sententiam corrumperet, duorum verborum *contingens* et *alat* inter se permutando modos. Nempe Tibullus ita scripsisse videtur:

> *Quantus et aërio contingat vertice nubes*
> *Frigidus intonsus Taurus* alens *Cilicas.*

Sic omne orationis frigus evanescit. Nam quae antea erat primaria sententia, fata nunc est, quod quaerebamus, secundaria ita, ut et narrationi Strabonis conveniat et iudicio poetae. Notum autem est illud scribendi genus *Quantus contingit* pro *Quantus est qui contingit.* Virgilius III. 641.

> *Nam* qualis quantusque *cavo* Polyphemus *in antro*
> *Lanigeras* claudit *pecudes atque ubera* pressat,
> *Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo*
> *Infandi Cyclopes et altis montibus errant.*

Vide XII. Aen. 701. Tibullum III. 6. 25. Silius Italicus I. 127.

> Quanta *procul moles scopulis* ad sidera tendit,
> *Cuius in* aërio *pendent tua* vertice *castra.*

Confirmat coniecturam nostram in primis hoc, quod eadem verborum structura statim repetitur v. 19.

> *Utque maris vastum* prospectet *turribus aequor*

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis et, arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?

V. 21. quom.

Prima ratem ventis credere docta Tyros:

et quod ista modorum etiam permutatio non infrequens est. Seneca Med. Chor. III.

Coniugis fatum redimens *Pheraei*,
Uxor impendit *animam marito*.

Membranae videlicet Florentinae ordinem invertunt:

Coniugis fatum redimit *Pheraei*
Uxor impendens *animam marito*.

„Blandiuntur auribus hi numeri, sed *nec minus recta illa constructio quae Participium praemittit:*" ut scribit Chr. Wasius in libro praestantissimo de Senario p. 60.

18. PALAESTINO — SYRO] Ed. a. 1472. *palestino*. Cod. Paris. *Siro*.

20. TYROS] Ed. a. 1472. *tyrus*.

21. QUUM FINDIT SIRIUS AGROS] Ed. a. 1472. *confindit Syrius*. In duobus Statianis *scindit*. Sicut apud Virgilium II. Georg. 353.

Hoc, ubi hiulca *siti* findit *Canis aestifer arva:*

sunt, qui legant *scindit*. Perperam. Catullus LXVIII. 62.

Quum gravis exustos aestus hiulcat *agros*.

22. ABUNDET] Libri aliquot *abundat*, quod recipiendum videtur, quamvis praecesserint *volitet*, *prospectet*. Saepe classici scriptores hoc modo variant orationem. Quod non observans Scaliger pessime interpolavit Propertium I. 2. 9.

Adspice, *quos* submittit *humus formosa colores*,
Ut veniant *hederae sponte sua melius*,
Surgat et *in solis formosior arbutus antris*,
Et sciat *indociles currere lympha vias:*
Litora nativis perlucent *picta lapillis*,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

Ubi fortasse una et altera lectio aliter constitui poterit. Sed illud ferendum non est, quod Scaliger v. 13. substituit, *nativos per se dent* picta *lapillos — canant*. Propertius II. 16. 29.

Adspice, quid *donis Eriphyla* invenit *amaris*,
Arserit *et quantis nupta Creusa malis*.

Ubi Heinsius reposuit, *Eriphyle* flerit amatis, accedente Burmanno, qui tamen non offendit ad II. 34. 33. *Non*, vel

Nam rursus licet Aetoli referas *Acheloi*
Luxerit ut *magno fractus amore liquor:*
Atque etiam ut *Phrygio fallax Maeandria campo*
Errat *et ipsa suas* decipit *unda vias:*
Qualis et *Adrasti* fuerit *vocalis Arion*,
Tristia ad Archemori funera victor equus —

Valerius Flaccus I. 277.

Thracius hic noctem dulci testudine vates
Extrahit, ut steterit *redimitus tempora vittis*
Phrixus et iniustas contectus nubibus aras
Fugerit, *Inoo linquens Athamana Learcho;*
Aureus ut *iuvenem miserantibus* intulit *undis*
Vector, *et adstrictis* ut sedit *cornibus Helle*.

Rutilius Lupus, vertens dictum Lysiae p. 112. *Quaeres a me*, *quo iure obtinere* possim, *quo iure mihi Polyaenus* reliquit, *praetor* dedit *possessio-*

Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.

V. 23. possim.

nem? Ubi Ruhnkenius laudat Drakenborchium ad Liv. XLI. 24.

23. QUANAM POSSUM — CAUSSA] Ed. a. 1472. et Venetae, ut complures libri scripti, etiam Cod. Paris. *possim.* Quod non opus erat revocare. *Possum* saepe ita ponitur in interrogatione. Horatius I. Ep. 6. 6. 40.

> *chlamydes Lucullus, ut aiunt,*
> *Si posset centum scenae praebere rogatus,*
> Qui possum *tot? ait.*

Catullus LXVII. 17.

> Qui possum? *nemo quaerit nec scire laborat.*

Vide Vulpium ad Propertii II. 20. 28.

> Possum *ego naturae non meminisse tuae?*

25 — 26. TELLUS TUA POSTULAT IMBRES] Ed. a. 1472. *tellus te postulat hymbres.* Cod. Paris. *tua postulat ymbres.* Telluris Iovi Pluvio supplicantis signum Athenis olim exstitisse narrat Pausanias Attic. c. 24. *ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαί οἱ τὸν Δία· εἴτε αὐτοῖς ὄμβρου δεῆσαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι συμβὰς αὐχμός.* Cuius loci indicium debemus Vulpio, qui praeterea Augustini Enarrationem in Psalmum 66. num. 10. et Petrarchae quoddam comparat carmen, similia, credo, veterum poetarum exempla desiderans. Sed pari modo scribit Lucretius V. 1082.

> *Et partim mutant cum tempestatibus una*
> *Raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta,*

Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

V. 27. Osirin.

Corvorumque greges, ubi aquam *dicuntur et* imbreis
Poscere, *et interdum* ventos aurasque vocare.

Horatius III. Carm. 1. 29.

Non verberatae grandine vineae,
Fundusve mendax, arbore *nunc* aquas
Culpante, *nunc* torrentia agros
Sidera, *nunc* hiemes iniquas.

27. OSIRIM] *Osirin* primus induxisse videtur Muretus; Edd. veteres, ut princeps, *Osirim* exhibent. (Cod. Paris. *Osyrim.*) Et haec vera videtur scriptura. Charisius p. 69. *quum latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim quum adsit auctoritas. Nam et Varro de vita sua non tantum huius* Serapis *declinavit, sed et* Isis, *quod paullo est durius: et Virgilius* Irim *dicit et* Parim *et* Tigrim. Ipsum nomen *Osirim* posuit Virgilius XII. Aen. 458. quem locum laudat Iul. Rufinianus p. 253.

Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim.

Ad hunc modum idem scripsit VI. Aen. 334.

Cernit ibi maestos et mortis honore carentes
Leucaspim et *Lyciae ductorem classis* Orontem.

Iuvenalis VI. 653.

spectavit subeuntem fata mariti
Alcestim et, *similis si permutatio detur,*
Morte viri cupiant animam servare catellae.

Apud Propertium parum constanter modo. *Parim* expresserunt editores, modo *Parin*. Semel omnes fere consentiunt II. 32. 35.

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem:
Hic viridem dura caedere falce comam.

Quamvis Ida Parim *pastorem dicat amasse* — invito Valckenario ad Catulli Elegiam Callimach. p. 73. „*Parin* enim scribere solent.“ Ib. III. 11. 41. veteres libri *Anubim* tuentur. Pertinet huc etiam observatio Bentleii ad Horatium III. 17. 7. „*Lirim* non *Lirin* edidimus, cum editiones veteres secuti, tum et codices scriptos. Nam in *Italicis* nominibus amant potius terminationem Latinam, ut Virgilius.“ Vide, quae annotavimus ad El. 1. 56.

28. MEMPHITEN] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *memphitem.*

32. NON NOTIS — ARBORIBUS] Calpurnius Ecl. X. 39.

Mirantur *Satyri frondes et poma Lyaei.*
Tum Deus, o Satyri maturos carpite fructus,
Dixit, et ignotos, *pueri, calcate* racemos.

Pindarus Fragm. XXXIII.

δενδρέων δὲ νόμον Διόνυσος πολυγαθὴς αὐξάνει
ἁγνὸν φέγγος ὀπώρας.

34. DURA FALCE] Emendavit, nescio quis, *curva falce.* Quod recte reiiciens Broukhusius *duram* dici falcem ait propter ferri rigorem. Sed praestat sequi Vossium, qui *severam* vel *immitem* interpretatur, *dura imperia*, ut scribit Virgilius II. Georg. 369., *exercentem.* Quam interpretationem confirmat Homerus Od. ξ. 418.

Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.

ὣς ἄρα φωνήσας κέασε ξύλα νηλέϊ χαλκῷ.

Hoc sensu Horatius scribit IV. 4. 57.

Duris *ut ilex tonsa* bipennibus —

Similiter alucinantur Critici ad similem versum Propertii II. 19. 12.

Et vitem docta *ponere* falce *comas.*

sicut Tibullus v. 58.

Movit et ad certos nescia membra *modos.*

Quos sibi lusus ingenii indulserint epigrammatum scriptores, v. c. Q. Maecius ep. XI. Agathias ep. XXIV. alii, neminem fugit. Sed nunc in Tibullo versamur. Virgilius II. Georg. 7.

Huc, pater o Lenaee, veni, nudataque musto

Tingue novo *mecum dereptis* crura *cothurnis.*

56. INCULTIS PEDIBUS] Heinsius *adductis* emendat. Statius malebat *inlutis* vel *inlotis*. Parum facete! Sed *incultos pedes* nolim equidem sumere pro *rudibus* vel *indoctis*. Quae enim cogitari potest in calcandis uvis pedum cultura vel doctrina? Hanc interpretationem non aeque ac superiorem commendat Homerus, qui *doctos pedes* tribuit *saltatoribus* Il. σ. 599.

οἱ δ᾽ ὅτε μὲν θρέξασκον ἐπισταμένοισι πόδεσσι.

Propertius III. 17. 18.

Et nova pressantes inquinet *uva pedes.*

Recte igitur Heynius *incultos* pedes sumit pro *squalidis* musto. Ovidius Ep. VIII. 64.

Hument incultae *fonte perenne* genae.

Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.

40. TRISTITIAE] Mallem *laetitiae*, si alicuius antiqui codicis accederet auctoritas. MURET. In hanc Mureti sententiam magno consensu discesserunt Passeratius, Guyetus, Heinsius, alii. Nec mirum. Nam vulgata lectio difficillima est ad intelligendum, neque adhuc ab ullo interprete probabiliter explicata. Ego nullam aliam construendi huius loci rationem video, nisi hanc: Bacchus *pectora agricolae*, magno confecta labore, *dissolvenda dedit*, dare solet, *tristitiae*; ut *agricolae* sit casus secundus, *tristitiae* tertius, pendens a verbo *dedit*. Quae ipsa constructio postulare videtur emendationem *Laetitiae* — nisi forte *Tristitia* ipsa hoc loco dissolvit pectora, sicut apud Sophoclem *Insania* Ai. 705.

ἔλυσε γὰρ αἰνὸν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἄρης.

De quo scribendi modo vide observationem Heynii ad Homerum Il. κ. 98.

καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ·

et quae disputat Schaeferus ad Sophoclis Ai. 674. Sed nunc *amoto quaeramus seria ludo*. Nam assumenda est altera eaque haud dubie vera ratio, qua *tristitiae* sumitur pro casu secundo, pendente a verbo *dissoluenda*. De qua Broukhusii interpretatione ad primam huius Elegiae editionem praeteremdum putavi, ut, quoniam ab auctore argumentis firmata est nullis, viderem, quid pro ea dicturi essent illi, quorum sententiam ut explorarem, caussam inferiorem superiorem reddere conatus sum argumentis infirmis illis quidem sed tamen speciosis. Cuius generis annotationem memini me proferre ad El. I. 5 — 4. minime sperans, fore, ut id mihi vitio verteretur, quod, nisi fallor, est optimum. Quot Bentleii observationes delendae tibi erunt vel reprehendendae, si hanc paene dixerim sophisticam interpretandi rationem viro acutissimo non concesseris, qua nihil excogitari potest

ad eruendam veritatem accommodatius. Nunc pro imperio quosdam agere videas Suffenos, sua inventa unice exosculantes, et quae in transcursu arripuerunt, pro indubitate veris venditantes, caetera argumentorum, quibus hoc verum, illud falsum evincitur, parum curiosos. Velut hoc loco unusquisque videt, sententiam esse hanc: *Bacchus etiam effecit, ut pectora agricolae, magno confecta dolore, a tristitia liberarentur.* Sed quamquam ex iis, quae collegit laudatus a Broukhusio Vechnerus Hellenol. (I. P. II. c. 24.) exemplis plenissime efficitur, probam esse locutionem *dissolvi tristitiae*, tamen nec Vulpius nec Heynius persuaderi sibi passi sunt, locum vitii immunem esse, si quidem ille vel sic legere malebat *laetitiae*, hic *tristitia*. Nempe omnis difficultas latet in verbo *dedit*, quod duplici sensu sumi potest vel activo vel passivo. Si activo sensu sumseris, *agricolae* erit casus tertius: Bacchus *agricolae concessit, ut* etc. quemadmodum apud Horatium I. Ep. 16. 60.

> *Labra movet metuens audiri; Pulchra Laverna,*
> Da mihi *fallere*, da *iustum sanctumque videri.*

vel, ut alii legunt:

> Da mihi *fallere*, da iusto sanctoque *videri.*

Homerus Od. η. 148.

> τοῖσιν θεοὶ ὄλβια δοῖεν
> ζωέμεναι.

Sin passivo sensu ceperis verbum *dedit*, *agricolae* erit casus secundus: Bacchus *effecit*, *ut pectora agricolae — tristitiae dissolverentur.* quemadmodum scribit Ovidius XI. Metam. 174.

> *Nec Delius aures*
> *Humanam stolidas patitur retinere figuram,*
> *Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet,*
> *Instabilesque imo facit et* dat posse moveri.

Homerus Il. α. 128.

> τριπλῇ τετραπλῇ τ' ἀποτίσομεν, αἴ κέ ποθι Ζεὺς
> δῷσι πόλιν Τροίην εὐτείχεον ἐξαλαπάξαι.

Hoc praeferendum. Mutata constructione Terentius Hec. V. 4. 29.

Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,

Crura licet dura compede pulsa sonent.

Immo etiam, qui hoc occultum iri facilius credas, dabo.

Iam huic loco et ratio constat et oratio. *Dissolvere pectora tristitiae* plane ita dicitur, ut apud Livium XXI. 62. levarunt *animum* religionis; apud Pindarum Pyth. XI. 51. *Τρώων ἔλυσε δόμους ἁβρότατος·* et *tristitiae* mutari nullo modo potest in *laetitiae* ob ipsam hanc caussam, quam attulit Vulpius, huic lectioni favens, „*laetitia* dissolvit, *tristitia* constringit." Atqui vel propterea, quod *tristitia constringit*, dicitur aliquis, ab ea *liberari* coeptus, *tristitiae dissolvi:* quo tandem modo *laetitiae dissolvi?* quod foret *in tristitiam coniici*; quamquam recte dicas, *laetitia* dissolvit *tristitiae*. Nam, si iusto est immoderatior, hominem adeo *solvit* eo sensu, quo quis dicitur *mero solvi, gaudio solvi, luxu solvi*, in nimiam felicitatem *resolvi*. Ovidius Her. XIII. 115.

Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,

Languida laetitia solvar ab *ipsa* mea?

Quem locum pulchre illustravit Heinsius, pessime tractavit Burmannus, qui *tristitia* legere mallet. quod falsum esse vel adiectivum *Languida* demonstrat. Sed *tristitiae* proprie *dissolvuntur* pectora, magno *confecta*, (quod in *constricta* cum Heinsio mutare nihil opus) *dolore*. Lucretius III. 916.

Dissolvant *animi* magno se angore *metuque*.

Virgilius II. Aen. 26.

Ergo omnis longo solvit se *Teucria* luctu.

Horatius Ep. IX. 37.

Curam *metumque Caesaris rerum iuvat*

Dulci Lyaeo solvere.

41. ADFERT] Cod. Paris. *offert*. Ed. a. 1472. *afflictis — affert*. Uterque liber v. 42. *cuspide* pro *compede*.

Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
Sed chorus et cantus et levis aptus amor;
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et centum ludis Geniumque choreis
Concelebra et multo tempora funde mero.

V. 47. dulci. 49. sanctum ludo Geniumque.

43. NEC LUCTUS] Cod. Paris. *non luctus.*

46. FUSA SED AD TENEROS] Ed. a. 1472.

Fusa quoque *ad teneros lutea palla* pedem.

47. DULCIS TIBIA CANTU] Ed. a. 1472. *dulcia.* Fruterius emendavit *dulci — cantu.* Accedit codex Goth. Heinsius, Lege *dulcis flatu,* „*cantus* praecesserat.“ Vide annotationem ad I. 1. 49. Ovid. III. Am. 13. 11.

Hinc ubi praesonuit solemni *tibia* cantu.

49. CENTUM LUDIS] *Ludis* est e coniectura Statii, cum omnes ad unum Codices et editiones antiquae, et Raphelengia etiam, habeant *ludos;* unde versum sic refinxit Heynius:

Huc ades et Genium *ludo, Geniumque choreis —*

Qua palmaria coniectura nihil praeclarius aut verius reperiri posse credi-

mus. Nec huius inventi laudi quidquam detrahitur, quod idem eodem fere tempore in mentem venit eximio Critico, Ier. Marklando, Animadversionibus Anglice scriptis in Ciceronem p. 68. SANTEN. Bibl. Crit. Vol. I. P. III. p. 64. Statii coniecturam *ludis* quatuor confirmant libri scripti, in his Askew. qui tum nondum in manibus erat Santenii. Edd. Venetae 1491. 93. (1500.) *ludes*. Guyeti inventum: *Huc ades et* sanctum ludo — nemo adsensione comprobavit, nedum ut in contextum admiserit, praeter Vossium, cui vox *centum* superlata videtur et inanis, nec loco suo posita. Hoc quidem recte. Scaliger nihil aliud nisi locum adscripsit Virgilii III. Georg. 18.

> Centum *quadriiugos agitabo ad flumina* currus.

Ubi etiam Heynius Tibulli sui memor est, laudans praeterea Gratii Cyneget. 520. Addere in primis debebat Catullum LXIV. 388.

> *Saepe pater Divum templo in fulgente revisens,*
> *Annua quum festis venissent sacra diebus,*
> *Conspexit terra* centum *procurrere* currus.

Pertinet res ad illud Pindari dictum, πάντα θύειν ἑκατόν. Hoc volebat Scaliger. Miror autem, nemini in mentem venisse Horatium III. 8. 13.

> Sume, *Maecenas, cyathos amici*
> *Sospitis* centum, *et vigiles lucernas*
> *Perfer in lucem, procul omnis esto*
> *Clamor et ira.*

Ubi notandum, quod Acron adscripsit: *verbo usus est convivarum*, centum cyathos. — Bene igitur habet etiam apud Tibullum scriptura *centum*. Enimvero *Genius* in hoc versu minime obtinet locum suum, quum ei potius conveniat is, quem obtinet infra II. 2. 5.

> *Ipse suos* Genius *adsit visurus honores* —

vel etiam paullo inferior, ut apud Horatium II. Ep. 1. 145.

> *Floribus et vino* Genium *memorem brevis aevi.*

Noli igitur dubitare, quin librarii duarum vocum simillimarum *centum*que *Genium*que inter se permutarint sedes, et, nisi

Illius e nitido stillent unguenta capillo,
Et capite et collo mollia serta gerat.

malis: *Huc ades et ludis* Genium — mecum lege:

Huc ades et Genium *ludis* centumque *choreis*
Concelebra et multo tempora funde mero.

Hoc ego certe praeferrem. Sed nihil impedio, quo minus receptam tuearis verborum structuram, si forte credas, in voce *centum*, quod ex mea ipsius interpretatione consequi videtur, aliquid inesse ponderis. Satis habeo, Tibullo suam restituisse scripturam.

51. ILLIUS E NITIDO] Codex Paris., Datianus, tertiusque recentior habent, *Illius et.* Askewianus *Illius e*, teste Santenio ad Balbum c. 20. p. 1823. *Interea positis stillent unguenta corollis.* Eldikius cum hoc versu comparat Callimachi Fragmentum XII. apud Valckenarium p. 205. — ἀπ᾽ ὀστλίγγων αἰὲν ἄλειφα ῥέει. Tibullus II. 2. 7.

Illius puro destillent tempora nardo.

Ubi eodem modo libri variant, aliis *e* inserentibus, aliis *et*. III. 4. 28.

Stillabat Syrio myrtea rore coma.

Hic Vossius reposuit *Spirabat*, veritus, ne *somnians* poeta non potuerit dignoscere *Syrium* rorem, (quo delibutam fuisse Apollinis comam *vigilans* fingit) nisi *odore*. Sed agitur ibi de *nitore*, non de *odore*; et *nitidae* comae *fluere unguento* et *stillare* dicuntur, etiamsi unguento non sint delibutae, ex usu loquendi Homerico. Certe nemo cogitat de unguentis, ubi Homerus Ἄτην vocat λιπαροπλόκαμον, Il. τ. 126. Od. η. 107.

καιροσέων δ᾽ ὀθονέων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.

Vide Heynium ad Il. σ. 596. Hinc fortasse explicandus est, qui in transferendis verbis saepe pendet ab Homero, Pindarus in Dithyrambo apud Dionysium Halic. de Comp. Verb. p. 505. ed. Schaef. p. 67. ed. Heyn. ubi Dii advocantur ad concele-

brandum Bacchum, sicut a Tibullo Bacchus vel Osiris invitatur ad concelebrandum Genii festum diem:

δεῦτ᾽ ἐν χορὸν, Ὀλύμπιοι,
ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοὶ,
πολύβατον οἵτ᾽ ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα
ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθάναις
οἰχνεῖτε, πανδαίδαλον τ᾽ εὐκλέα ἀγοράν·
ἰοδέτων λάβετε στεφάνων
τῶν ἐαροδρέπτων λοιβάν —

Quae ultima verba vulgo ita vertuntur: *violis revinctarum coronarum, quae vere decerptae sunt*, libationem *accipite*. — Audiamus Schaeferum, virum graece doctissimum: „Miram phrasin, *στεφάνων λοιβὰν*, excusabit dithyrambicae poeseos licentia. Nisi hic usus proprius fuit priscae Graecorum linguae, unde in Latinam videtur transiisse, quae *libare* omnino pro *sacrificare* usurpat.“ Vix crediderim, sed verterim potius: *coronarum violis nexarum — sumite* splendorem, id est, *splendentes violis coronas*. Pari metaphora Iamus dicitur Ol. VI. 91. *ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἁβρὸν σῶμα.* Quem locum illustrat, nisi fallor, Wakefieldius ad Lucretium V. 282.

Largus item liquidi fons luminis, *aetherius sol*,
Irrigat *assidue coelum* candore *recenti.*

Coronati igitur dii adesse iubentur apud Pindarum, ut hoc loco et II. 2. 5. Genius; item Apollo II. 5. 5.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus *pulcherque veni: nunc indue vestem*
Sepositam, longas nunc bene pecte comas.

52. ET CAPITE ET COLLO] Heynius malit, *E capite et collo*; „nam pendebant e collo. unde *fusae per colla coronae* Ovid. II. Fast. 739.“ Error singularis. Ovidius ita:

Ecce nurum Regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito *pervigilare* mero.

Hoc signum est ebrietatis vel etiam amoris in-

Sic venias hodierne: tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.

V. 53. venias, hodierne! Tibi —. 54. Libaque.

crescentis, ut apud Propertium II. 53. 57.

Quum tua praependent demissae in pocula sertae.

Nec Latine dixeris *e capite serta gerere.* Casandra apud Aeschylum Agam. 1257.

καὶ σκῆπτρα καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη.

53. SIC VENIAS HODIERNE] Ed. a. 1472. *Sic uenies hodierne.* Homerus Od. *β.* 262.

κλῦθί μοι, ὃ χθιζὸς θεὸς ἤλυθες ἡμέτερον δῶ.

Tibulli loco utitur Gronovius ad confutandum Cruceum, statuentem Antidiatr. p. 41. has locutiones *vix* usurpari nisi in casu nominandi; quod Handius, *ut ratio intelligatur*, ita explicat ad Elench. Antidiatr. p. 185. adiectivum *nunquam* pro adverbio poni nisi casu absoluto. Gronovii exempla an omnia ad rem pertineant, alia quaestio est. Sed Gronoviana doctrina nihil verius esse, demonstrabimus incorruptis aliquot Graecorum, ad quos ipse provocat, exemplis. Callimachus Dian. 26.

ὣς ἡ παῖς εἰποῦσα γενειάδος ἤθελε πατρὸς ἅψασθαι, πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας,
μέχρις ἵνα ψαύσειε.

Constat, quantum molestiae hic locus exhibuerit Ruhnkenio, primum corrigenti Ep. Crit. ad Ernestium p. 24. *ἁπαλὰς χεῖρας*, deinde *πολλὰ*, mox *παιδνὰς* Ep. IV. p. 14. ed. Tittmann. Sed mutavit sententiam vir praestantissimus, postquam vidit, Callimachum expressisse Euripidem Iph. in Taur. 565.

ὅσας γενείου χεῖρας ἐξηκόντισα,
γονάτων τε τοῦ τεκόντος ἐξαρτωμένη.

Vide Ep. Crit. II. p. 142. ed. alt. Nec tamen hunc

locum Callimachus, sed expressit potius Euripidis Or. 282.

οἶμαι δὲ πατέρα τὸν ἐμόν, εἰ κατ' ὄμματα
ἐξιστόρουν νιν, μητέρ' εἰ κτεῖναί με χρὴ,
πολλὰς γενείου τοῦδ' ἂν ἐκτεῖναι λιτὰς—

Ubi fortasse legit Callimachus *γέρας*. Sed illud significantius est. Utrumque coniungit Tibullus III. 4. 64.

Tu modo cum multa brachia tende prece.

Appuleius III. Metam. p. 47. ed. Pric. *Haec profatus, rursus lacrimis obortis*, porrectisque in preces manibus, *per publicam misericordiam, per pignorum caritatem maestus tunc hos tunc illos deprecabar.* Rursus idem VIII. p. 518. *aper ipsum* multo dente *laniavit.* Vide Bentleium ad Horatium I. Serm. 7. 29. et Porsonum Advers. p. 272. ed. Lips. Homerus Il. *α.* 472.

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο.

Il. *ρ.* 384.

τοῖς δὲ πανημερίοις ἔριδος μέγα νεῖκος ὀρώρει.

Hinc egregie confirmatur vetus lectio apud Pindarum Ol. VI. 124. *Μῶμος ἐκ δ' ἄλλων κρέμαται φθονεόντων*

τοῖς, οἷς ποτε πρώτοις περὶ δωδέκατον
δρόμον ἐλαυνόντεσσιν αἰδοία ποτιστάζει χάρις εὐκλέα μορφάν.

Ubi veteres Critici voci *πρώτοις* substituerunt *πρῶτον*, sicut recentiores voci *prior* substituerunt *prius* supra I. 4. 52.

Qui prior *Eleo est carcere missus equus.*

Illam autem syntaxin, qua usus est Tibullus, *Sic venias hodierne*, satis Scaliger illustravit ad ep. 85. Antholog. Lat. T. II. p. 560. comparato in primis loco Theocriti XVII. 66. *Ὄλβιε κῶρε γένοιο.* Quod ita imitatur Propertius II. 15. 2.

Lectule, *deliciis* facte beate *meis.*

Priscianus p. 1116. *Persius tamen indubitanter vocativum pro nominativo posuit:* Censoremve tuum vel quod trabeate salutas. trabeate *dixit pro* trabeatus. *Et Horatius:* Macte virtute esto *pro*, mactus virtute. — Adde, quae in primis huc pertinent, sacrificiorum formulas: macte *hocce vino*

At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.

V. 58. **Candidaque.**

inferio esto; macte *hisce suovitaurilibus esto.* Nullam igitur caussam video, quamobrem Tibulli locus ita interpungatur: *Sic venias, hodierne!* id est, ut ille vertit, *o deus huiusce diei! — tibi dem.* Ita Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Alii *dum*, quod reposuit Heynius in Ed. III. Sed *dare tus* sollemnis formula est. Tibullus I. 8. 34. III. 5. 2. — Guelf. 2.

> *tibi* dem *turis honorem,*
> Libem *et Mopsopio dulcia* mella favo.

ex interpolatione. Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Liba et mopsopio dulcia* mella *feram.* Etiam *liba ferre* sollemnis formula est. Infra I. 10. 23.

> *Atque aliquis voti compos* liba *ipse* ferebat.

Virgilius II. Georg. 393.

> *Ergo rite suum Baccho dicemus honorem*
> *Carminibus patriis, lancesque et* liba feremus.

55. SUCCRESCAT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *subcrescat.*

56. CIRCA STET VENERANDA SENEM] Cod. Paris. *circha.* — Pindarus Ol. V. 48. *σέ τ', Ὀλυμπιόνικε — φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευτάν, υἱῶν, Ψαῦμι, παρισταμένων.* Vide Tibullum I. 10. 39.

57. QUEM TUSCULA TELLUS] Ed. a. 1472. *quae Tuscula tellus.* Cod. Paris.

> Ne *taceat monumenta viae,* quae *tuscula tellus.*

Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur; hic apta iungitur arte silex.
Te canet agricola, e magna quum venerit urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.

V. 61. *Omittitur* e.

58. CANDIDA QUEM] *Candida quem* reposuit Broukhusius, quum in Codice suo reperisset, *que Tuscula tellus, Candida que.* Atque ita accuratius distingui videntur Tusculani ab Albanis, quam si legas: *quem Tuscula tellus, Candidaque* —. Caeterum ut hoc loco Alba, ita Tibur designatur a Propertio III. 16. 5.

> Candida *qua geminos ostendunt* culmina *montes.*

Horatius Ep. I. 29.

> *Nec ut superni* villa candens *Tusculi Circaea tangat moenia.*

Idem I. Serm. 5. 26.

> *Impositum* saxis *late* candentibus *Anxur.*

61. CANET] Edd. veteres *canit.* E Vaticano tandem *canet* reposuit Broukhusius. „Haec enim scribebantur viis istis nondum ad plenum absolutis.“ Praepositio a plerisque libris abest, v. c. a Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Nec ea tamen commode hoc loco omitti potuit, nec omisit Virgilius Ecl. VIII. 109.

> *Parcite,* ab urbe venit, *iam parcite, carmina, Daphnis.*

Adde quod lectio ista metrum iugulat. Numquam nec Tibullus nec Propertius usi sunt licentia, qua vel Comici raro utuntur, producendi brevem syllabam *vocali* terminatam, quamvis in Caesura sit. Non huc pertinet Tibulli locus, a Vossio laudatus, I. 10. 13.

> *Nunc ad bella* trahor, et *iam quis forsitan hostis.*

Desinit enim correpta vocalis in unam *consonantem,* quae partem termi-

At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque veni.

nat orationis. Sergius p. 1830. Wasius in Senar. p. 52. sq. Nec illud huc pertinet Virgilii IX. Aen. 610.

Terga fatigamus *hasta*.

Nam littera *h* saepe consonantis vice fungitur. Vide Tibullum II. 1. 58. Quid? quod ne illud quidem huc pertinet II. 5. 67.

Quidquid Amalthea, *quidquid Mermessia dixit.*

Nam in his Graecorum nominibus sollemne est, ultimam producere. Propertius II. 14. 5.

Nec sic Electra, *salvum quum adspexit Oresten.*

Ovidius I. A. A. 511.

Hippolytum Phaedra, *nec erat bene cultus, amavit.*

Ubi vide interpretes. Apud Horatium II. Serm. 5. 81.

Sic tibi Penelopa *frugi est.*

si vera est lectio, syllaba sustentatur, quod scribit Bentleius, cum caesurae virtute, tum ob duas, quae statim eam excipiunt, consonantes. adde etiam ob usum iii eiusmodi nominibus graecis a Latii poetis receptum. Ex his consequitur, Tibullum non omisisse praepositionem, sed scripsisse,

Te canet agricola, e magna quum venerit urbe.

His adscribere iuvat locum Pindari de Batto Pyth. V. 120.

κτίσεν δ᾽ ἄλσεα μείζονα θεῶν,
εὐθύτομόν τε κατέθηκεν Ἀπολλωνίαις
ἀλεξιμβρότοις πεδιάδα πομπαῖς
ἔμμεν ἱππόκροτον
σκυρωτὰν ὁδόν.

ELEGIA VIII.

Non ego celari possim, quid nutus amantis,
  Quidve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum:
  Praecinit eventus nec mihi cantus avis:

V. 1. possum. 4. Praecinet.

ELEGIA VIII.

„Queritur de Pholoe." Ed. a. 1472.

1. NON EGO CELARI POSSIM] Libri multi, ut Cod. Paris. et Ed. a. 1472., *celare possum*. Edd. Venetae et Ald. 1502. *celari possum*. Ald. 1515. *Non ego celarim, possit.* ex interpolatione manifesta, quum nesciret corrector, ut bene monet Broukhusius, Latine dici *ego celor*. Hinc etiam orta est interpolatio Guelf. 1. *Nunc ego celare haud possum.* In nonnullis libris est *possim.* ut edidit Scaliger, procul dubio recte. Propertius I. 9. 5.

Non me *Chaoniae* vincant *in amore columbae*
Dicere, quos iuvenes quaeque puella domet.

Plutarchus T. VI. p. 503. Reisk. *Νέας μὲν γαρ γυναικὸς, ὥς Αἰσχύλος φησὶν, οὐ λανθάνει φλέγων* — vel, ut Brunckius habet ad Sophoclis Oed. Col. 395.

νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων
ὀφθαλμὸς, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη.

— *nutus amantis.* Pauci *amoris.* Ita infra El. 9. 1. *amores* et *amantes* confunduntur.

4. PRAECINIT EVENTUS] Unus Gebh. *Premit*

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare; Deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc mólles prodest coluisse capillos?
Saepeque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente genas ornasse? quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?

et. Unde ipse corrigebat *Promit et*, alii *Exprimit.* ut est in Vatic. apud Statium, duobus Gebh. et in Commentario Cyllenii. Cod. Paris. et Ed. a. 1472. cum Venetis *Praecinit.* quod satis illustravit Broukhusius. Ed. Voss. *Praecinet.* Vitiose. — *cantus avis.* Cod. Dresd. *carmen.*

6. PERDOCUIT] Guelf. 3. Monach. et unus Heins. *Praedocuit.* In Florentino apud Statium,

Perdocuit Marathum *non sine* vulneribus.

7. DEUS CRUDELIUS URIT] Corvin. *urget.* Infra II. 1. 79.

Ah miseri, quos hic graviter Deus urget!

11. QUID FUCO SPLENDENTE GENAS ORNASSE] Libri complures et Edd. veteres *comas ornare.* Muret. et Plantin. *genas ornasse.* Scaliger, qui *succo* praetulit, quod perpauci libri habent, *ornasse* mutavit in *onerasse.* Sed genas *succo* vel *fuco onerare* vetulae potius conveniret, quae dicitur apud Aristophanem Eccl. 909. *καταπεπλασμένη ψιμυθίῳ* et v. 1117. *πίθηκος ἀνάπλεως ψιμυθίου·* quam puero delicato, qualem Tibullus describit et Plato Phaedr. p. 227. Heind. *Ὀφθήσεται δέ τινα μαλθακὸν καὶ οὐ στερεὸν διώκων, οὐδ' ἐν ἡλίῳ καθαρῷ τεθραμμένον, ἀλλὰ ὑπὸ συμμιγεῖ σκιᾷ, πόνων μὲν ἀνδρείων καὶ ἱδρώτων ξηρῶν ἄπειρον, ἐμ-*

Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.

V. 14. arcta.

πειρον δὲ ἀπαλῆς καὶ ἀνάνδρου διαίτης, ἀλλοτρίαις τε χρώμασι καὶ κόσμοις χήτει οἰκείων κοσμούμενον. — Excerpt. Lips. *comas redimire.* Heinsius, *genas relinire.* quod ne Latinum quidem est.

12. DOCTA SUBSECUISSE MANU] Quod legitur in paucis libris, *supposuisse*, vel, quod Dresd. habet, *succubuisse*, mera sunt librariorum παροράματα. Subsecare ungues *docta manu*, ut apud Ovidium I. Art. 518.

> *Sit coma, sit* docta *barba resecta* manu.

Seneca Ep. 47. *alius pretiosas aves scindit, pectus et clunes*, certis ductibus *circumferens* eruditam manum, *in frusta excutit.* Horum similiumque exemplorum immemores Scaliger et Heinsius mirum in modum corruperunt locum Propertii II. 19. 12.

> *Et vitem* docta *ponere* falce *comas.*

14. COMPRESSOS COLLIGIT ARTA PEDES] Dresd. *comprensos — sinus.* Sed pueris mollibus laxi effluere solebant sinus, monente Heynio. Sforziae liber *colligit arte.* Edd. Venetae *adligat arcta.* Plant. *colligat*, ut Ald. 1515. Sed Ald. prior ex interpolatione:

> *Arctaque constrictos cogit aluta pedes.*

Quum *arta ansa* nihil sit aliud quam constringens vel *colligans* ansa, loco huic longe est accommodatius *colligit*, quam *colligat* vel *alligat*, satisque lectio illa confirmatur libris scriptis. Graece *ansa* dicitur πέδη. Philostratus Ep. 40. οὐ γὰρ κονιᾷς τὰ πρόσωπα οὐδὲ ἐν ταῖς κηρίναις τέταξαι γυναιξὶν, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ἀδόλως καλαῖς. — Τὸ δὲ φυκίον, καὶ ὁ κηρὸς, καὶ τὸ Ταραντινὸν, καὶ οἱ ἐπικάρπιοι ὄφεις, καὶ αἱ χρυσαῖ πέδαι, Θαΐδος καὶ Ἀριστογόρας καὶ Λαΐδος φάρμακα. De quo loco videndus est Toupius ad

Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda comserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter.

Suidam p. 227. Lips. pro Ταραντινὸν legens Ταραντινίδιον.

15. IPSA PLACET] Ita Florent. apud Statium, Ed. a. 1472. Lips. Ald. 1502. et Vet. quae ex Aldina priore ducta est. Cod. Paris. ut vulgo, *Illa placet*.

16. COMSERIT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *compserit*.

17. POLLENTIBUS HERBIS] Ita nunc duce Broukhusio editur. Libri et Edd. vulgo *pallentibus*. Vindob. Bern. et Voss. 2. *pollentibus*. Guelf. 4. *pellentibus*, Cod. Paris. *patentibus*.

19. FRUGES TRADUCIT] Sfort. liber cum paucis aliis *segetes deducit*. Unus Gebh. et Exc. Lips. *messes*. Virgilius Ecl. VIII. 99.

> *Atque satas alio vidi* traducere messes.

20. IRATAE DETINET ANGUIS ITER] Corvin. *irati*. Sed Charisius, laudatus iam a Statio, vulgatam satis tuetur p. 70. Putsch. Anguis *cum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminini; ut Tibullus*,

> — iratae *detinet* anguis *iter*.

Vide Non. c. 3. p. 592. Frustra igitur Lipsius corrigebat,

> — irati *detinet* amnis *iter*.

ut versus similis fieret illi I. 2. 44.

> Fluminis *haec rapidi carmine sistit* iter.

Cantus et e curru Lunam deducere tentat;
Et faceret, si non aera repulsa sonent.
Quid queror, heu, misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.

21. E CURRU LUNAM DEDUCERE] Edd. Venet. *e coelo deducere lumina.* Ita etiam Guelf. 1. ex El. 2. 45. Unus Gebh. Palatin. *e cursu.*

22. ET FACERET, SI NON — SONENT] Dresd. *Et faciet.* Heynius rectius putabat, *Et faciat.* ex sermonis ratione, quum sequatur, *si sonent.* Crediderim potius, scripsisse Tibullum, *si non aera repulsa* forent. Sic infra I. 9. 39.

Quid faceres, nisi *et ipse* fores *in amore puellae?*

Ovidius IV. ex Pont. 16. 8.

Iunonis si non *iam gener ille* foret.

Sed nemo, ut in ordinem cogat temporum consecutionem, hanc emendationem temere praetulerit receptae lectioni *aera sonent*, non modo hanc ob caussam quod supra quoque I. 4. 63. scripsit Tibullus, *carmina* ni sint, *non* nituisset *ebur;* sed etiam propterea quod *aeris sonus* longe est in hac re significantior. Theocritus II. 36. τὸ χαλκίον ὡς τάχος ἄχει. Plinius H. N. II. 9. *in Luna veneficia arguente mortalitate, et ob id* strepitu dissono *auxiliante.* Vide supra I. 2. 47. Tacitus I. Ann. 28. *Luna claro repente coelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans prospereque cessura, quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur. Igitur* aeris sono, *tubarum cornuumque concentu* strepere etc.—Ed. a. 1472. *sonet.*

26. FEMORI CONSERU-

Nec tu difficilis puero tamen esse memento;
Persequitur poenis tristia facta Venus.
Munera ne poscas; det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu.

V. 29. nec.

ISSE FEMUR] Latinis poetis, qui saepe hac structura utuntur, *femur femori, latus lateri*, ut v. c. Ovidius Ep. II. 58. *lateri conseruisse latus*, praeivit Archilochus apud Scholiasten Euripidis Med. 679. *καὶ πεσεῖ δρήστην ἐπ' ἀσκὸν, μηρδύς τε μηροῖς.* Anacreon apud Hesychium v. *Γυναῖκες· Πλέξαντες μηροῖσι παρὰ μηρούς.* Conf. Homeri Il. *v.* 130. Simile Tibulli fragmentum laudat Charisius p. 66. *Hoc femur huius femoris, sed frequenter huius feminis, huic femini dictum est, et pluraliter femina quam femora.* Ideoque et Tibullus hoc ipsum erudite custodit, quum dicit, *Implicuitque femur femini.* Idem p. 105. *Femini.* Tibullus, *Implicuitque femur femini.* quasi sit *hoc femur huius feminis.* — Non est credibile, quod suspicatur Broukhusius, Charisium memoria lapsum alterius poetae hemistichium bis falso tribuisse Tibullo, multoque est probabilior Heynii opinio, ductum illud esse ex deperdita aliqua vel mutila Tibulli Elegia. Hoc loco nullus liber exhibet *femini* pro *femori.*

29. MUNERA NE POSCAS] Pauci *nec.* Guelf. 3. *neu.* Vide I. 2. 55. et El. 5. 75. *Nec* vel *Ne saevo sis casta metu.* Hoc loco prorsus abiiciendum est *nec.* Neque enim oratio ita connectenda est, ut factum video: memento *tamen etiam tu non esse difficilis puero — Munera nec poscas.* Quod parum conveniret Elegiarum scriptori, singulis distichis singulas plerumque absolventi sententias. Sed obstat etiam usus. Horatius II. Serm. 2. 15.

Carior est auro iuvenis, cui laevia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

V. 52. amplexas hispida.

Sperne *cibum vilem: nisi Hymettia mella Falerno*
Ne biberis *diluta.*

50. UT FOVEAS] Vulgo *foveat.* Illud ex uno codice Eborac. reposuit Broukhusius. Accedunt Voss. tres et Vindob.

51. CARIOR EST AURO IUVENIS] Vindob. *Clarior.* quae orta lectio videtur e verbo *fulgent.* Hoc verbum satis tuetur scripturam *laevia* ora, cui alii substituerunt *mollia,* alii *lenia.* Ed. a. 1472. *leuia. Laeves* et *lenes genae* confunduntur etiam apud Quintilianum XII. 10. 8. de Polycleto: *Quin aetatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra* laeves genas. Appuleius VII. Metam. p. 157. Pric. *quippe quum mihi etiam tunc depiles genae* laevi pueritia splendicarent. Statius III. Silv. 4. 65.

Olim etiam ne prima genas *lanugo* nitentes
Carperet, *et pulchrae* fuscaret *gratia formae* —

Ubi Marklandus edidit *Spargeret*, de coniectura, ut v. c. apud Sil. Italicum VII. 691.

At Cato tum prima sparsus lanugine *malas.*

Accius in Bacchis apud Servium ad Aen. XII. 605. scribit:

Genas lanugo flora *nunc demum* irrigat.

Ita hunc locum dedit Gronovius ad Gellium III. 9. Aliter Heynius ad Virgilium. Vide Festum in v. *Genas.* Orpheus Argon. 227.

καλὸς Ὕλας· τῷ δ' οὔπω ὑπὲρ δροσεροῖο γενείου
ἀργεννὰς ἐρύθηνε παρηΐδας ἁβρὸς ἴουλος.

52. NEC AMPLEXUS ASPERA BARBA TERIT] Edd. Venet. cum nonnullis aliis *hispida* barba. — *amplexus terit.* id est, ut

Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnae despiciantur opes.
At Venus inveniet puero succumbere furtim,
Dum tumet, et teneros conserit usque sinus,

V. 36. conseruisse.

Cyllenius interpretatur, *amplexam* offendit *mulierem*. Nullum depravationis vestigium in libris. Nempe *amplexus* non modo est ἀσπασμὸς, verum etiam ἄσπασμα, *res quam amplexamur*. De hoc dicendi genere, quo apud Graecos nihil est usitatius, vide Valckenarium ad Euripidis Phoen. 1498. Sophocles Antig. 650.

> *ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο γίγνεται,*
> *γυνὴ κακὴ ξύνευνος ἐν δόμοις.*

55. AT VENUS INVENIET] Ita Scaliger edidit primus. quod confirmant Voss. tres. Vulgo *invenit.* — *puero succumbere* Sfort. Florentin. et Askew. Cod. Paris. et Ed. a. 1472. cum aliis, *inuenit concumbere* (*concurrere*). Hoc est συγκλίνεσθαι, (Herodotus II. 181. Aristophanes Nub. 50.) illud ὑποκλίνεσθαι apud Orpheum Argon. 195. frustra reprehensum a Schneidero. Scaliger laudat Catullum c. CXI. 5.

> *Sed cuivis quamvis potius* succumbere *fas est.*

Lucretius IV. 1191.

> *Et pecudes et equae* maribus subsidere *possent.*

Horatius Ep. XVI. 51.

> *iuvet ut tigres* subsidere *cervis.*

Similiter Suetonius Octav. 68. *quasi* pudicitiam *delibatam a Caesare A. etiam Hirtio in Hispania CCC milibus numum* substraverit.

56. DUM TUMET] Vulgo *timet*, unde Scaliger

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, et in collo figere dente notas.

fecit, quod etiam nonnullis libris confirmatur, *tumet*. At in Sfort. libro est *tenet*. quod, ait Santenius Bibl. Crit. P. III. p. 79. „ut non dixerim verum esse, ita non nemini placere possit. Solet Tibullus *tenere* ponere pro *amplecti*.“ Bene. Sed probabilior est Scaligeri lectio *tumet*. Longus III. p. 106. ed. Iungerm. *οἷα γοῦν ἐνηβήσας ὁ Δάφνις — πρός τε τὰ φιλήματα ὤργα καὶ πρὸς τὰς περιβολὰς ἐσκυλάκιζε*, ut scribit Ruhnkenius ad Timaeum p. 164. Toupius ad Suid. P. III. p. 424. *ἐσκιτάλιζε*. — Pro *conserit* Statius malebat *congerit*, Heynius *conserere*, vir doctus apud Gebhardum *Dum timet hei teneros conseruisse sinus*. Unus Vossian. *teneras conserit usque manus*. Pro *usque* quidam *ipse*. Nihil equidem in hoc versu mutaverim, quamvis lectionem *tenet* quodam modo commendet locus similis Lucretii IV. 1185.

Nec mulier semper ficto suspirat amore,
Quae complexa viri corpus cum corpore iungit,
Et tenet *adsuctis humectans oscula labris.*

37. ANHELANTI] Unus Heinsii liber, ut Ed. Venet. 1475. et Reg. Lep., *anhelatim*. Quae vocula, ut Broukhusii verbis utar, *si legitime percussa est*, iam uno adverbio locupletior erit Latinus sermo. Vocula haud dubie legitime percussa est, ut etiam *anhelabundus* in Glossario Isidori. Et nunc ipsum video, Wakefieldum ad Lucretii l. c. hunc versum ita emendatum, e libris ait, proferre:

Et dare anhelatim *pugnantibus humida* labris
Oscula, et in collo figere dente notas.

Idem magnam huius generis adverbiorum vim collegit ad I. 45. *Acervatim*, *adumbratim*, *articulatim*, *blanditim*, *catervatim*, *contemptim*, *filatim*, *generatim*, *grava-*

Non lapis hanc gemmaeque iuvent, quae frigore sola
Dormiat; et nulli sit cupienda viro.

V. 39. iuvant.

tim, *insertim*, *iuxtim*, *membratim*, *minutatim*, *mixtim*, *moderatim*, *particulatim*, *propritim*, *pedetentim*, *raptim*, *summatim*, *tractim*, *turmatim*, *viritim*, et quod in Anthol. Lat. III. ep. 199. legitur *neglectim*. Potuit igitur etiam Tibullus scribere *anhelatim*, quamquam nihil opus est hac lectione pro vulgata *anhelanti*, multo minus Heinsii emendatione *uvida* pro *humida*, quam, ut solet, amplexus est Broukhusius. Vide locum Lucretii. Caeterum Heynio duo haec disticha 55 — 58. parum cum argumento et sententia caeterorum cohaerere videntur, ut dubitet, an sedem sibi debitam teneant. Muretus, qui item in hoc loco haesitat, rem ita expediendam censet: „Si forte metuat sibi Pholoe', ne a divite amatore illo sene deseratur, si 'se Maratho quoque facilem praebuerit, Venerem ipsam invenisse modos, quibus ipsa clam cum puero delicias facere et, ut Plautus loquitur, caput collimare possit.“ Recte. nec tamen legendum est cum illo, *invenit* — *timet*. — Cod. Paris. *anelanti*.

39 — 40. NON LAPIS HANC GEMMAEQUE IUVENT] Haec est Scaligeri lectio, qui etiam *Dormiet* dedit, locum ita construens: „*Hanc* non iuvent gemmae et (haec) nulli sit cupienda viro, quae frigore sola dormiet.“ Quod probat Heynius, retinens tamen vulgatam *Dormiat*. At Santenius *iuvant* verum censet, modo adsciscatur egregia, quam dicit, Codicis unius apud Gebhardum et libri Sforziani lectio *capienda*, hoc sensu: „gemmae (quibus ornatae feminae virum quaerunt) nulli usui sunt puellae, quae *nocte hiberna* velit sola dormire, et se nulli viro capiendam, potiundam, praebeat.“ Quid vero? Num gemmae usui sunt puellae, quae *nocte aestiva* velit

Heu sero revocatur amor, seroque iuventas,
  Quum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formae; coma tum mutatur, ut annos
  Dissimulet, viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos,
  Et faciem demta pelle referre novam.

V. 42. Quom. 45. tum.

sola dormire? Frigent omnia prae emendatione Slothouweri Act. Soc. Trai. T. III. p. 148. modo pro *iuvent*, quod ille retinuit, *iuvant* reponas:

> Quam *lapides gemmaeque iuvant*, haec *frigore sola*
> *Dormiat, et nulli sit cupienda viro!*

41. IUVENTAS] Cod. Paris. *iuuenta*.

42. CANA SENECTA] Edd. Rom. et Venetae cum quibusdam libris scriptis, *curva*. Hamb. *tarda*. Male hoc loco. Ovidius IV. Trist. 8. 2.

> Inficit *et nigras* alba senecta *comas*.

43—44. TUM STUDIUM FORMAE; COMA TUM] Cod. Paris. *Tum studium* forma est. *coma* tunc Ed. a. 1472.

> *Tum studium formae* est, *coma* tum *mutatur, ut annos*
> Dissimilet *uiridi cortice* cincta *nucis*.

45. TOLLERE TUNC CURA EST] Broukhusius e libris aliquot reposuit, *Tollere tunc albos cura est* — quod perperam imitatur Burmannus ad Propertium III. 23. 53. (25. 15.)

> *Vellere tum cupies albos a stirpe capillos*.

Quo loco *tunc* restituendum mihi videri dixi supra ad El. 1. 21. In universum tamen observanda

At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere; non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque; puero quae gloria victo?
In veteres esto dura, puella, senes.
Parce, precor, tenero: non illi sontica caussa est;
Sed nimius luto corpora tinguit amor.

V. 51. *Omittitur* est.

est regula, quam proponit Caper p. 2241. *Tunc* temporis adverbium, *Tum* ordinis est. — Hic quidem libri perpauci habent, *tum cura est. Tollere*, vel, quod hoc etiam loco malebat Burmannus, *Vellere* a stirpe *capillos* dictum est ad exemplum Homeri Il. κ. 25.

πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.

46. DEMTA] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *dempta.*

48. NON TARDO LABITUR ILLA PEDE] Ed. Lips. apud Heynium *nam* pro *non.* Hinc ille coniicit, *nam tacito* —. Sed supra etiam El. 4. 27. de aetate cito transeunte:

non segnis stat remeatque dies.

Seneca Hipp. 446.

Aetate fruere: mobili *cursu fugit.*

49. NEU MARATHUM TORQUE] Vulgo, *Heu torque*, vel, ut est in Cod. Paris. Ed. a. 1472. et Venetis:

Seu *Marathum* torques: *puero quae gloria victo* est.

Nullus liber hoc loco *Ne* habet pro *Neu*, quod post Statium reposuit Scaliger. Recte et ex more Tibulli. Vide v. 29. IV. 4. 11.

Neu iuvenem torque, *metuit qui fata puellae.*

52. LUTO CORPORA TINGUIT AMOR] Cod. Pa-

Vel miser absenti moestas quam saepe querelas
Coniicit, et lacrimis omnia plena madent.

V. 53. Veh. 54. Coniicit! ut.

ris. *luteo* — *tingit*. Ed. a. 1472. *lutheo* — *tingit*. In duobus Palat. uno Broukh. tribus Voss. *tangit*. quod ille recepit, mea quidem sententia, male. *Tangere* et *tinguere* ita vulgo distinguuntur, ut illud de adspersione, hoc de coloris inductione dicatur. Ovidius IV. Fast. 790.

Ignibus et sparsa tangere *corpus aqua.*

Alii *tingere*. Sed *tangere aqua corpus* ita fere dicitur, ut βάλλειν χρόα λουτροῖς, Homer. Hymn. in Cerer. 50. Iuvenalis II. 93.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Haec melior lectio videtur altera, quam hodieque probari video, *tactum*. Certe Tibullus dubitari nequit quin scripserit,

Sed nimius luto *corpora* tingit *amor.*

quod satis confirmat Horatius III. 10. 14.

Nec tinctus *viola* pallor *amantium.*

Hoc sensu alibi ponitur *inficere*, de virgineo quidem pudore infra III. 4. 32.

Inficitur *teneras*, *ore rubente, genas:*

de pallore apud Horatium Ep. VII. 15.

Tacent, *et ora* pallor *albus* inficit.

53. VEL MISER ABSENTI MOESTAS QUAM] Askew. *Ut miser absenti miseras qui* —. Turbavit librarios pariter atque editores particula *Vel*, cui illi substituerunt *Ut*, *Va*, *Vah*, Muretus *Veh*. quod rectius scribitur *Vae*. Terentius Andr. II. 1. 2. *Vae misero mihi*. Ubi Donatus, *Vae*, inquit, interiectio in his rebus quas execramur. Iam quum *miser* etiam pro scelesto et perdito ponatur, satis incommode Tibullus hoc loco coniunxisset *Vae*

miser. Mihi *Vel*, quod libri complures, editi ad Muretum usque omnes exhibent, nulla machina convelli posse videtur. Vide Ruhnkenium ad Terentii Eunuch. III. 1. 7.

> vel *rex* semper *maxumas*
> *Mihi agebat quicquid feceram; aliis non item.*

Heaut. IV. 6. 1.

> *Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,*
> *Quam invitus facias*: Vel me *haec deambulatio*
> Quam *non laboriosa ad languorem dedit:*
> *Nec quicquam magis nunc metuo, quam* ne *denuo*
> Miser *aliquo* extrudar hinc, *ne accedam ad Bacchidem.*

54. ET LACRIMIS OMNIA PLENA MADENT] Haec verba parum idoneo nexu subiecta atque adeo pro emblemate miselli versificatoris habenda censet Mitscherlichius Tent. Crit. p. 10. nisi forte illa ita constituenda sint: ut *lacrimis omnia plena* natent. *Ut* Heinsius occupavit, consentiente Heynio, qui *omnia* etiam languere ait. Sed recepta lectio sanissima est. Primum nexus orationis idem est hoc loco, ac supra v. 52. nec *amplexus aspera barba terit*. I. 3. 70. et *huc illuc impia turba fugit*. Deinde *omnia* satis tuetur formula, *omnia plena*. Virgilius II. Georg. 4.

> *Huc, pater o Lenaee; tuis hic* omnia plena
> *Muneribus.*

Ovidius XII. Ep. 63.

> *Disiectamque comas aversaque in ora iacentem*
> *Invenit et* lacrimis omnia plena *meis.*

Tandem *madent* confirmat Statius XI. Theb. 417.

> Cuncta madent lacrimis, *et ab omni plangitur arce.*

Iam comparari potest locus Propertii I. 6. 24. ubi Broukhusius intulit lectionem procul dubio interpolatam, *lacrimis* ultima vota *meis*, reclamantibus libris fere omnibus iisdemque optimis, qui habent:

> *Et tibi non umquam nostros puer iste labores*
> *Adferat et* lacrimis omnia nota *meis.*

Quid me spernit? ait: poterat custodia vinci;
  Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
Nota Venus furtiva mihi est; ut lenis agatur
  Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.
Et possim media quamvis obrepere nocte,
  Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
  Et fugit ex ipso saeva puella toro?
Vel quum promittit, subito sed perfida fallit,
  Est mihi nox multis evigilanda modis.

V. 64. malis.

55. QUID ME SPERNIT?] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. ut vulgo, *spernis*.

58. UT NEC DENT OSCULA — SONUM] Claudianus XXXI. 130.

Vivite concordes et nostrum discite munus:
Oscula mille sonent.

Sophocles apud Athenaeum XI. p. 487. D. apud Brunckium Fragm. p. 649.

τάδ' ἐστὶ κνισμὸς καὶ φιλημάτων ψόφος.

59. ET POSSIM MEDIA QUAMVIS] Cod. Paris. *possum*. Ed. a. 1472. *possim — quanvis*. (ut semper.)

61. QUID PROSUNT ARTES] Ed. a. 1472. cum multis aliis, *Quid* possunt *artes*. Cod. Paris. *prosunt*.

64. NOX MULTIS EVIGILANDA MODIS] Pauci libri *modis*, plurimi, ut Cod. Paris. et Ed. a. 1472., *malis* habent. Tamen illa probabilior est lectio. Nam *multis modis* agitari pro-

prie dicuntur, qui cum aliqua animi anxietate aliquid expetunt vel exspectant, ut mater apud Terentium Hec. II. 3. 7.

> *Nisi pol filium* multi' modis *iam* expeto, *ut redeat domum.*

et de anima ipsa, etiam per somnum non quiescente, Lucretius III. 115. scribit:

> *Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo*
>
> Multimodis agitatur, *et omnes accipit in se*
>
> *Laetitiae motus et curas cordis inanes.*

Ita *omnibus modis miser* dicitur Pamphilus apud Terentium Hec. IV. 4. 79. ubi haesit Donatus, quaerens: „Quid est *omnibus modis?* utrum et circa parentem et circa uxorem? an et in reducenda et in non reducenda?" Sed vide Plautum Rud. II. 1. 1. Neque mihi dubium videtur, quin scripserit Propertius III. 17. 11.

> *Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,*
>
> *Spesque timorque animum versat* utroque modo.

Probabilior autem recepta lectio etiam propterea est, quod, ut supra iam significavi ad El. 2. 76., minus bene dixeris, *evigilare noctem multis malis*, quam *cum multis malis*, quemadmodum etiam Graeci scribunt, v. c. Sophocles Phil. 1022. *ἐγὼ δ' ἀλγύνομαι*

> *τοῦτ' αὖθ', ὅτι ζῶ ξὺν κακοῖς πολλοῖς τάλας.*

Caeterum *noctem* multis modis *evigilare* quid sit, si quis forte ignoret, discat ab Homero Il. ω. 4 — 13. ubi Achilles vigilans in lecto Patroclum deplorat interemtum; quem locum leviter reddidit Iuvenalis III. 278. *cubat in faciem, mox deinde supinus:* ad amatorem, amicam in vacuo lecto desiderantem, monente Iacobsio, transtulit Crinagoras ep. III.

> *Κῆν ῥίψῃς ἐπὶ λαιὰ, καὶ ἢν ἐπὶ δεξιὰ ῥίψῃς,*
>
> *Κριναγόρη, κενεοῦ σαυτὸν ὕπερθε λέχους,*
>
> *εἰ μή σοι χαρίεσσα παρακλίνοιτο Γέμελλα,*
>
> *γνώσῃ κοιμηθεὶς οὐχ ὕπνον, ἀλλὰ κόπον.*

Dum mihi venturam fingo, quodcunque movetur,
Illius credo tunc sonuisse pedem.
Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa,
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Divi:
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse Deum.

V. 66. tum.

66. TUNC SONUISSE PEDEM] Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Illius credo tunc *sonuisse* pedes.

68. FLETU LUMINA FESSA TUMENT] Duo Anglicani *tepent.* Sed oculi *tument* ex fletu, ut bene monet Heynius, abutens tamen hoc loco ad commendandam lectionem, quam Ayrmannus obtrudebat Propertio I. 5. 16.

Et tumor *informem ducet in* ora *notam.*

Nam ibi *timor* ducit *in ora notam*, sicut apud Horatium Ep. VII. 15. quem locum supra laudavimus ad v. 52.

— *ora* pallor *albus* inficit;

et apud eundem IV. Carm. 2. 56. vitulus dicitur,

Qua notam duxit, *niveus videri,*
Caetera fulvus.

72. ULTOREM POST CAPUT ESSE DEUM] Ita Iuppiter apud Aeschylum Pers. 825. *κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων ἔπ εστιν*, non *ἔπεισιν*, ut nunc editur ex emendatione Valckenarii ad Euripidis Phoen. 192. p. 209.

Saepe etiam lacrimas fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
Quaecunque adposita est ianua dura sera.
At te poena manet, ni desinis esse superba.
Quam cupies votis hunc revocare diem!

V. 76. opposita *absque* est. 77. manet. Ni — superba, Quam — hanc.

76. ADPOSITA EST IANUA DURA SERA] Broukhusius e duobus libris pro *opposita*, quod vulgo legitur, edidit *adposita*, imitatus Heinsium, qui hoc passim substituit Ovidio, v. c. II. Art. Am. 244. Utra lectio praeferenda sit, non definio. Quum tamen Latini, monente Vossio, dicant *obserare fores*, obdere *foribus pessulum*, videntur etiam dixisse *opponere seram*. Conf. Propertium IV. 5. 48. De simili locutione *προςθεῖναι τὰς θύρας* agens Valckenarius ad Herodotum III. 78. item dubitanter scribit: „*Adducere ostium* Graece dicebatur *συναγαγεῖν τὴν θύραν· opponere ianuam* vel *adponere* (si tamen hoc Romanis fuit in usu) *προςθεῖναι*.“ Adde *ἐπιθεῖναι*, v. c. apud Homerum Il. ξ. 169. — Omnes libri habent *est*, pauci *firma* pro *dura*.

78. QUAM CUPIES VOTIS HUNC REVOCARE DIEM!] Heynius ad II. 5. 102.

> *Postmodo quae* votis
> *irrita facta* velit,

ita scribit, „*votis velle*, ut supra, *votis cupere*.“ Perperam. Coniungenda

enim sunt *votis revocare*, ut apud Propertium I. 10. 5. quem locum simul opponimus novae editionis interpolatae distinctioni:

> *O noctem meminisse mihi iucunda voluptas!*
> *O quoties* votis *illa* vocanda *meis!*

certe illi distinctioni, qua nunc iterum depravatus est locus elegans, (si recte interpungatur) II. 1. 83.

> *Vos celebrem cantate deum, pecorique* vocate:
> Voce *palam pecori, clam sibi quisque vocet.*

ELEGIA IX.

Quid mihi, si fueras teneros laesurus amores,
Foedera per Divos, clam violanda, dabas?
Ah miser, etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.

V. 1. miseros. 3. et si.

ELEGIA IX.

Caret haec Elegia inscriptione in Ed. a. 1472. Novi tamen carminis initium interposito vacuo spatio satis indicatur.

1. SI FUERAS TENEROS LAESURUS AMORES] Sic Ed. a. 1472. Vulgo *miseros amores* vel *amantes*. quorum illud supra El. 2. 89. hoc El. 8. 71. legitur. Sed *teneros amores* huic loco unice convenire bene perspexerunt pristini editores. Neque vero in mentem iis venit, e locis citatis huc transferre *lusurus*, quod Heinsius post Fruterium substituit, non intelligens, *laedere amores* et *foedera per Divos violare* Homerico inter se vinculo contineri, et locutionem referre illam, Il. γ. 107.

μή τις ὑπερβασίῃ Διὸς ὅρκια δηλήσηται.

3. AH MISER] Nonnulli libri *Ha miser*, quod imitatur Balbus c. 20. p. 156.

Parcite, coelestes; aequum est, impune licere
Numina formosis laedere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro
Et durum terrae rusticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.

ad quem locum recte monet Santenius, „*Ha* nunquam dolentis est interiectio: *Ah miser* exclamatio est pathetica.“ Sed ut graeca formula ἆ δειλὲ nunc est miserantis exclamatio (Hom. Il. ρ. 201.), nunc indignantis vel increpantis (Od. σ. 588.), ita etiam *Ah miser*. Nam *miser*, praesertim in convicio, pro scelesto ac perdito dicitur, ut δύστηνος et κακοδαίμων. de qua vocis significatione agit Ruhnkenius Praef. ad Schelleri Lexic. p. XI. Alii, ut Cicero et Lucretius in exemplis, a Broukhusio ad hunc locum congestis, scribunt *o miser*. Vide annotationem ad II. 3. 19. et 74. — Ed. a. 1472. *caelat*.

9. FRETA PER PARENTIA VENTIS] In Florentino apud Statium nonnullisque aliis libris, *parentia per freta ventis*. quod expressum est in Ed. a. 1472. Sunt etiam, qui exhibeant: *per vela patentia ventis*. Sed Statius comparat Lucanum V. 602.

Et dubium pendet, vento cui pareat, aequor.

Quam lectionem etiam Broukhusius h. l. defendit operose. Alii legunt, *vento cui concidat aequor*. Ita apud Horatium I. Carm. 12. 30. Dioscuris apparentibus,

Concidunt venti, *fugiuntque nubes;*
Et minax — sic Di voluere — ponto
Unda recumbit.

Constructione simili Virgilius IV. Georg. 484.

Atque Ixionii vento *rota* constitit *orbis*.

Muneribus meus est captus puer; at Deus illa
In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persolvet poenas, pulvisque decorem
Detrahet et ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur sole capilli,
Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quoties, auro ne pollue formam;
Saepe solent auro multa subesse mala.

V. 13. persolves.

13. IAM MIHI PERSOLVET POENAS] Ita Cod. Paris. et Ed. a. 1472. Pauci, *persolves.*

17. AURO NE POLLUE FORMAM] Verba translata sunt ab artium operibus, quae quum proprio nitore splendere debeant, adventitio colore vel ornamento inducto *pollui* dicuntur et *violari*, nunc bono sensu, nunc malo, praeeunte Homero Il. δ. 141. de quo loco vide Porsonum ad Euripidis Or. 909. Plinius Paneg. 52. *Itaque tuam statuam in vestibulo Iovis Optimi Maximi unam alteramve et hanc aeream cernimus. At paullo ante aditus omnes, omnes gradus, totaque area hinc* auro *hinc* argento relucebat *seu potius* polluebatur, *quum incesti principis statuis* permixta *deorum simulacra sorderent.* Iuvenalis XI. 116.

Fictilis et nullo violatur *Iuppiter auro.*

Hinc patet, Tibullum de puero loqui tamquam de pulchra statua, quam auro pollueree sit nefas, exemplo Graecorum, qui for-

Divitiis captus si quis violavit amorem;
Asperaque est illi difficilisque Venus.
Ure meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus, et intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti.
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.

V. 23. celari fas sit.

mosos homines comparare solent ἀγάλμασι, velut Plato Charm. p. 236. A. ἀλλὰ πάντες ὥςπερ ἄγαλμα ἐθεῶντο αὐτόν. Huc etiam pertinet *forma*, qua voce Cicero reddit graecum ἄγαλμα apud Ruhnkenium ad Tim. p. 6. Ad illud autem Tibulli praeceptum, *auro ne pollue formam neve*, quod consequens est, *viola Amorem* v. 19. nihil propius accedit, quam praeclarum illud Aristophanis dictum, quod Gratiae ipsae dictasse videntur ingenioso poetae Nub. 987.

καὶ μὴ παρὰ τοὺς σαυτοῦ γονέας σκαιουργεῖν, ἄλλο τε μηδὲν
αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅ, τι τῆς Αἰδοῦς μέλλει τἄγαλμ' ἀναπλήσειν.

Quam lectionem poterant editores confirmare hoc in primis Virgilii loco IV. Aen. 24 — 27.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras —
Ante, Pudor, quam te violo, *aut tua iura resolvo.*

Ib. V. 4.

Quae tantum accenderit ignem,
Caussa latet: duri magno *sed* amore *dolores*
Polluto, *notumque, furens quid femina possit,*
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

19. DIVITIIS CAPTUS] Cod. Paris. ut duo Heinsii Anglic. apud Broukhusium:

O viciis *captus si quis uiolavit amorem.*

23. NEC TIBI CELANDI SPES SIT PECCARE PARAN-

τι] Ita primus omnium hunc versum constituit Scaliger, secutus Eclogaria sive Excerpta illa, quibus et vetustatem et auctoritatem tribuebat maximam. In qua lectione *spes* ista adeo offendit Ianum Gebhardum, ut profiteri non erubesceret, Scaligerum ea confinxisse quae nusquam exstiterint, et lectoris credulitate abusum sua ipsius somnia pro sensu Tibulliano venditasse. Sed Broukhusius rem comprobavit ex Adversariis Scaligeri, quae tum erant penes Tib. Hemsterhusium, et satis illa lectio nunc firmatur quatuor libris, recens comparatis, tribus Voss. et Hamb. Nec credibile est, Tibullum ab usu loquendi recessisse in sententia sollemni. Nimirum ubique improbi *sperare* dicuntur pro, *sibi persuadere*, *opinari*, fore ut facta ipsorum celentur, idque Graecorum, quibus semper in his rebus testimonii dictio est, exemplo. Nam ut illi *sperare*, ita hi *ἐλπεσθαι* hoc sensu ponere solent, vel, quod idem est, *δοκεῖν*. Eustathius ad Hom. Il. η. 192 — 199. p. 676. 11. *τὸ δὲ ἔλπομαι ταὐτόν ἐστι τῷ δοκέω.* Igitur Euripides Rhes. 940. *μὴ δοκει λεληθέναι.* Quo loco monendum est, falli doctissimum Boeckhium in Comment. de Graec. Tragoed. Princip. p. 153. scribentem: „*Μὴ δόκει* plane Hebraicum est." Immo plane Graecum est. Euripides Hipp. 119. *μὴ δόκει τούτων κλύειν.* Med. 366. *μὴ δοκεῖτέ πω.* Sed Pindarus sententiam ita exprimit Ol. I. 102. (64.)

εἰ δὲ θεὸν ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.

Horatius I. Ep. 16. 54.

Sit spes fallendi, *miscebis sacra profanis.*

Cicero III. Off. 8. 8. *Atque etiam ex omni deliberatione* celandi *et* occultandi spes *opinioque removenda est:* caetera non discrepant a sententia Peregrini apud Gellium XII. 11. quod caput ita inscribitur: *Errare istos*, *qui* spe *et fiducia* latendi *peccent, quum latebra peccati perpetua nulla sit.* Iam Peregrinus, *omnes tunc peccare proclivius existimabat, quum latere posse id peccatum putarent, impunitatemque ex ea latebra* sperarent, *at si sciant, inquit, homines nihil omnium rerum diutius posse* celari, *re-*

pressius pudentiusque peccabitur. Virgilius I. Aen. 542.

> *Si genus humanum et mortalia temnitis arma,*
> *At* sperate *deos memores fandi atque nefandi.*

Fat nunc aliquis et lectionem *Nec tibi — fas sit,* quam multi sane libri habent, *nobiliorem* dicat et accommodatiorem altera, *Nec tibi — spes sit*, hancque adeo, ut Gebhardus, a Scaligero confictam esse criminetur. Illud dubium videri possit, scripseritne Tibullus *celandi*, quod praeter Exc. Scaligeri servant omnes Gebh. libri, Hamb. Goth. Bern., an potius *celari*, quod legitur in Guelf. 3. Monach. Voss. quarto. Verum qui lectionem *Nec tibi spes sit* probaverit, probet etiam necesse est lectionem *celandi*, quum praesertim verbum *celari* absolute positum significet potius *falli* quam *fallere alterum* vel, quod parum profuerit improbo, *se abscondere:* contra vero *celare* respondeat Homerico ἐπικεύθειν. Quamquam etiam adsumi potest *peccatum* e verbo *peccare.* At tum aures offendit eiusdem soni repetitio *celandi — paranti.* Scilicet! Non offendit Homerum Od. σ. 408.

> ὁππότε θυμὸς ἄνωγε· διώκω δ' οὔτιν' ἔγωγε.

neque vero Virgilium X. Aen. 554.

> *Tum caput orantis nequidquam et multa parantis.*

Eiusmodi exempla magno numero congessit Burmannus ad Lotichium p. 493. nec tamen similes versus condonat Propertio, v. c. I. 8. 11. I. 17. 5. — Edd. veteres usque ad Scaligeranam, etiam Cod. Paris. ita:

> *Nec tibi* celanti *fas sit peccare; paranti —.*

24. EST DEUS] Veteres editores, qui, quod modo diximus, versu superiore interpunctionem adposuerunt verbo *peccare*, caetera ita copulare conati sunt: *paranti*

> Sit *deus, occultos qui* vetat *esse dolos,*

vel etiam *vetet*, ut est in Codd. Askew. Monach. aliis. Quod Muretus ita explicat: si clam peccare pares, praesto *sit deus* ille, qui dolos occultos esse non patitur. Sed longe maiorem efficaciam illud ha-

Ipse Deus tacito permisit lena ministro
Ederet ut multo libera verba mero.

V. 25. laeva:

bet, *Est deus, qui vetat* — non *vetet*, (quod Heynius praeferendum censet) quandoquidem „praestantissimi scriptores, ut innumeris aliis locis, ita quando *sunt qui*, (vel *est qui*) praecedit, rei simpliciter ac sine ulla dubitatione enuntiandae indicativum aptare solent", ut scribit Iac. Frid. Heusingerus ad Ciceronis I. Off. 24. 12. E contrario recte *vetet* legebant qui *paranti Sit deus* construebant, adsumentes cogitando verbum *celare*, quod per se ferri potest. Ovidius III. Am. 14. 41.

> *Nil equidem inquiram nec*, quae celare parabis,
> *Insequar, et falsi criminis instar erit.*

25. PERMISIT LENA MINISTRO] Cod. Paris. et Edd. Venetae *lene*. Alii libri *leve*, *lene*, *lena*, *saepe*, *seva*, Guelf. 3. *laeva*. Ed. a. 1472. *leua*. Quod quum in suo quoque invenisset libro Scaliger, emendavit, *permisit vela ministro*. Qua de re ita scribit in Castigationibus: „Proverbialiter *permittere vela*, tradere libidini ac voluntati. Quod sane elegantissimum est; *Deus permisit ministro*, ἀνέηκεν τὸν θεράποντα. Nam de vino loquens Homerus hoc verbo utitur super eadem sententia." Nempe Od. ξ. 463. quem locum sine dubio spectabat Scaliger:

> *εὐξάμενός τι ἔπος ἐρέω· οἶνος γὰρ ἀνώγει*
> *ἠλεὸς, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι,*
> *καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε,*
> *καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον.*

Sed hic locus nullum Scaligeri coniecturae fert praesidium, nec, quo modo *permittere vela* alicui idem esse possit quam *ἀνιέναι*, ulla ratione apparet. Ergo Broukhusius, qui emendationem istam in contextum admisit, Ego, inquit, *tacitum Dei ministrum* capio de doloso vini liquore, cuius liquoris va-

pore, tamquam velo quodam, aciem mentis obnubit subrepens sensim ebrietas. Et ad tale velum respexisse puto Horatium L. I. Sat. 4. v. 89. *Condita cum verax aperit praecordia Liber.* et III. Od. 21. 15. *tu sapientium Curas et arcanum iocoso Consilium retegis Lyaeo.* Nimirum reiecto velo, quo contectus subierat, Bacchus aperit et sub divum rapit abstrusa mentis sobriae consilia, saepe et facinora in occulto latentia. — Vereor, ne Broukhusius decipi se passus sit vernaculae linguae ingenio, qua *obnubilari* dicuntur ebrii. Refragatur *velato* huic *Baccho* tota Antiquitas, quae non nisi candidum, sincerum, veracem novit, et potius homini taciturno vel doloso velum tribuit, quod ille subeundo sensim removens hominem facit hilarem, apertum, loquacem. Hoc nemo elegantius expressit Menandro in Fragmento apud Suidam v. *Ἀπαμφιέσαντες· ἐκδύσαντες. καὶ Ἀπαμφιεῖ· ἀποκαλύψει. Μισουμένῳ*

> *ἀπαμφιεῖ γὰρ τὸ κατάπλαστον τοῦτό μου*
> *καὶ λανθάνειν βουλόμενον ἡ μέθη ποτέ.*

Vulpius igitur, quid sit *permittere vela ministro tacito*, melius intellexit, explicans; flagitii conscio et adiutori, qui sobrius os obsignatum habebat, ebrietatis opera *potestatem loquendi facere.* Haec nota est loquendi forma ac quasi proverbialis de iis, qui liberiore oratione utuntur. Cicero Tusc. Disp. IV. 5. *quaerebam igitur, utrum panderem vela orationis statim an eam ante paullulum dialecticorum remis propellerem.* Qua metaphora utitur Plato Parm. p. 219. Heind. *κἀγώ μοι δοκῶ μεμνημένος μάλα φοβεῖσθαι, πῶς χρὴ τηλικόνδε ὄντα διανεῦσαι τοιοῦτόν τε καὶ τοσοῦτον πλῆθος λόγων.* Ubi etsi non necessaria, quod facile larginur Heindorfio, admodum tamen probabilis est Cornarii correctio *πέλαγος λόγων.* Propertius III. 9. 3.

> *Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?*
> *Non sunt apta meae grandia vela rati.*

Sed haec quam aliena sint a tacito ministro, per ebrietatem animi operta recludente, nemo non intelligit. Falsa igitur est Scaligeri emendatio, *permisit vela.* Ab hac multum

discrepat longeque est probabilior Santenii coniectura *permisit lora*, sive, quod mihi in mentem venit, *frena*. Ait quidem Heynius, Quam longe remota et abhorrentia sunt a leni elegiae spiritu et mollitie coniecturae, *permisit lora! permisit frena!* in *Statio* te versari putes. Sed rectius scripsisset vir praestantissimus, in *Platone*. Nam etsi multi utriusque generis scriptores hoc usurparunt, nemo tamen aptius Platone, ut qui eodem loco utramque locutionem coniungens, quid inter hanc illamque intersit, optime demonstrat. Nempe in Protagora T. I. p. 338. A. Hippias Socrati, perplexe loquenti, multoque contra fluenti Protagorae hanc fert conditionem: *μήτε σὲ τὸ ἀκριβὲς τοῦτο εἶδος τῶν διαλόγων ζητεῖν τὸ κατὰ βραχὺ λίαν, εἰ μὴ ἡδὺ Πρωταγόρᾳ· ἀλλ' ἐφεῖναι καὶ χαλάσαι τὰς ἡνίας τοῖς λόγοις — μήτ' αὖ Πρωταγόραν πάντα κάλων ἐκτείναντα, οὐρίᾳ ἐφέντα, φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων, ἀποκρύψαντα γῆν.* Non igitur dubium est, quin *permittere frena* homini tacito per ebrietatem sine ullo verborum tumore dici possit Bacchus, is qui *Λύσιός ἐστι καὶ Λυαῖος, μάλιστα δὲ τῆς γλώττης ἀφαιρεῖται τὰ χαλινὰ καὶ πλείστην ἐλευθερίαν τῇ φωνῇ δίδωσιν* apud Plutarchum Symp. Probl. I. T. VIII. p. 421. Reisk. In ista autem lectione, quam Vossius e cod. Guelf. in contextum intulit, *permisit* laeva *ministro*, ego non manum Tibulli agnosco, sed magnam librarii indocti scaevitatem vel sinisteritatem. Huic longe praeferenda est Mureto probata lectio, *permisit saepe ministro* — in qua nemo offenderet, si libris scriptis sine aberratione confirmaretur. Verum enim vero emendationes istae, quas adhuc recensuimus, verendum est, ne omnes sint inanes et loco alienae. Quidni enim servetur *lena?* quam lectionem exprimunt libri haud pauci, Stat. unus, Vindob. Monac. Goth. et Exc. Lipsii. Ea cur offensioni fuerit et mutationi obnoxia, ratio in promptu est. Nempe loco *lena* non suo infertur. Atqui hoc genus hyperbati auctores habet gravissimos tum graecos scriptores tum latinos. Vide quae infra dicentur ad II. 5. 14. *Quidquid erat medicae vicerat artis amor.*

Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Iussit, et invitos facta tegenda loqui.
Haec ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi iurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem;

V. 31. Tu mihi.

Nunc sufficiat locum adscribere similem Horatii I. Serm. 1. 88. egregie nuper illustratum a Wolfio:

> *At si cognatos nullo* natura *labore*
> Quos tibi dat *retinere velis, servareque amicos,*
> *Infelix operam perdas.*

30. NUNC PUDET] Ed. a. 1472. *Non pudet.*

31. TUNC MIHI IURABAS] Edd. Venet. *Tu mihi.* Ed. Vet. *Tunc mihi.* Plant. *Tum mihi.* Hoc melius, quam *Tunc mihi*, melius etiam quam *Tu mihi*, quod libri quidem multi habent, sed librariorum, nisi fallor, culpa, post illa v. 29. *Haec ego dicebam*, oppositionis gratia scribentium, Tu *mihi iurabas.* Vide, quae supra annotavimus ad El. 4. 71. *Haec* ego. tum *Bacchi* —. Cod. Paris. Tunc *mihi iurabas nullo* tibi. Ed. a. 1472.

> Tu *mihi iurabas nullo* tibi *diuitis auri.*

32. GEMMIS VENDERE VELLE FIDEM] Ed. a. 1472.

> — *non gemis* frangere *uelle fidem.*

quod est etiam in Edd. Lips. Vicent. et Reg. Lep. Cyllenius in commentario

Non, tibi si pretium Campania terra daretur,
Non, tibi si Bacchi cura, Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera coelo
Lucere, et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas: at, non ego fallere doctus,
Tergebam humentes credulus usque genas.
Quid faceres, nisi et ipse fores in amore puellae?
Sit, precor, exemplo sit levis illa tuo!

V. 39. **facerem.**

legit *perdere* pro *vendere*, quod habent in contextu Edd. Venet.

55 — 56. ILLIS ERIPERES VERBIS MIHI] Cod. Paris. *eriperet* — *coeli.* Ed. a. 1472.

Illis eriperes *uerbis mihi sydera* caeli.

Sed *coelo* ex uno Statii Vaticano, cui accedit Goth., restituit Broukhusius. Porro idem edidit,

—*et puras* fluminis ire *vias.*

Certe *ire* legitur in Vatic. *fluminis* in multis, ut in Cod. Paris. Sed confusio orta est e loco simili I. 2. 43.

Hanc ego de coelo ducentem sidera *vidi*,
Fluminis *haec rapidi carmine vertit iter.*

quod confirmat liber Monac. qui habet, *sidera caelo Ducere* pro *Lucere.*

59. QUID FACERES, NISI ET IPSE FORES] Ed. a. 1472. *Quid facerem.* Heynius locum ita capit: Quid faceres, si puellam non amares, *illoque adeo a Nemesi metu vacares?*

O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli?
Saepe insperanti venit tibi munere nostro,
Et latuit clausas post adoperta fores.

V. 41. quotiens.

Nihil melius succurrit. Edd. Venet. *Quid facerem.* Ed. Vet. ut Ald. prior, *Quid faciam.* quemadmodum etiam libri scripti variant. Unus Statii, tres Gebh. *Quid dicam, quod, ut ipse fores* —. Quod non intelligo. Terentius Phorm. I. 4. 29.

> Quid faceres, si *aliud quid gravius tibi nunc faciundum* foret?

40. SIT, PRECOR, EXEMPLO SIT LEVIS ILLA TUO] Cod. Paris. sic *leuis illa tuo.* Ab initio praestat legere *Sed* pro *Sit* cum Edd. Rom. Lips. quibus praeivit Ed. a. 1472. quae ita habet:

> Sed *precor exemplo sit* lenis *illa tuo.*

43. SAEPE INSPERANTI VENIT TIBI] Vide supra ad I. 6. 59. *Haec mihi te adducit.* Phaedromus apud Plautum Curc. I. 2. 51. ad fores Planesium exspectans:

> *qui me in terra aeque*
> *Fortunatus erit*, si illa ad me bitet,
> *Palinure?*

In primis comparandus est Trabeae locus apud Ciceronem IV. Tusc. Disp. 31.

> *Lena delinita argento nutum observabit meum,*
> *Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam ianuam:*
> *Fores patebunt; de improviso Chrysis ubi me adspexerit,*
> Alacris obviam mihi veniet, *complexum exoptans meum,*
> *Mihi se dedet.*

44. ET LATUIT] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Sed latuit.*

Tum miser interii, stulte confisus amari:
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.

V. 46. Ah! — isse tuos.

45. TUM MISER INTERII] Etiam Ed. Voss. in contextu habet *Tum.* Sed hoc typothetae acceptum referes, non editori, qui in Notis se *Tam* reposuisse gloriatur, idque invitis libris, quod sciam, omnibus. Hoc, inquit, ad seriem orationis necessarium, illud otiosum est. Ego contra *Tum* plane necessarium, *Tam* prorsus otiosum, ne dicam, vitiosum esse aio. Satis frequens est formula *perii miser, perii misera.* Quis unquam scripsit, *perii* tam *miser,* tam *misera perii?* Aut, si quis scripsit, quo iure hoc loco expellitur particula *Tum,* qua antecedentia et consequentia unice inter se copulantur? „*Tum*, ait Tibullus, interitum mihi ipse paravi, quum *iuranti* tibi v. 31. fidem tribuebam; *tum* perii, quum tibi, ad puellam properanti v. 42.

Ipse comes multa lumina nocte tuli.

Tum profecto *stultus* fui et vecors, qui *confiderem* me a te amari.“ Sed nolo pluribus verbis uti, ubi res ipsa loquitur, quum praesertim instent graviora. Nam facere non possum, quin hoc loco expromam observationem, ad universum illud Criticae genus, quo haec carmina afflixit vir caeteroquin eruditissimus, pertinentem, quod vocaverim *hyperbolicum,* res scilicet ultra modum et veritatem augens verbis adventitiis, ad sensus hominum frigidiorum fortius feriendos potissimum adpositis, quales sunt particulae exclamationis. Nec longe quaerendum est exemplum. Hoc ipso loco Tibullus, stultae illius confidentiae, qua sibi imponi passus est, caussam allaturus, more suo simpliciter scribit:

Nam *poteram ad laqueos cautior* esse *tuos.*

Quid ille? Nempe into-

lerabilem esse ait particulam *Nam*, eique substituit *Ah!* verbum *esse* ultro in *isse* transformans:

> Ah! *poteram ad laqueos cautior* isse *tuos.*

Quod si forte opponas locum similem I. 4. 57.

> *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas:*
> Nam *decet intonsus crinis utrumque deum.*

non ille hoc tulerit. Demonstravit enim per coniecturam, legendum esse,

> Quam *decet intonsus crinis utrumque deum!*

At infra tamen scripsit Tibullus II. 5. 31.

> *Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,*
> Nam *calamus cera iungitur usque minor.*

Minime gentium! Scripsit enim Tibullus, ut ille certo scit:

> Et *calamus cera iungitur usque minor.*

Enimvero II. 5. 101.

> *Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,*
> *Postmodo quae votis irrita facta velit:*
> Nam *ferus ille suae plorabit sobrius idem* —

Quid tibi vis, insane? Albius scripsit:

> Iam *ferus ille suae plorabit sobrius idem,*
> *Et se iurabit mente fuisse mala.*

Nullo tamen, inquis, modo mihi eripiet interpolator illud *Namque*, quod legitur III. 4. 36.

> *Ima videbatur talis illudere palla:*
> Namque *haec in nitido corpore vestis erat.*

Hic quidem toto coelo aberras. Legendum enim est, atque adeo nunc legitur:

> Quae cocco *nitido* corpora vestierat.

Quae quum ita sint, valde dolendum est, unum adhuc superesse locum, hoc vitio laborantem, qui effugit Editoris sollertiam IV. 5. (4.) 17.

> *Optat idem iuvenis, quod nos, sed tectius optat:*
> Nam *pudet haec illum dicere verba palam.*

Dubium enim esse non potest, quin hoc etiam loco legi debeat longe maiori cum efficacia:

> Ah! *pudet haec illum dicere verba palam.*

quemadmodum in hac ipsa Elegia, qua de agimus, adhuc legebatur v. 48.

> At *me nunc nostri, Pieridumque pudet;*

nunc legitur:

> Ut *me nunc nostri, Pieridumque pudet!*

Hoc quidem ad modum illum, quo supra I. 8. (9.) 55. pro eo, quod adhuc legebatur,

> Vel *miser absenti moestas quam saepe querelas*
> *Coniicit*, et *lacrimis omnia plena madent;*

nunc legitur:

> Veh miser *absenti moestas quam saepe querelas*
> *Coniicit!* ut *lacrimis omnia plena madent!*

et hoc rursus ad alterum modum, quo statim El. X. 5. pro vulgata scriptura,

> At *nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra —*

nunc repositum vides e coniectura:

> Ah nihil ille miser meruit! *Nos ad mala nostra*
> *Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.*

Quid aliis accidat, nescio. Mihi hoc genus scripturae vernaculo potius poetae convenire videtur, quam Romano, ad homines scribenti, qui sensum simplicitatis nondum plane deposuissent, quem paullatim exuerunt Recentiores, a Natura illi quidem minime recentes, sed, si humanitatis progressum respicias, *Veteres* ac *Senes* vel, ut Tibullus alicubi scribit, *veteres Senes.*

46. NAM POTERAM] Perpauci libri *Non* habent, quod edidit post Scaligerum Broukhusius, adposito ad finem versus interrogationis signo. Plurimi *Nam*, quod recte Vulpius refert ad illa *stulte confisus. Cautus ad laqueos*, ut *cautus ad fraudes* apud Claudianum XXI. 291. Horatius I. Ep. 16. 50.

Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
At me nunc nostri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis;

V. 48. Ut me. 51. formam cui.

Cautus enim metuit *foveam lupus accipiterque*
Suspectos laqueos *et opertum miluus hamum.*

48. AT ME NUNC — PUDET] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Et.* Muret. *Ut me.* Plantin. *At.* Propertius III. 24. 3.

Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes.
Versibus insignem te pudet esse meis.

51. TU PROCUL HINC ABSIS] Exc. Scalig. *Sit procul a nobis, formam cui*—quod arripuit Broukhusius. Heynius, Fatendum est, inquit, totum distichon nec sententia nec loco, quem obtinet, satis se probare; resecto contra egregie procedunt omnia. Assutum arbitror ex margine. — Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Tu procul hinc absis, cui formam *vendere cura est.*

Et, quum furtivo iuvenem lassaverit usu,
Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus.
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula, vel plures emeruisse viros.
Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.

56. INTERPOSITA VESTE] In hac veste detestanda modum excedit Paulus Silent. ep. 6. (apud Ruhnkenium Ep. Crit. I. p. 75.) *Semiramidis* eam *muro* adsimilans ex prava, non dixerim cum Toupio Synesii, sed potius Luciani imitatione, cuius locum adscripsit Heynius, Dial. Meretr. XI. *καὶ τέλος διετείχιζες τὸ μεταξὺ ἡμῶν τῷ ἱματίῳ, δεδιὼς μὴ ψαύσαιμί σου.* et ad extremum: *ἀφῃρήσθω μὲν ἤδη τὸ διατείχισμα.* Propertius II. 15. 6. simpliciter:

> *Interdum* tunica *duxit operta moram.*

57. SEMPER SINT EXTERNA TUO] Hunc verborum ordinem servat Ed. a. 1472.

> *Semper sint* extrema *tuo vestigia lecto.*

60. VEL PLURES EMERUISSE VIROS] Unus Scaligeri *nec.* quod admisit Broukhusius. Aldinae *vel.* ut est in quibusdam libris. Antiquiora exemplaria, in his Ed. a. 1472.

> quam *plures emeruisse viros.*

61. FERUNT] Ed. a. 1472. ut Lips. et Vicent. *ferant.*

62. DUM ROTA LUCIFERI PROVOCAT ORTA DIEM] Non consentiunt

inter se in explicanda Luciferi *rota* interpretes. Dousa orbem vel discum intelligit, Heynius currum, Vossius rotationem sive circuitum. De curru Luciferi nihil certi constat, nec rota *oriens* vel *orta* dici potuit de rotatione. Igitur accedo Dousae, Luciferi rotam pro ipso Lucifero sumenti; quo sensu Aristophanes Thesm. 17. ὀφθαλμὸν dicit ἀντίμιμον ἡλίου τροχῷ, et Apollonius Rhod. III. 1229. galeam Aeetae comparat cum Solis orbe,

> λαμπομένην, οἷόν τε περίτροχον ἔπλετο φέγγος
> ἠελίου, ὅτε πρῶτον ἀνέρχεται Ὠκεανοῖο.

Vix enim dubium videri potest, quin hoc loco intelligenda sit *Solis rota*, quam Lucretius dicit V. 566., id est *orbis* vel *circulus*, φαέθων κύκλος ἀελίοιο apud Euripidem El. 465. quum praesertim Apollonius auctorem locutionis habeat Homerum, Diomedis equum ita designantem Il. ψ. 454.

> ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοίνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
> λευκὸν σῆμα τέτυκτο περίτροχον, ἠΰτε μήνη.

Ubi quidem nemo dubitabit, quin *lucentem* Lunae *globum*, quem dicit Virgilius, intelligi voluerit Homerus: ad cuius loci exemplum deformatus est *tener* ille Horatii *vitulus*, relicta Matre *qui largis iuvenescit herbis* IV. Carm. 2. 54 — 60.

> *Fronte* curvatos *imitatus* ignes
> *Tertium* lunae *referentis ortum*,
> *Qua notam duxit* niveus *videri*,
> Caetera fulvus.

Ita Euripides Phoen. 180. Lunam vocat χρυσεόκυκλον φέγγος. Illud ambiguum est, quo sensu Ennius dixerit absolute *rotam candidam*, apud Isidorum XVIII. 36. p. 1278. *Ideo autem rotis quadrigas currere dicunt, sive quia mundus iste* circuli sui *celeritate transcurrit, sive propter solem, quia* volubili ambitu rotat: *sicut ait* Ennius,

> *Inde patefecit radiis* rota candida *coelum.*

Columna circulum intelligit, *rotae curuli similem*, quae fuit Anaximandri opinio. Plenius dicit Val. Flaccus III. 558. *medii*

Illa nulla queat melius consumere noctem,
 Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit; nec tu, stultissime, sentis,
 Quum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines?
 Aut tenues denso pectere dente comas?

transit rota candida Phoebi. — *Rotam* proprie intelligi voluit Virgilius VI. Aen. 748. *ubi mille* rotam volvere *per annos.* Nemo enim *rotationem* volvit, sed *rotam.* Verum hanc ille Ennianam locutionem posuit pro *peragere tempus* vel *exigere*, perficere *temporis orbem.* Servius: *peregerunt, exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem.* Est autem sermo Ennii. — Nec magis de rotatione cogitare potuit sed de curru vel potius de disco auctor carminis Anthol. Lat. V. 9.

> Emicat *Oceano Phoebi* rota clara *relicto.*

63. ILLA NULLA QUEAT MELIUS] Ed. a. 1472. cum Rom. Lips. aliis vitiose:

> Illa queat nullam *melius consumere noctem.*

67. DISPONERE CRINES] Cod. Paris. solus:

> *Tu ne putas illam pro te disponere* corpus.

Memorabilis lectio, necdum ex alio libro notata, fortasse vera. Similiter Graeci dicunt *πλάττειν σῶμα. fingere, formare corpus.* Nec caussa subest, quare *formae artifex*, quam dicit Propertius I. 2. 8., non possit dici *corpus disponere*, quod de

Ista haec persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat, et Tyrio prodeat apta sinu.
Non tibi, sed iuveni cuidam vult bella videri,
Devoveat pro quo remque domumque tuam.

Prometheo idem posuit III. 5. 9.

Corpora disponens mentem non vidit in arte.

68. AUT TENUES DENSO PECTERE DENTE COMAS] Ita Cod. Paris. Ed. a. 1472.

Aut tenues denso pectore dente comas.

69. ISTA HAEC PERSUADET FACIES] Cod. Paris. solus, Istam *persuadet.* Carol. Fea ad Horatium I. Ep. 7. 10. „*Illita persuadet facies* ex mss. legas apud Tibullum I. El. 9. 69. ubi vulgo *Ipsa* vel *Illa haec persuadet facies.* Ita *facies ipsa illita* apud Plinium XXIX. 3.“ etc. Hac mutatione nihil proficitur. Wakefieldus ad Lucretium II. 478. corrigit: *Ista* huic *persuadet* —. Malim, Isti *haec persuadet facies*, ut — *vinciat.* Omittitur *ut* post *persuadet* etiam apud Sallustium Iug. 35. (39.) *Huic Sp. Albinus, qui proximo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat,* persuadet — regnum Numidae ab Senatu petat. Suspectus tamen locus vitii est. In Guelf. 2. minor versus ita legitur:

Quum vincit tyrio prodit et apta sinu.

72. REMQUE DOMUMQUE TUAM] Lipsius *teque* corrigit pro *remque.* Ita saepe alii scribunt, v. c. Catullus LXVI. 40. *adiuro* teque *tuumque caput.* Propertius II. 18. 3. *qui tulerim* teque *tuamque domum.* Idem III. 11. 28. *Iuppiter infamat* se-

Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer; hunc ego credam
Cum trucibus Venerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo.

V. 79. Tum — quom.

que *suamque domum.* Ovidius Ib. 56. *Hoc ego* devoveo teque *tuosque modo.* Nec tamen opus ista est Lipsii emendatione. Livius XXXIV. 4. *Nunc vulgo alienos viros rogant — adversus te et* rem tuam *et* liberos tuos *inexorabiles.* Plautus Epid. II. 2. 56.

Ubi fidemque, remque, *seque*, teque *properat perdere.*

75. HUIC TAMEN] Cod. Paris. *Hunc tamen.*

77. ALIIS TU VENDERE ES AUSUS] Cod. Paris. *alii,* quod Dousa malebat.

79. TUNC FLEBIS] Ita Cod. Paris. Ed. a. 1472. *Tu flebis.*

80. IN GREMIO REGNA] Maior pars librorum cum Cod. Paris. *in regno* regna. quod etiam in Com-

At tua tum me poena iuvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
HANC TIBI FALLACI RESOLUTUS AMORE TIBULLUS
DEDICAT: ET GRATA SIS, DEA, MENTE, ROGAT.

mentario habet Cyllenius. Alii *bella* pro *regna*. Heinsius *sceptra*.

81. AT TUA TUM] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *At tua dum.*

E L E G I A X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus, ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc proelia nata:
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.

V. 3 — 4. Tum — tum — Tum *omisso verbo* est.

E L E G I A X.

„Detestatur bella laudans aetatem primam.“ Ed. a. 1472.

1. PROTULIT ENSES] Heinsius *protudit*. Cicero IV. Acad. 1. *ars, quae tum* primum proferebatur. Propertius II. 6. 51.

Ah gemat, in terris ista
qui protulit arte
Iurgia, *sub tacita condita laetitia.*

3—4. TUNC] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *tum.*

4. MORTIS APERTA VIA EST] *Via mortis* pro *via ad mortem*, quod exemplis Graecorum illustrat Schaeferus ad Sophoclis Phil. 43. *ἐπὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν.* idemque Mel. Crit. p. 90. recte

At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat: somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

V. 5. Ah — meruit! Nos. 8. quom.

tuetur illud Orphei Arg. 143. *νόστον οἴκοιο λαθέσθαι.* Ad quam normam scribitur, quamvis insolenter, apud Ciceronem Harusp. Resp. 24. *reditus gratiae* pro *in gratiam.* — Verbum substantivum nullus liber omisit.

5. AT NIHIL ILLE MISER MERUIT] Cod. Hamb. *Ha miser ille nihil.* Alii *An.* ut Cod. Paris. nullus *Ah.* Exc. Scalig. *Forsan et ille nihil meruit.*

10. SECURUS VARIAS DUX GREGIS INTER OVES] Pastor non semper *sequitur* oves, ut scribit vir doctus ad Ovidii IV. Fast. 786. *idcirco* cum duce *purgat oves:* sed eas etiam *ducit,* ut apud Apollonium Rhod. I. 575. Inanem igitur operam consumsit in emendando hoc versu Heynius, *ducem gregis* sumens pro ariete, et corrigens: *Securas aries* —. Pastoris autem inter oves secure dormientis imaginem Tibullus sublegisse videtur Homero Od. δ. 412.

αὐτὰρ ἐπὴν πάσας πεμπάσσεται ἠδὲ ἴδηται,
λέξεται ἐν μέσσῃσι, νομεὺς ὣς πώεσι μήλων.

Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam!

V. 11. Tum — foret! Vulgi.

11. VULGI NEC TRISTIA NOSSEM ARMA] Vulgi arma quae sint, vix commode dicas. Vulgus castrorum (ut apud Lucan. IX. 217.) alienum est. Explicat ea Vulpius, quibus vulgus utitur, vel quae vulgaribus hominibus, non sapientibus, conveniunt. Ad bella civilia refert Ayrmannus in Vita Tibulli §. 7. Sed neutrum satisfacit et haud dubie locus corruptus est. HEYN. Idem Heinsii emendationem *dulcis* pro *vulgi*, quam in contextum admisit Bronkhusius, etsi admodum elegantem vocat, tamen ipse emendat: *Tunc mihi vita foret!* Valgi; *nec* —. Placet haec emendatio Santenio Bibl. Crit. p. 65. displicet Boschio Observ. in Auth. Graec. p. 432. ubi corrigit: *Tunc mihi vita foret* frugi, *nec* etc. Vossius locum incorruptum existimans non *militum* arma intelligit sed *homicidarum* instrumenta. Cui explicationi obstat, quae cum *armis* commemoratur *tuba*, et quae infra v. 49. iterum proprie dicuntur *tristia duri militis arma*. Ergo locus corruptus videtur. Sed *Valgius* hic minime exspectatus venit; *frugi* mirum in modum languet. nec placere potest *dulcis*. Mihi Tibullus scripsisse videtur:

Tunc mihi vita foret, vel ubi *nec tristia nossem*
Arma, nec audissem corde micante tubam:

hoc est, Utinam tunc mihi vita fuisset, vel *ibi* nunc esset, *ubi* nec nossem arma, nec etc. Votum frequens hominum, qui sortem suam detestantur. Cicero VII. ad Famil. 30. ex veteri poeta: *quin hinc ipse evolare cupio et aliquo pervenire, ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam.* Quem locum Ruhnkenius Ep. Crit. II. p. 217. comparat cum

Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.

Apollonio Rhod. III. 680. Adde Propertium I. 1. 29. cui convenit cum Sophocle Oed. R. 1456.

ῥίψον με γῆς ἐκ τῆσδ' ὅσον τάχισθ', ὅπου
θνητῶν φανοῦμαι μηδενὸς προσήγορος.

Cicero II. de Off. 21. 15. Utinam, *inquit C. Pontius Samnis*, ad illa tempora me fortuna reservasset et tum essem natus, si quando *Romani dona accipere coepissent! non essem passus diutius eos imperare.* — Omnibus praeivit Hesiodus Ἔργ. 174. ἢ πρόσθε θανεῖν ἢ ἔπειτα γενέσθαι. Terentius Hec. III. 1. 4.

Quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium agere aetatem,
Quam huc redire? atque haec ita esse miserum me resciscere?

Horatius I. Ep. 11. 7.

Scis, Lebedus quid sit: Gabiis desertior atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum, oblivescendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.

12. CORDE MICANTE TUBAM] Ed. a. 1472. ut Lips. apud Heynium *comam* pro *tubam*.

13. NUNC AD BELLA TRAHOR, ET IAM] Cod. Paris. *etiam*. Sidonius Apoll. c. VII. 553.

Hos ad bella trahit iam tum spes orbis Avitus.

In primis comparandus est Virgilius Ecl. X. 35.

Atque utinam *ex vobis unus vestrique* fuissem
Aut custos gregis aut maturae vinitor uvae. —
Nunc *insanus amor diri* me *Martis in armis*
Tela inter media atque adversos detinet hostes.

Sed patrii servate Lares; aluistis et iidem,
Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.

V. 16. Cursabam — quom. 19. Tum — quom.

16. CURSAREM—QUUM] In hac lectione omnes libri consentiunt. Vide quae adnotavimus supra ad El. 2. 14.

17. ESSE E STIPITE] Ed. a. 1472. *esse* ex *stipite*.

18. SIC VETERIS SEDES] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *Sic ueteres sedes.* Alii *Sic veteres aedes* vel *veteris aedes.* Supra I. 8. 50.

In veteres *esto dura, puella*, senes.

19. TUNC MELIUS] Ita Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

21. LIBAVERAT UVAM] Cod. Paris. *uua.*

24. FILIA] Ed. a. 1472. *fila.*

At nobis aerata, Lares, depellite tela!
Hostia erit plena rustica porcus hara:

26. HOSTIA ERIT PLENA] Hic versus in omnibus, nisi fallor, quae ante Vulpianam a. 1710. prodierunt, Editionibus, sic legitur:

*Hostia*que e *plena mystica porcus hara*,

vel *rustica* pro *mystica*. Quare Muretus ad v. 25. scribit: „post hunc versum videtur aliquid deesse.“ Statius: „ἀνακόλουθον videtur. sed nulla erat lacuna in omnibus libris.“ Scaliger: „*Hostiaque e plena*. Nihil est integrius hoc loco, quem tamen docti viri mancum clamant.“ Perperam et invidiose in Muretum. Pontanus, qui locum mancum esse sentiret, hic iterum exemplo suo demonstravit, quantum omnino illius aetatis litteratores ingenio indulserint in corrumpendis et interpolandis huius aliorumque poetarum carminibus. Nam ut orationis seriem restitueret, hos ille versus interposuit:

At nobis aerata Lares depellite tela:
Neu petat hostili missa sagitta manu.
Neu gladio celer instet eques. prosint mihi ad aras
Quaeque tuli supplex munera, quaeque feram.
Thure pio caleantque foci, pinguisque trahatur
Hostia de *plena mystica porcus hara.*

Audax facinus, ut verbis utar Broukhusii, atque inlaudatum. „proditur tamen fucus vel unico illo *trahendi* verbo. non enim *trahi* hostiae dicebantur, sed *duci*.“ Invenit tamen hos versus leviter inmutatos (v. 3. *prosit mihi et aris:* v. 6. *rustica*) in ipso contextu Cod. Guelf. 2. Heynius. Unde cuius aetatis hic similesque sint codices existimari potest. *Trahi* quidem nescio an recte dicatur hostia etiam non reluctans. Certe in Aristoclis epigrammate Anal. Brunck. Tom. II. p. 108. sacerdos taurum non reluctantem οὔατος ἕλκει ad aram Cereris, ὁ δ' ὡς ματέρι παῖς ἕπεται. Sed lectionem *Hostia erit* tuentur Voss. 3. et 5. Askew. Vindob. et Bern. eaque Pontani interpola-

Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces;
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere Mortem?
Imminet, et tacito clam venit illa pede.

V. 34. ipsa.

tionem penitus evertit. Caeterum quod plurimis legitur in libris, (Cod. Paris. *rustica porcus ara*) *mystica*, multi fuerunt qui probarent. Nemo tamen monuit, porcum proprio quodam ritu diis voveri, ut hostes arceant felicemque e bello reditum praestent. Nam ut hoc loco Laribus, ita alibi aliis diis, Iovi et Marti, eandem ob caussam porcus vel vovetur vel immolatur. Apud Theocritum XXIV. 97. Tiresias Alcmenae ritum sacri faciundi praescribens ad extremum addit:

Ζηνὶ δ' ἐπιῤῥέξαι καθυπερτέρῳ ἄρσενα χοῖρον,
δυσμενέων αἰεὶ καθυπέρτεροι ὡς τελέθοιτε.

L. Pomponius, Atellanarum poeta, apud Gellium XVI. 6. et Macrobium VI. Saturn. c. 9.

Mars tibi voveo facturum, si umquam rediero, bidente verre.

33. ARCESSERE] Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *accessere.*

34. TACITO CLAM VENIT ILLA PEDE] Pro *illa* non nisi unus liber habet *ipsa.* Hoc ille praefert

Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, et Stygiae navita turpis aquae.
Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.

V. 37. perculsisque.

hanc ob caussam, quod infra scribit Tibullus II. 6. 14. *pes tamen* ipse *redit*. Sed hoc nihil ad rem. Quidni potius ita argumentaris: lectio *illa* retinenda est, quia supra I. 8. 48. de primi temporis aetate similiter scripsit Tibullus: *non tardo labitur* illa *pede*. Ubi item unus liber habet *ipsa*. Quam scripturam si hoc loco reponendam putarem, auctoritate uterer Hesiodi, de morbis, qui *clam taciturni* (I. 6. 60.) inter homines versantur, ita scribentis Ἔργ. 103.

αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι,
σιγῇ· ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητιέτα Ζεύς.

Sed nihil mutandum videtur. Ovidius III. Am. 9. 19.

Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat.
Omnibus obscuras iniicit illa *manus.*

36. STYGIAE NAVITA TURPIS AQUAE] Pro *turpis* in plurimis codicibus est *puppis;* ex paucis MSS. Broukhusius non male praetulit *turpis*. Longe praestat tamen cum Cl. Burmanno Secundo legere *tristis;* propter illud Virgilii de eodem Charonte VI. Aen. 315.

Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos.

quod pluribus adstructum videbis in commentariis Viri Eruditissimi, quo nemo nunc feliciorem poetis sanandis manum adhibet, ad Propertium L. IV. El. 7. 55. SANTEN. Bibl. Crit. p. 84. Broukhusius antea malebat *putris*. quod ipsi postea Burmanno placuit. Cod. Paris. *pupis*. Ed. a. 1472. *puppis*. Exc. Lips. *navita pullus*. Praestat *turpis*. Iuvenalis III. 265.

Iam sedet in ripa, tetrumque *novicius horret Porthmea.*

37—38. ILLIC PERCUSSISQUE GENIS —] Hic lo-

cus, pessime translatus a Vossio, ita construendus est: *Illic ad* obscuros lacus pallida turba errat *percussisque genis ustoque capillo.* Qua de re ne forte dubites, statim commentarii loco subiiciam locum Propertii I. 19. 7.

> Illic *Phylacides iucundae coniugis heros*
> *Non potuit* caecis *immemor esse* locis.

Ubi frustra corrigunt viri docti *Ille et,* vel *Olim et,* vel *Sic et.* Aeschylus Suppl. 245. (253.)

> *κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ᾽, ὡς λόγος,*
> *Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας.*

Similiter Plato Phaedr. Tom. I. p. 181. ed. Bip. *ὅταν δέ γε αὐτὴ καθ᾽ αὑτὴν σκοπῇ, ἐκεῖσε οἴχεται εἰς τὸ καθαρόν τε καὶ ἀεὶ ὂν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡςαύτως ἔχον.* Hinc confirmatur vetus lectio apud Aristophanem Av. 756.

> *Εἰ γὰρ ἐνθάδ᾽ ἐστὶν αἰσχρὸν τὸν πατέρα τύπτειν νόμῳ,*
> *τοῦτ᾽ ἐκεῖ καλὸν παρ᾽ ἡμῖν ἐστίν.*

Ubi male Brunckius probat *ἐκεῖνο,* recte alii, ut Rav., *ἐκεῖ.* Sic ib. v. 167. *ἐκεῖ παρ᾽ ἡμῖν.* Euripides Med. 1054. *ἐκεῖ μεθ᾽ ἡμῶν.* *Errat* pallida turba, (ut supra I. 5. 70. huc illuc *impia turba* fugit) *ἀλάληται* apud Homerum Il. ψ. 74. *ad,* hoc est, *apud, iuxta obscuros lacus,* ut recte Cyllenius interpretatur. — *percussisque genis.* Valckenarius ad Catulli Eleg. Callimach. p. 106. „*exesas genas* proprie dixit Tibullus I. El. XI. (10.) 37.“ Atqui hoc non Tibullus dixit, sed Nic. Heinsius substituit corrigendo, *exesisque genis,* quod in contextum invexerunt Broukhusius, Heynius, alii. Sic Critici pro scriptoribus laudantur. Libri fere omnes cum Cod. Paris. consentiunt in lectione *percussisque,* praeter Scalig. qui exhibebat *percissisque.* unde ille *percisisque* formavit. Unus Palat. *perculsisque.* Ed. a. 1472. *percussisque.* De discrimine verborum *percutere* et *percellere* vide Ruhnkenium ad Terentii Andr. I. 1. 98. *Percussae genae* scilicet *timore,* (*pavore informes* Propertius I. 5. 16.) quod Cicero dicit *vultu extimescere* loco peregregio Mil. 29. *Fingite igitur cogitatione imaginem. huius cogitationis meae, si possim ef-*

Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.

ficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit — quid vultu extimuistis? — *quonam modo ille vos vivus* afficeret, *qui mortuus* inani cogitatione percussit? Hinc Horatius explicandus est II. Carm. 1. 19.

Iam fulgor armorum fugaces
Terret *equos* equitumque vultus.

Quem locum nuper vir doctus Commentt. Gedan. Fascic. I. p. 11. capiendum esse docuit de Caesaris militibus, *vultus* Pompeianorum *ferire* iussis. Perperam profecto! Nam, quod scribit Tacitus Germ. 43. *primi* in omnibus proeliis *oculi vincuntur*. Quintilianus X. 1. 886. *Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed* fulgorem *his inesse*, qui terreat, *qualis est ferri*, quo mens simul visusque perstringitur: *non, qualis auri argentique, imbellis et potius habenti periculosus*. Idem ib. VIII. 3. 5. *Nam et ferrum affert oculis terroris aliquid, et fulmina ipsa non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam* ipse fulgor timeretur. Curtius VIII. c. 4. *fulgura* — non oculos modo *meantis exercitus sed etiam animos* terrere *coeperunt*. — Fatendum tamen, non magis certam esse lectionem receptam quam interpretationem. *Percussas genas ustosque capillos* longe diverso sensu coniungit Propertius III. 15. 15. de quo loco dicetur infra ad v. 55.

39. QUAM POTIUS] Cod. Paris. *Quin pacius.*

41. AT FILIUS] Cod. Paris. *ac filius.*

42. ET CALIDAM FESSO COMPARAT UXOR AQUAM] Laudatur vulgo Horatius Ep. II. 43. ubi vicissim laudatur Tibullus. Utro-

Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub iuga curva boves.

V. 46. panda.

que loco comparandus erat Homerus Il. χ. 442.

κέκλετο δ᾽ ἀμφιπόλοισιν ἐϋπλοκάμοις κατὰ δῶμα,
ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι τρίποδα μέγαν, ὄφρα πέλοιτο
Ἕκτορι θερμὰ λοετρὰ μάχης ἐκ νοστήσαντι.

46. DUXIT ARATUROS SUB IUGA CURVA BOVES] Balbus Carm. 67. p. 173. *Longa dies cogit* sub iuga panda *boves*. Ultimum hemistichium saepius occurrit apud Nasonem (vide Heinsium ad I. Art. v. 318.) variantibus codicibus in *panda* et *curva*, quorum illud Nasoni in deliciis esse docet Heinsius. Eadem varietas apud Tibullum I. 10. 46. ubi cum paucis codex meus recentior *panda*; duo antiquiores cum plurimis *curva*, quod haud scio an simpliciori Tibulli orationi magis conveniat. Styli genera commiscuit noster; at Flaminius optimo iudicio unum sibi exprimendum proposuit. SANTEN. p. 1838. Cod. Paris. *panda*. Ed. a. 1472. *curua*. Broukhusius ex aliquot libris reposuit *aratores* boves. Quam lectionem hac animadversione elevavit Vulpius: „*Aratores* boves tum demum appellari potuerunt, quum diuturnus eorum usus in arando fuisset: notat enim ea vox longam arandi consuetudinem. At quo tempore *Pax candida primum* eos *duxit sub iuga*, nondum *aratores* fuerunt, sed tantum *araturi*. Certe de aureo saeculo idem Tibullus Eleg. 3. lib. I.

Illo non validus subiit iuga tempore taurus.

Vulgata igitur lectio ro-

Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

tinenda omnino est." Hesiodus *Ἔργ.* 403.

οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

49 — 50. PACE BIDENS VOMERQUE VIGENT: AT — SITUS] Excerpt. Scalig. *nitet.* Guyetus *nitent.* Videtur ita legisse Ovidius IV. Fast. 927.

Sarcula nunc, durusque bidens et vomer *aduncus,*
Ruris opes, niteant: *inquinet* arma situs.

Uterque nitori opponit *situm,* hoc est, rubiginem, quod fecit etiam Prudentius, Tibullum imitans, Pschychom. 104.

nec iam contenta piatum
Condere vaginae gladium, ne sorde *latenti*
Occupet *ablatum* rubigo *scabra* nitorem.

Sic hunc locum Codicis Egmont. ope restituit Santenius ad Catulli El. ad Manl. 151. Translate Cicero Agr. I. 7. *non dico, solum hoc in republica vectigal esse, quod amissis aliis remaneat, intermissis non conquiescat:* in pace niteat, in bello non obsolescat: *militem sustentet, hostem non pertimescat.* Item Velleius Pat. II. 126. *sepultaeque ac* situ obsitae *iustitia, aequitas, industria civitati redditae.* Quod vero scribit Horatius II. Serm. I. 42.

o pater et rex
Iuppiter, ut pereat *positum robigine telum:*

hoc igitur iam dudum praeceperat Catullus eodem, nisi omnia fallunt, usus verborum ordine LXVI. 48.

Iuppiter, ut pereat *omne genus Chalybum.*

Epigr. 193. Anal. Brunck. Tom. III. p. 189.

ἐξώλης εἴη Κυψελιδᾶν γενεά.

Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.

V. 51. et luco revehit.

51. RUSTICUS E LUCOQUE VEHIT] Cod. Paris. cum aliis scriptis editisque libris:

Rusticus e lutoque *vehit male sobrius* ipso.

Ed. a. 1472. *ipse*, quod restituit Broukhusius. Idem recte tuetur lectionem *e lucoque vehit*: nihil pensi habens Fruterii aliorumque Criticorum commenta, corrigentium: *Rusticus e luco* revehit — ne scilicet copula post tria verba praeter consuetudinem inculcetur. Broukhusio obsecutus est Heynius. Vossius e contrario non solum Fruterii emendationem recepit sed ultro etiam praepositionem *e* mutavit in *et;* quemadmodum infra v. 60. pro *e caelo* reposuit,

et *caelo deripit ille Deos.*

copulam enim necessario requiri, praepositionem superfluam esse et explicationis causa insertam. Sed hoc est rusticum e *luco* in *lutum* revehere. Nam *luco revehere* non est *e luco vehere* sed *in lucum*, unde ille egressus erat. Praepositio autem non magis hic omitti potuit quam apud Virgilium VIII. Aen. 36.

O sate gente deum, Troianam ex hostibus *urbem*

Qui revehis *nobis.*

Nam quae ista foret orationis elegantia, Troianam *hostibus* urbem qui *revehis nobis?* vel si Tibullus scripsisset: Rusticus *luco* revehit *plaustro* uxorem domum? Non ita temere scribunt classici auctores. Cicero Verr. I. 20. *hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse: omnia* ex fanis, ex locis publicis *palam, spectantibus omnibus,* plostris evecta *asportataque esse.* Tibullus II. 5. 22.

Venit et e templis *irrita turba* domum.

Exempla copulae *que*, post secundum, tertium, quartum, adde etiam quintum pedem (II. 5. 72.) a Tibullo positae, congessit

Broukhusius ad III. 6. 48. Propertius III. 21. 16.

> *Qualiscunque mihi tuque, puella, vale.*

Virgilius VI. Aen. 596.

> *Ipsius a solio regis traxitque trementem.*

Sed poteram uno exemplo defungi. Nam III. Georg. 237. simillima utitur structura Virgilius:

> *Post, ubi conlectum robur viresque refectae,*
> *Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hostem:*
> *Fluctus uti, medio coepit quum albescere ponto,*
> Longius ex altoque *sinum trahit.*

Perit tota huius loci vis et elegantia per absurdam Martyni interpunctionem, quam recte deseruit Heynius. Graecorum exempla collegit Hermannus ad Euripidis Hec. 77.

> *ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν.*

quae vera videtur lectio, quamvis copulam *ineleganter insertam* et ad hunc locum statuat Porsonus et ad Med. 750.

> *ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν Ἡλίου τε φῶς.*

De particula *τε* negligentius posita apud Atticos scriptores vide Heindorfium ad Platonis Phaedr. p. 355. Theocritus IV. 54.

> *ναὶ, ναὶ, τοῖς ὀνύχεσσιν ἔχω τέ νιν· ἅδε καὶ αὐτά.*

Sed hunc locum idem Hermannus, vir praestantissimus, corrigere conatus est ad Orph. Argon. 345. *Δαίμονας εἰναλίους τε* — scribens Tom. II. p. 815. „*Τὲ* post secundum vel tertium vocabulum non est antiqui usus.“ ubi procul dubio *epicos* poetas designat. Sed locum Orphicum sano iudicio intactum reliquit. Ubi vero idem poeta scribit v. 458. *ὑπὲρ μέγα λαῖτμά τε πόντου* —, Vossius corrigit, *ὑπὲρ μεγάλοιο δὲ πόντου.* Frustra! Scaligero haec excidit annotatio: „*Rusticus e lucoque vehit.* Nihil muto. Poterat tamen legi:

> *Rusticus* elucoque *vehit malesobrius ipse.*

Malesobrius eluco. Elucus *ἑωλοκρασία.* Tertullianus: *ab eleuco defensitare.* Vide Gellium libro decimo sexto capite duodecimo.“

Sed Veneris tunc bella calent; scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse
Flet, sibi dementes tam valuisse manus.

53 — 54. SCISSOSQUE CAPILLOS] Cod. Corvin. sed solus:

scissisque capillis
Femina perfractas esse fores queritur.

Memorabilis lectio, iudice Heynio. „Maior quidem in vulgari et orationis nitor et numerorum laevor est; sed usu docti novimus, pentametros eiusmodi saepe a male sedulis Grammaticis ad vulgarem modulum esse revocatos; cum tamen Tibullus et Propertius eos non respuant." Vide Anal. Crit. ad Anthol. Graec. p. 178. Caeterum ab initio *tunc bella* Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

55. FLET TENERAS SUBTUSA GENAS] Ed. a. 1472. *sub tusa.* Scaliger *subfusa*, vel ut scribitur in Monach. et Voss. *suffusa.* Male! Agitur de puella *ῥαπιζομένη*, qualem in scena exhibuit Menander. Etsi enim *ῥαπίζειν* proprie est *ῥάβδῳ πατάξαι*, tamen etiam frequentatur pro *κολαφίζειν* vel, quod recentiores dicebant Graeculi, *κοσσίζειν*. de quo verbo agit Bastius Ep. Crit. p. 147. Nec me poenitet adhuc sententiae, Tibullum hoc loco ob oculos habuisse ipsam Menandri fabulam, in qua idem accidisse, ut *victor*, peracto facinore, fleret, *sibi dementes tam valuisse manus*, testatur Philostratus Epist. XXVI. p. 924. *οὔτε ὁ τοῦ Μενάνδρου Πολέμων καλὸν μειράκιον περιέκειρεν, ἀλλ' αἰχμαλώτου μὲν ἐρωμένης κατετόλμησεν ὀργισθεὶς, ἣν οὔτε αὐτὸς ἀποκείρας ἠνέσχετο. Κλαίει γοῦν καταπεσὼν καὶ μεταγινώσκει τῷ φόνῳ τῶν τριχῶν.* Quo loco animadvertendus est singularis vocabuli *φόνος* usus, respondens Latinorum *caedi* ea significatione, quam habet v. c. apud Horatium IV. Carm. 4. 57.

Duris ut ilex tonsa bipennibus

At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.

Nigrae feraci frondis in Algido
Per damna, per caedes, *ab ipso*
Ducit opes animumque ferro.

Appuleius III. Metam. p. 202. *Hunc iuvenem, quum e balneis rediret ipsa, tonstrinae residentem hesterna die forte conspexit, ac me capillos eius, qui iam caede* cultrorum desecti *humi iacebant, clanculo praecepit ferre.* Ubi vide Pricaeum p. 165. Huius metaphorae retinens pergit Philostratus: *ἐφήβου δὲ ἄρα ἐφείσατο καὶ τὸ δρᾶμα· σὺ δὲ, οὐκ οἶδα τί παθὼν, σεαυτῷ πεπολέμηκας, ὦ ἀνδροφόνε, τῆς κεφαλῆς.* Qua prava interpunctione decipi se passus est Bastius Lettre Critiq. p. 78. ut construeret *σεαυτῷ πεπολέμηκας τῆς κεφαλῆς.* Sed omissa est haec viri doctissimi animadversio Interpret. Latin. p. 113. Recte! Construendum enim est ita, *ὦ ἀνδροφόνε τῆς κεφαλῆς.* Inter puellas tamen Tibullianam et Menandream hoc interest, quod illa *scissos* tantum *capillos* conqueritur, haec *abscissos* vel *detonsos*, *περικειρομένη.* Sed Menandro prorsus convenit cum Sophocle, qui eadem contumelia a Siderone noverca affectam in scenam produxit Tyronem, *teneras* subtusam *genas* et *capillis privatam* vel detonsam. Pollux IV. 141. *Τυρὼ πελιδνὴ τὰς παρειὰς παρὰ Σοφοκλεῖ. τοῦτο δ' ὑπὸ τῆς μητρυιᾶς Σιδηροῦς πληγαῖς πέπονθε.* De capillis eiusdem abscissis exstat eximium fragmentum apud Aelianum XI. Nat. Anim. c. 18. apud Brunck. p. 601. Eodem modo deformata prodiit, nisi fallor, Antiope in tragoedia Euripidea. Propertius III. 15. 13.

Ah quoties pulcros ussit *regina* capillos,
Molliaque immites fixit in ora *manus.*

57. AMOR RIXAE MALA VERBA MINISTRAT] Longe severior Venus, Helenae succensens, apud Homerum Il. γ. 416.

μέσσῳ δ' ἀμφοτέρων μητίσομαι ἔχθεα λυγρὰ
Τρώων καὶ Δαναῶν· σὺ δέ κεν κακὸν οἶτον ὄληαι.

Ah lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat; e coelo deripit ille Deos.

V. 60. et.

mala verba infra II. 5. 101. sunt *maledicta* (in uno libro *mala dicta.*) ἔπεα κακά. Homerus Il. ψ. 492.

μηκέτι νῦν χαλεποῖσιν ἀμείβεσθον ἐπέεσσιν,
Αἶαν, Ἰδομενεῦ τε, κακοῖς· ἐπεὶ οὐδὲ ἔοικε.

Ibi Heynius: „κακοῖς, quod subiicitur, ut sit χαλεποῖς ἐπέεσσι κακοῖς, vix ferri potest. Licet reponere κακῶς." Non licet. Vide Herodotum I. 212. qui locus describetur ad II. 5. 10.

58. INTER ET IRATUM LENTUS UTRUMQUE SEDET] Ed. a. 1472. *lentus utrunque sedes.* Gebhardus e duobus Palat. recepit *laetus.* quod legitur etiam in duobus Broukhusii libris. Ovidius III. A. A. 451.

Has Venus e templis, multo radiantibus auro,
Lenta *vides lites Appiadesque tuae.*

Vulgo hic etiam *Laeta* legitur. cui lectioni quodam modo favet citatus a Vulpio locus Homeri Il. λ. 72.

οἱ δὲ, λύκοι ὥς,
θῦνον· Ἔρις δ᾽ ἄρ᾽ ἔχαιρε πολύστονος εἰσορόωσα.

Sed nulla lectionis diversitas notatur apud Silium Ital. VII. 437.

Laomedonteus Phrygia quum sedit in Ida
Pastor et errantes dumosa per avia tauros
Arguta revocans ad roscida pascua canna
Audivit sacrae lentus *certamina formae.*

Caeterum Tibullus, qui procul dubio scripsit *lentus*, praeclaram illam Amoris, tamquam iudicis, iratos inter amantes *sedentis*, imaginem debere videtur Sophocli Trach. 513. ubi Achelous et Hercules rixantur de Deianira:

οἳ τότ᾽ ἀολλεῖς
ἦισαν ἱέμενοι λεχέων· μόνα δ᾽
εὔλεκτρος ἐν μέσῳ Κύπρις
ῥαβδονομεῖ ξυνοῦσα.

60. E COELO DERIPIT ILLE DEOS] Libri aliquot *et.* Quod ut hoc loco suum fecit, ita de suo addidit infra IV. 13. (12.) 13.

Nunc licet e coelo *mittatur amica Tibullo.*

Sit satis, e membris tenuem rescindere vestem;
Sit satis, ornatas dissoluisse comas:

V. 62. ornatus — comae.

Sed nullum illud locum habet in loco communi et e proverbii consuetudine profecto. Nam si *et* coelo pro *vel* coelo scripsisset Tibullus, Deos *de* vel *e* coelo deripi re vera posse statuisset. Nunc nihil aliud nisi hoc dicit: qui puellam verberat, scelus committit improbissimum. simillime atque Ovidius I. Am. 7. 5. de puella item ῥαπιζομένῃ·

Tunc ego vel caros potui violare parentes,
Saeva *vel* in *sanctos* verbera ferre Deos.

Amant autem Veteres praepositionum geminationes, in his Tibullus ipse v. c. II. 1. 24.

Ludet et e *virgis* ex-struet *ante casas.*

Propertius I. 3. 36.

Alterius clausis expulit e *foribus.*

Euripides Or. 1512.

δραπέτην γὰρ ἐξέκλεπτον ἐκ δόμων πόδα.

Nunc autem *e* coelo *deripit* ille Deos, quemadmodum apud Ciceronem Tusc. Disp. V. 4. *Socrates philosophiam* devocavit e *coelo*; vel etiam, mutatis praepositionum vicibus, ut pro Muren. 14. *studia* de *manibus* excutiuntur: atque adeo pro Marcell. c. 10. *arma ab aliis posita*, ab *aliis* erepta *sunt.* Demetrius Phalereus interprete Rutilio Lupo p. 129. ed. Ruhnk. *Nobis maiores nostri rempublicam reliquerunt*: *nos etiam socios nostros* de servitute eripuimus. — Ad quam normam librarii quidam supra I. 2. 82. male tamen exararunt:

Sertaque de *sanctis* eripuisse *focis.*

Cod. Paris. *e caelo diripit.* Ed. a. 1472. *e caelo dirripit.*

61. E MEMBRIS TENUEM RESCINDERE VESTEM] Venetae *praescindere.* Cod. Paris. et Ed. a. 1472. *perscindere.* Illud servatum volebat Heynius. Sed dubiae auctoritatis verbum est. Legebatur olim apud Vitruvium V. 6. (7.) ubi nunc editur, sedes *praecidantur. Rescindere* est con-

iectura Heinsii, confirmata nunc quatuor libris a Vossio collatis. Accedit Claudianus, cui totus hic locus a v. 53 — 62. obversabatur XV. 135. de Africa lugente:

Quum procul insanis quatiens ululatibus axem
Et contusa genas *mediis apparet in astris*
Africa. rescissae vestes *et spicea passim*
Serta iacent. lacero *crinales* vertice *dentes*
Effractum pendebat ebur.

Dictum autem *e membris rescindere vestem*, ut apud Virgilium V. Aen. 685.

Tum pius Aeneas humeris abscindere *vestem*.

non *exscindere*, ut legitur in Cod. Medic. teste Heinsio ad Ovidii IV. Fast. 448.

— *ipsa suos* abscideratque *sinus.*

Cicero Verr. 7. 1. *tunicam eius* a *pectore* abscidit. Euripides Hec. 562.

λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος
ἔῤῥηξε λαγόνος εἰς μέσον παρ' ὀμφαλὸν,
μαστούς τ' ἔδειξε, στέρνα θ', ὡς ἀγάλματος —

Male ibi Porsonus comma posuit post ἐπωμίδος. Ovidius VI. Metam. 403.

Mater in invidia est. tamen hanc quoque dicitur unus
Flesse Pelops, humeroque suas ad pectora *postquam*
Diduxit vestes, *ebur ostendisse sinistro.*

non *Deduxit.* At ib. v. 566.

velamina *Procne*
Deripit ex humeris, *auro fulgentia lato.*

non *Diripit.* ut patet ex additamento: Induiturque *atras vestes.*

62. ORNATAS DISSOLUISSE COMAS] Scaliger e libro suo, cui consentiunt alii, reposuit *ornatus comae.* Alii libri *ornatus comis.* Inter vulgatam et Scaligeri lectionem difficilis optio est. Utramque confirmat poetarum usus. Nam quod Vossius scribit, *ornatas comas* locutionem esse humilem vel vulgarem, id satis confutat, qui profecto non consectabatur vulgaria, Propertius I. 2. 1.

Quid iuvat ornato *procedere, vita,* capillo?

Aeschylus apud Athenaeum XII. p. 528. C.

χλιδῶν δὲ πλόκαμος ὥςτε παρθένοις ἁβραῖς.

Sit lacrimas movisse satis! Quater ille beatus,

Cui tenera irato flere puella potest.

V. 64. Quoi.

Sed altera etiam lectio, quae nec ipsa a vulgari sermone longe discedit, probabilis est. Euripides Phoen. 229.

> ἔτι δὲ Κασταλίας ὕδωρ
> ἐπιμένει με, κόμας ἐμᾶς
> δεῦσαι παρθένιον χλιδάν,
> φοιβείαισι λατρείαις.

Verum ut eleganti Elegorum simplicitati, iudice Heynio, convenientissimum est *ornatas comas*, quae est lectio Ed. a. 1472., ita eidem alienissimum, *ornatus dissoluisse comis*.

64. CUI TENERA IRATO FLERE PUELLA POTEST] Vulgo legitur, etiam in Cod. Paris. et Ed. a. 1472., *Quo tenera irato* etc. Dousa emendavit *Quoi*. Dativum poetarum consuetudo commendat. Tibullus II. 5. 103.

> *Nam ferus ille* suae plorabit *sobrius idem*.

II. 6. 38.

> Flevisti ignoto *sola relicta* mari.

Propertius I. 12. 15.

> *Felix*, *qui potuit praesenti* flere puellae.

Idem I. 15. 10.

> *Desertis olim* fleverat aequoribus.

Ad quem modum porro scribit ib. v. 12.

> *Sederat*, *iniusto multa* locuta salo.

Nunc etiam I. 8. 14.

> *Crudelem* infesto *saepe* vocare mari?

Nullo modo! Sed haud dubie

> *Crudelem* infesta *saepe vocare* manu.

Nam ut *nutus loquaces* sunt et *oculi* apud Tibullum I. 2. 21. et II. 6. 43. ita *manus* apud Propertium. Aeschylus Agam. 1070. (1053.)

> σὺ δ' ἀντὶ φωνῆς φράζε καρβάνῳ χερί.

Vide Wesselingium ad Herodoti IV. 113. p. 331. — Igitur reposui *Cui*. Quod quin in codicibus passim a librariis exaratum sit *Quoi*, nemo dubitat. „Sibe *et* quase *in multorum libris est: sed* an hoc vo-

Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
Is gerat, et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto;
Perfluat et pomis candidus ante sinus.

V. 68. Profluat.

voluerint auctores, nescio.“ Quintilianus I. 7. 24.

68. PERFLUAT ET POMIS CANDIDUS ANTE SINUS] Sic maior pars librorum scriptorum, et editorum, ut Ed. a. 1472. Venett. et Plantin. — Cod. Paris. *Prefluat.* Alii *Praefluat* vel *Profluat.* Heinsius *Perpluat.* quod placuit Vulpio, Broukhusio, Heynio. Mihi unice placet et vera videtur lectio *Perfluat.* Est enim *perfluere pomis* idem quod *abundare pomis* ac quasi *luxuriari.* Satis notae sunt locutiones *fluere luxu* (Tibullus II. 5. 51.), *diffluere luxuria.* Cicero I. de Off. 30. *intelligimus, quam sit turpe*, diffluere luxuria *et delicate et molliter vivere.* Ubi Goth. et Vin. habent *defluere.* Quae lectionis diversitas etiam notatur apud Columellam XII. Praef. 9. *Nunc vero quum pleraeque sic* luxu et inertia diffluant. Alii *defluant.* quod an latinae sit consuetudinis incertum est. Illud dubium videri nequit, dixisse Latinos *perfluere luxuria, voluptatibus.* Cicero II. de Fin. 35. *Tute introspice in mentem tuam ipse, eamque omni cogitatione pertractans, percunctare ipse te*, perpetuisne malis voluptatibus perfluens *in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, adsumpto etiam illo, quod vos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest,* sine doloris metu; *an, quum de omnibus gentibus optime mererere, quum opem indigentibus salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas?* — Ibi Lambinus emen-

davit *voluptatibus perfruens*, idque, quum a Grutero in Palat. quatuor repertum esset, adsumpsit etiam Daviesius *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ*, addens: „In omnibus tamen nostris *perfluens* legitur. Et *fluere luxu, mollitia* similibusque vitiis passim dicitur.“ Nihil verius hac lectione. Suidas: *Διαῤῥέουσα τρυφηλή*. Vide Stephanum Thes. Ling. Gr. Tom. III. p. 687. ubi laudat similem locum Philonis III. de Vit. Moys. Aeschylus Eum. 908. (895.) bono sensu et Tibulli loco convenienter:

> *καρπόν τε γαίας καὶ βοτῶν ἐπίῤῥυτον*
> *ἀστοῖσιν εὐθενοῦντα μὴ κάμνειν χρόνῳ.*

ubi commode Wakefieldius comparat Horatium I. Carm. 17. 15.

> *hic tibi* Copia
> Manabit *ad plenum benigno*
> *Ruris honorum opulenta cornu.*

Idem IV. 7. 9.

> *Frigora mitescunt zephyris; ver proterit aestas,*
> *Interitura, simul*
> *Pomifer Autumnus* fruges effuderit.

Ergo Pacis sinum *pomis abundantem* nihil obstare videtur quo minus dicere Tibullus potuerit *pomis perfluentem*. Et hanc lectionem plene confirmat Appuleius, describens Isidis vel Cereris pallam. XI. Metam. p. 759. Oudend. *Quaqua tamen insignis illius* pallae perfluebat ambitus, (al. *amictus*) *individuo nexu corona totis floribus, totisque* constructa pomis, *adhaerebat*. — Qui locus aliam simul subiicit interpretationem, quandoquidem hic *perfluit palla*, ut supra I. 6. 40. *Effluit toga*. Nam haec significatio Tibulli etiam loco accommodari potest, modo construas *pomis candidus*, id est *splendidus*. Et hoc fortasse praeferendum. Sed satis habeo, probabiliorem reddidisse lectionem receptam:

> *Perfluat et pomis candidus ante sinus.*

ALBII TIBULLI

ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

ALBII TIBULLI ELEGIARUM LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Quisquis ades, faveas; fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.

In codicibus vetustioribus, notante viro docto ad marginem Ed. Vicent. initium libri secundi ducitur ab Elegia libri primi decima. Hoc certe Guelf. 2. confirmat. Caeteri codices vulgarem ordinem servant, praeter Lipsiensem, qui librum primum continuat usque ad Elegiam libri secundi tertiam, quartam exhibens cum hoc elogio: *Albii Tibulli* (tibuli) *liber secundus incipit — de Nemesi* etc. Ed. a. 1472. — quam deinceps maiorem appellabo, ut distinguam ab Editione eiusdem anni minore, non nisi Tibullum et Propertium complectente, cuius nunc ipsum ad me Parisiis adfertur collatio accurata cum Ald. a. 1502. — Ed. igitur a. 1472. maior hunc titulum habet: „De agri lustratione Liber secundus;" minor hunc: „Alb. Ti. Po. liber secundus incipit foeliciter."

1. QUISQUIS ADES, FAVEAS] Vulgo, *Quisquis adest, valeat.* Quinque

Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis; nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.

Angl. *faveat*. quod primus edidit Scaliger. Non male. Et miror, hoc non arripuisse Sigmatismi osores. Nunc versus, emendatus a Dousa, similis est illi II. 2. 5.

Ipse suos Genius adsit visurus honores;

et quibusdam poetarum graecorum versibus, praesertim Euripidis, de quibus agit Porsonus ad Med. 476.

4. CERES] Ed. Brix. a. 1486. *senem*. Similiter infra II. 5. 61. *Ceres* et *seges* confunduntur.

5. LUCE SACRA REQUIESCAT HUMUS] Ed. min. a. 1472.

Luce sacra requiescat humi requiescat arator.

Male. Nam etiam *humus requiescere* dicitur, quando est ἀνήροτος, quemadmodum campus Rarius apud auctorem Hym. in Cer. 450.

ἐς δ' ἄρα Ῥάριον ἷξε, φερέσβιον οὖθαρ ἀρούρης
τὸ πρὶν, ἀτὰρ τότε γ' οὔτι φερέσβιον, ἀλλὰ ἕκηλον
ἑστήκει πανάφυλλον·

quod Ruhnkenio displicuisse miror. Ovidius Fast. I. 667.

Villice, da requiem terrae, *semente peracta*;
Da requiem, *terram qui coluere*, viris.

8. STARE BOVES CAPITE] Sic nunc libri, quod sciam, omnes. Supra tamen I. 1. 72. Cod. Paris. et Ed. a. 1472.

Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Dicere nec cano blanditias capiti.

Ubi Ed. min. a. 1472. habet *capite*, ut h. l. — Exc. Scalig. *vertice stare boves*. ex prava interpolatione. Catullus LXIV. 38.

Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis —

9. NON AUDEAT ULLA] Adverbia *ne* ac *non* ita distingui solent, ut alterum vetandi sit, alterum negandi. Tibullus tamen illis promiscue utitur. Nam *non audeat* eandem hoc loco vim habet ac *ne audeat* supra I. 3. 21.

Audeat *invito* ne quis *discedere Amore*.

Quod non convenit veterum Grammaticorum praeceptis, ut Quintiliani I, 5. 50. Sed usus tyrannus. Vide, quod de hac re monuit vir doctissimus in Mus. Antiq. Stud. Tom. I. p. 581. Pro *sint* operata Paris. et Guarn. *sunt* operata. Sic supra v. 6. *cesset* unus Bodlei. mutavit in *cessat.*

11 — 12. DISCEDITE AB ARIS, QUEIS TULIT] Cod. Paris. et Edd. a. 1472. *discedat ab aris, Cui tulit* — nisi quod minor habet *Quoi tulit*. Illud etiam habent Vicent. Reg. Lep. et Lips. apud Heynium. Venett. 1491. 93. et Ald. 1502. *discedite ab aris, Cui tulit*. Verum Gryph. 1554. collata cum Mss. apud Heinsium, *Quis tulit.* Gryph. 1573. *Queis*. quod edidit Muretus. Hanc scripturam confirmant Voss. 1. 2. 5. Pro *hesterna* Paris. Lips. alii, Edd. Ald. *externa.*

Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.

V. 18. tollite.

16. VINCTAQUE] Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. Venet. 1493. *Victaque.* Venet. 1491. Aldd. *Vinctaque.* Nempe omissa est in illis lineola supra litteram *i*.

18. DE NOSTRIS PELLITE LIMITIBUS] Cod. Paris. *uestris.* Passeratii liber, *tollite liminibus.* Ed. min. a. 1472. *lemitibus.* Jam *tollite*, quod exstat etiam in uno Guelf. manifesta est interpolatio. Nam *pellere* ac *depellere* adeo trita sunt in hac re poetarum consuetudine, ut Persius deos averruncos simpliciter vocet *depellentes* V. 167.

> *Euge, puer, sapias:* dis depellentibus *agnam Percute.*

Valerius Max. I. 1. *Maiores nostri* — portentorum depulsa *Etruscorum disciplina explicari voluerunt.* Horatius II. Ep. I, 166.

> *Avertit morbos, metuenda pericula* pellit,

Ovidius III. Art. Am. 579.

> *Juppiter a vobis tam turpia crimina* pellat.

Idem IV. Fast. 747 — 763. ad Palem:

> *Consule, dic, pecori pariter, pecorisque magistris:*
>
> *Effugiat stabulis noxa* repulsa *meis.* — .
>
> Pelle *procul morbos. Valeant hominesque gregesque.*

Cicero ad Famil. VII. 26. *vires et corpus amisi. Sed* si morbum depulero, *facile, ut spero, illa revocabo.* Accedunt Graeci, ut Gaetulicus ep. 3. Anal.

Neu seges eludat messem fallacibus herbis,

Neu timeat celeres tardior agna lupos.

Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris

Ingeret ardenti grandia ligna foco;

V. 20. segnior. 21. Tum.

Br. Tom. II. p. 167. qui coniungit *ἀπώσασθαι νοῦσον* et *ἐλαύνειν πενίην*. Homerus Il. ο. 503.

> *ἠὲ σαωθῆναι καὶ ἀπώσασθαι κακὰ νηῶν.*

Hinc Aristarchus interpolavit Il. α. 97. ita:

> *οὐδ' ὅγε πρὶν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει.*

19. ELUDAT MESSEM] Unus Gebh. *educat*. Colb. *messes*. Quintilianus I. 5. 5. *non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus nititur: ut, quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, et imitatae spicas* herbulae *inanibus aristis* ante messem *flavescunt*. Vide Heinsium ad Ovidii II. ex Pont. 9. 29.

> Vana *laborantis* si fallat *vota coloni*.

Ed. min. a. 1472. *elaudat*.

20. CELERES TARDIOR AGNA LUPOS] Eadem editio satis vitiose: *caelites tardior ogna lupos*. Nullus liber ex iis, qui penes me sunt, lectionem *segnior* expressit, quam habent unus Witt. Sforz. Excerptt.Perr.Scal.Heins. *Tardam* agnam supra I. 1. 32. *desertam* vocat. Horatius II. Serm. 3. 100. de Aristippo, qui servos proiicere aurum

> *In media iussit Libya, quia* tardius irent
>
> *Propter onus* segnes.

Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *Heu timeat — tardior*. Ita etiam Hamb.

22. INGERET] Cod. Lips. Ed. a. 1472. Reg. Lep. Vic. Venett. etc. *Ingerat*. Sed *Ingeret*, quod Muretus edidit, iam exstat in Ed. min. a. 1472. Est etiam in Cod. Paris.

Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet et ex virgis exstruet ante casas.

V. 24. Ludet, et — construet.

23. SATURI BONA SIGNA COLONI] Cod. Paris. *sacri bona s. coloni.* Lips. *satiri.* Ed. min. a. 1472. *satyri.* quod hinc manasse videtur in Roman. a. 1475. commemoratam ab Heynio p. XLVI. certe manavit in Venetas a. 1491. 93. cum commentario Cyllenii, quem de altera lectione *saturi coloni* ne fando quidem audivisse, satis apparet. Nempe incognita ei fuit Ed. mai. a. 1472. quae statim ab initio latere coepit in occulto.

24. LUDET ET EX VIRGIS EXSTRUET ANTE CASAS] Cod. Bern. *ex virgis construat.* Multi *arte* pro *ante,* ut Cod. Lips. et Edd. a. 1472. etc. Sic legisse videtur Balbus, Carm. 67. p. 172. scribens:

Atque humilem dura construis arte *casam.*

Sed recepta lectio bene habet. *Ante* confirmat Cod. Paris. idque iam ante Scaligerum expressit Cyllenius in Commentario. Malim tamen *e virgis exstruet,* praeeunte inprimis Cod. Lips. quam *ex virgis exstruet*, sicut apud Propertium I. 3. 56.

Alterius clausis expulit e *foribus.*

quod pessime nuper interpolatum est ita:

Alterius clausis expulit a *foribus.*

Exstruere e virgis, ut I. 2. 82. *deripere de focis,* antiquae elegantiae est, praepositiones geminantis, ut scribit Broukhusius ad I. 5. 40. Cicero pro Planc. c. 41. *quorum impium ferrum, ignesque pectiferos meus ille consulatus e manibus* extorserat. Verbum autem *exstruere* pulchre exprimit puerorum aedificantium sollertiam, quam iustis finibus circumscribit adiectum verbum *Ludet.* Hae enim *exstructiones* mera sunt vernarum ἀθύρματα. Homerus Il. o. 361. de Apolline:

ἔρειπε δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν

Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?

ῥεῖα μάλ', ὡς ὅτε τις ψάμαθον παῖς ἄγχι θαλάσσης,
ὅστ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν,
ἂψ αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων.

Quem locum imitando expresserunt multi, in his Horatius, qui vicissim mirifice illustrat Tibullum, II. Serm. 3. 247 — 254.

Aedificare casas etc.
Si puerilius his ratio esse evincit amare,
Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus,
Quale prius, ludas opus, *an meretricis amore*
Sollicitus plores: quaero, faciasne quod olim
Mutatus Polemon?

Ubi Wakefieldus de coniectura edidit *ducas opus.* Sed *ducere opus* artificis est v. c. *ocreas argento ducentis*, non pueri trimi, casas *aedificantis in pulvere*, *ἀθύρματα ποιοῦντος.* Hic recte dicitur *ludere opus*, quemadmodum Rufius Crispinus puer apud Suetonium Ner. 35. ferebatur *ducatus et imperia ludere*, et Achilles puer apud Pindarum Nem. III, 77. *παῖς ἐὼν ἄθυρεν μεγάλα ἔργα.* Appuleius XI. p. 244. *Nec ille deerat*, qui magistratum *fascibus purpuraque* luderet. Martialis VII. 8. 7.

Festa coronatus ludet convicia *miles.*

Igitur ut apud Horatium puer *ludit opus*, hoc est, ludendo exstruit opus, ita apud Tibullum turba vernarum *ludit* et *exstruit* id est, *ludendo exstruit casas.* Quare non dubitavi, interpunctione, sic satis inutili, post *Ludet* sublata, reponere:

Ludet et ex virgis exstruet ante casas.

25 — 26. EVENTURA PRECOR. VIDEN' UT — SIGNIFICET] Cod. Paris. *Vides.* In Lipsiens. hic versus, positus ante v. 24, ita legitur:

Et *uentura pcor* molem *ut felicibus extis.*

Miror autem, in nullo libro reperiri *Significat.* Veteres enim post *viden' ut*

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado.

indicativum ponere solent. Plautus Curc. I. 3. 5.

> vident' ut *anus tremula medicinam* facit.

Ib. 32.

> Viden', ut *misere* moliuntur! *nequeunt complecti satis.*

Plura exempla congessit Bentleius ad Horatium I. Ep. 1. 91. idemque bene restituit Terentio Eun. V. 5. 10.

> vide ut *otiosus* it, *si dis placet,*

pro *sit.* Ib. II. 2. 54.

> Viden' *otium et cibus* quid facit *alienus.*

Versus de Gallo tympanizante apud Suetonium Octav. 68.

> Viden' ut *cinaedus orbem digito* temperat!

27 — 28. NUNC MIHI FUMOSOS VETERIS] Hanc lectionem firmat Cod. Paris. Lipsiensis ita:

> *Nunc mihi uetes proferte falernos.*

omissa voce *fumosos.* Ed. min. a. 1472. *famosos veteres.* Maior, *fumosos ueteris proferre phalernos.* Reg. Lep. — *proferre falernos.* Iam ad *fumosos Falernos* e versu minore interpretes adsumunt *cados.* Quod fieri nequit, nisi locum ita refingas:

> *et* Chiis *solvite vincla* cadis.

Similis varietas est in simili versu Theocriti VII. 147.

> *τετράενες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ.*

ubi Brunckius *πίθω* edidit e libris. Eiusdem generis est Statii emendatio, *fumosum — Falernum.* quam Scaliger suam fecit, repudiata priori Editionis lectione: *Nunc mihi, nunc fumos — Falernos.* Alii locum ita constituerunt:

> *Nunc mihi, nunc* fumo *veteris proferte* Falernum

Vina diem celebrent; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat:
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia coelitibus.

V. 34. Tu magna.

Consulis, et Chio solvite vincla cado.

32. NOMEN ET ABSENTIS — SONENT] Wyngaard. in Actt. Soc. Traiect. T. I. p. 194. corrigit:

Omen *et* absenti *singula verba sonent.*

Perperam. Ovidius III. Fast. 590.

Nominaque *extremo carmine nostra* sonent.

33 — 34. GENTIS AQUITANAE] Codd. Paris. et Lips. *equitane.* Ed. min. a. 1472. *aquitaneae.* Omnes mei in fine pentametri *ades* habent, Bodlei. *abes.* Scaliger, *avis.* Vers. 34. *Tu* pro *Et* Vossii est emendatio, quam nemo probabit. Propertius II. 1. 73.

Maecenas nostrae spes invidiosa iuventae,
Et *vitae et morti* gloria *iusta meae.*

35. HUC ADES ASPIRAQUE] Ita Cod. Paris. et Edd. Venett. 1491. 93. Lips. et Ed. mai. a. 1472. *Nunc ades aspir.* Minor, *hunc ades.*

36. REDDITUR — GRA-

Rura cano, rurisque Deos: his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
Servitium, et plaustro supposuisse rotam.

V. 37. queis vita — 41. domuisse. 42. Servitio.

TIA] Eadem Editio *Reditur*. Unus Stat. *gloria*, praecludens versui 54.

37 — 38. HIS VITA MAGISTRIS DESUEVIT] Corvin. *queis*, sine aemulo. Lips. *hijs* — *Destituat*. Ed. min. a. 1472. *his* — *des uenit*. id est, *desuevit*, quod magno consensu probaverunt Editores primi. Ald. 1502. *Destituat*, non *Destituit*, quod Heynius scribit. Illud etiam habet Ed. Vet. quam adhuc dixi, hoc est, ut nunc suspicor, Ed. Ald. 1511.

40. DOMUM] Discrepant Edd. veteres. Nam principes *domum* agnoscunt, ut Paris. et Lips. E contrario Venet. 1475. et Reg. Lep. habent *casam*. Ita unus Gebh. Excerptt. Lipsii et Perreii, Voss. 2. alii. Edidit Broukhusius. Sed vide Heynium.

41. PRIMUM DOCUISSE FERUNTUR SERVITIUM] Cod. Paris. et Guarn. Ed. mai. a. 1472. Vic. Reg. Lep. Venett. *primi docuisse*. Alii Codd. ut Lips. et Ald. 1502. (1511.) *primum domuisse*. Quo adsumpto Gebhardus *Servitium* mutavit in *Servitio*. Non placet. Tibullus IV. 1. 170.

Hinc et colla iugo didicit
submittere taurus.

Et ut hoc loco ruris Dei tauros *docuere servitium*, id est, *servire homini*, ita supra I. 4. 17.

Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
Mixtaque securo est sobria lympha mero.

V. 43. Tum — tunc insita. 46. *Omittitur* est.

Longa dies homini docuit parere *leones*. sum primum venisse.“ 43 — 46.

43. TUNC VICTUS — TUNC CONSITA] Cod. Lips. *Tum uictis — tunc consita pomis*, *Tunc bibit riguas — ortus*. Caeteri libri in vulgata consentiunt, nisi quod Ed. min. a. 1472. hac etiam in re discrepans a maiore, et Cod. Paris. *ortus* habent pro *hortus*. Exc. Lips. *insita pomus*. quod in contextum intulerunt Vulpius, Broukhusius, Vossius. Alteram lectionem Heynius, mea sententia, bene defendit: „Nec enim ad prima vitae mitioris initia insitio retrahi potest, sed exquisitiorem vitae cultum expectare id inventum debuit; tum vero ignorari non poterat, quod ex vitae communis usu tenemus, arbores etiam silvestres satione et cura in mitium arborum censum primum venisse.“ 43 — 46.

45. AUREA TUNC PRESSOS] Complures libri, ut Paris. et Lips. *Antea*. Nonnulli habent *tum*. Ed. princeps, Venet. 1475. Reg. Lep. et Lips. apud Heynium *nunc*. Sic Corvin. — Ed. min. a. 1472. *Aurea compressos*. quod libri scripti non agnoscunt.

46. MIXTAQUE SECURO EST — MERO] Paris. *secuto est*. Edd. veteres verbum *est*, quod perpauci libri vel omiserunt vel ad finem versus reiecerunt, omnes in penthemimeri habent de consuetudine Tibulli, ut I. 1. 34.

Parcite de magno est *praeda petenda grege*.

I. 4. 52.

Qui prior Eleo est *carcere missus equus*.

Rura ferunt messes, calidi quum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede:

V. 47. quom.

II. 5. 56.

Ad iuvenem festa est *vecta puella die.*

Propertius IV. 1. 58.

Hei mihi! quod nostro est *parvus in ore sonus.*

Ubi ne unus quidem liber scriptus editusque ante Broukhusium *est* omisit. Ovidius I. Fastt. 526.

Num minus hic toto est *altior orbe sinus?*

48. DEPONIT — ANNUA TERRA COMAS] Hanc lectionem corruptam exhibent nonnulli libri in *arida, arrida, aurea.* Hoc irrepsit in Edd. Venett. cum comment. Cyllenii, et Brix. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Codd. Paris. et Lips. *annua.* Sic IV. 1. 172.

Tondeturque seges *maturos* annua *partus.*

49. APIS INGERIT ALVEO] Paris. *ingerat alvo.* Lips. *lapis ingerit alveo.* Ed. min. a. 1472. *apes ingerit alveo.* Maior, Venet. 1475. et Reg. Lep. *ingerat.* Vicent. et Venett. 1491. 93. *ingerit:*

50. COMPLEAT UT] Unus Anglic. Guarn. et Paris. *Compleat et.* Hic etiam *mele* habet cum Lips. pro *melle.*

51. ASSIDUO — SATIATUS ARATRO] Pro *satiatus* duo libri apud Broukhusium offerunt *defessus,* Scaliger *lassatus.* Sed *satiari* aliquis dicitur non modo rebus iucundis, quas antea cupide appetiverat, verum etiam, quod negat Heynius, aerumnis et laboribus vel alterius, ut apud Euripidem Phoen. 1764. κόρον ἔχουσ' ἐμῶν κακῶν· (Cicero pro Sull. 32.

Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante Deos.

Te ipsum iam, Torquate, expletum *esse huius* miseriis *par erat,*) vel suis ipsius, ut apud Homerum Od. δ. 541.

αὐτὰρ ἐπεὶ κλαίων τε κυλινδόμενός τ' ἐκορέσθην.

Fatendum quidem est, ambigui quid inesse huic loco propterea, quod agricola primum translate dicitur *satiatus aratro,* deinde *satur* proprie. Verum nec Homerus hac translatione uti dubitavit de homine, assidua arborum caede lassato, eodemque iam cibo expleri cupiente, Il. λ. 86.

ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δεῖπνον
οὔρεος ἐν βήσσησιν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρας
τάμνων δένδρεα μακρὰ, ἄδος τέ μιν ἵκετο θυμόν,
σίτου τε γλυκεροῖο περὶ φρένας ἵμερος αἱρεῖ.

54. UT ORNATOS DICERET ANTE DEOS] Vulgo *duceret.* Duo Statt. tres Heinss. Colot. Askew. Monac. *diceret.* Hoc Muretus reposuit. Recte. Sed ita nondum apparet, *quale* carmen dixerit agricola, et *quare* ante deos, si *ornatos* capias, quod omnes faciunt, pro *sertis coronatos.* Quod agricolae inventum infra demum v. 59. praedicatur. Dicit autem ille nunc carmen, quod *primum* avena modulatus erat, ad celebrandos, *laudandos deos,* hoc est, Hymnum. Quare *ornatos* hic sumo pro *laudatos;* honoratos. Quo sensu saepe aliquis *ornari* dicitur vel simpliciter, vel etiam adiecta voce *laudibus.* v. c. apud Ciceronem Phil. II. c. 11. Plato Sympos. V. p. 18. ed. Wolf. *ἅμα δὲ ἐν τῷ παρόντι πρέπον μοι δοκεῖ εἶναι ἡμῖν τοῖς παροῦσι κοσμῆσαι τὸν θεόν.* Pindarus Nem. VI. (75.) 47.

πλατεῖαι πάντοθεν λογίοισιν ἐντὶ πρόσοδοι
νᾶσον εὐκλέα τάνδε κοσμεῖν.

hoc est, *laudibus ornare.* Hic enim *εὐκλέα* ea prolepsi positum videtur, qua apud Tibullum *ornatos,* ex mea interpretatione.

T

Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Quod genus scribendi frequens est, parum tamen vulgo intellectum. Huc pertinet locus Propertii, supra descriptus I. 3. 36.

Alterius clausis *expulit e foribus.*

Non enim verendum est, quod veretur doctissimus Editor p. 22. ne Propertius e clausa domo *per fenestram* aufugerit, sed *e foribus* expulsus ille est, *deinceps clausis.* Sic hunc locum iam dudum explicuit Ouwensius Noctt. Hag. p. 451. Ib. II. 9. 8.

Illum exspectando facta remansit *anus.*

Ubi non putaram, in subsidium vocatum iri Italorum vocem *rimanere*, ut demonstretur, quod demonstrari nullo modo potest, *facta remansit* esse idem quod *facta est.* Hoc dicit Propertius, Penelopen, profecto Ulysse, *remansisse domi* et illum exspectando *factam esse anum.* Ib. III. 17. 2.

Da mihi pacato *vela secunda, pater.*

Alii *bacchato.* Quae ut vera sit scriptura, quod vix crediderim, alterius tamen lectionis sensum pulchre enucleavit Barthius, elegantis vir iudicii. Sed tot huius prolepsis exempla occurrunt, „ut a poetis antiquis cupide quaesita videatur:" quod scribit Schaeferus ad Theocritum VII. 70. Jam a nostra loci, de quo nunc agitur, interpretatione prope abest lectio Palat. Sec. *oratos*, proxime Horatii dictum de Hymnis in Junonem I. Carm. 7. 8.

Plurimus in Junonis honorem

Aptum dicit *equis Argos ditesque Mycenas.*

Idem II. Epp. 1. 266.

Nec prave factis decorari versibus *opto.*

55. MINIO — SUFFUSUS] Ed. princeps, Venet. 1475. et Reg. Lep. *nimio.* — Paris. *Bache.*

56. DUXIT AB ARTE CHOROS] Guarn. *ducit — thoros.* Paris. *duxit — thoros.* Ed. Reg. Lep. *cohors.* — Guelf. 1. *ab urbe.*

Huic datus, a pleno memorabile munus ovili,
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.

V. 57. e. 58. Dux pecoris; hirtas —

Haec lectio exstat in Ed. min. a. 1472. unde profecta est in Edd. Venetas cum commentario Cyllenii, Aldd. Colin. — Ab *arce* Scaliger malebat, docte refutatus a Broukhusio.

57. A PLENO MEMORABILE MUNUS OVILI] Guelf. 2. *e pleno*. Ita I. 1. 57. pro *de paupere mensa Dona*, alii habent *e paupere mensa Dona*. Illud, credo, usitatius. Virgilius Ecl. I. 7.

illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus *imbuet agnus.*

Non obstat locus Catulli XX. 12.

Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit aere dexteram.

58. DUX PECORIS HIRCUS] Santenius, reprehendens Balbum, voculam *bis* producentem p. 1845. haec scribit: „Arator lib. 2. p. m. 506. ne dicam, malum quantitatis auctorem esse, aspiratione saltem adiuvit:

Bis habitum, *quem culpa creat. iam bella tribunus.*

Aspirationem autem posterioribus temporibus producendae syllabae frequenter fuisse adhibitam, ostendam in Addendis ad comment. ad Terentianum v. 128." Ergo veteri aevo hanc licentiam abiudicavit vir rei metricae peritissimus. Falso! Sergius p. 1830. *Tertius modus est, quum correptam vocalem duae* consonantes *sequuntur, quarum prior est consonans et sequens* h, *quae aspirationis a plerisque creditur nota. Est enim longa in hoc:* Terga fatigamus hasta. (Virgil. IX. Aen. 610.) Sed in hoc Virgilii versu etiam per penthemimerin brevis syllaba videri possit producta, ut

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam, teneris curam exhibitura puellis,
Molle gerit tergo lucida vellus ovis;
Hinc et femineus labor est; hinc pensa colusque;
Fusus et apposito pollice versat opus:

V. 59. primam. 64. ut — verset.

apud Horatium I. Serm. 5. 90.

Callidus ut soleat humeris portare viator.

Qua de re dicam infra ad II. 2. 5. Enimvero Propertius II. 28. 29.

Et tibi Maeonias inter Heroidas omnes —

Ubi vide Vulpium. Virgilius XI. Aen. 69.

Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi.

Ausonius 44. 4.

Mercator hodie, cras citharoedus erit.

Hactenus etiam Tibullus scribere potuit, *Dux pecoris hircus*, neque opus est traiectione, quam proposuit Thierschius, *Dux hircus pecoris.* Quod sequitur *duxerat*, Mureti emendatio est. Paris. cum aliis, et Edd. veteres *auxerat.* Askew. et Lips. *hauserat.* Pauci *auferat.* Lectio Ed. Voss. Heinsio debetur: Heynio asterisci, quos equidem, ut in versu, certe in hemistichio suspecto delere nolui. Waardenburgius in Opusc. p. 180. corrigit *curtas* sive *parvas — opes;* Wassenbergius ibidem:

Dux pecoris, hircus: auxerat hircus opes.

59. PRIMUM DE FLORE CORONAM FECIT] Ed. min. a. 1472. *primus.* Quod Broukhusius, non monito lectore, edidit *primam*, hoc legitur in Voss. 2. et 5. — Unus Witt. *prior* pro *puer.*

64. FUSUS ET — VERSAT

Atque aliqua assiduae textis operata Minervae 65
Cantat, et applauso tela sonat latere.

V, 66, pectine tela sonat.

OPUS] *ut — verset* Corvin. et duo Anglicc. Longe elegantior est vulgata, orationem epico more continuans, sicut v. 60.

Fecit et *antiquis* imposuit *Laribus.*

pro *Fecit* ut *imponeret.* Vide infra II. 4. 4. Sic supra I. 2. 80. (5. 16.) *Ut — luat* substitui vidimus optimae lectioni

Et *mea nunc poenas impia lingua* luit?

65. ASSIDUAE TEXTIS OPERATA MINERVAE] Cod. Paris. Ed. mai. a. 1472. cum multis aliis, scriptis editisque, libris:

assidue textrix operata Minervam
Cantat —

quae lectio, ait Heynius, nescio an mutari debuerit, hoc est, an mutari *non* debuerit. Nempe non displicebant illi textrices *Minervam* inter opus *cantantes*, quemadmodum v. c. apud Theocritum XXIV. 74. Alcmenam ἀείδουσι. Sed *textrix* abire iussa a Fruterio locum fecit *textis — Minervae*, ab eodem substitutis. Non male, auctore Gebhardo, si libri alicuius veteris ms. auctoritas confirmaret. Atqui *Minervae* complures libri confirmant, nec dubium videtur, quin *textis* scripserit Tibullus; pro qua voce in Monach. est *textris*. Hanc Fruterii emendationem consummavit Broukhusius corrigendo:

assiduae *textis operata Minervae* —

quae lectio exstat etiam in contextu Ed. Vossianae, sed invito Editore, qui *assidue* voluit, idque propterea voluit, quia hoc negotium puellis curam exhibiturum esse praedixerat Tibullus v. 61. Enimvero nunc illae *cantant*, ut curas depellant. Cantant autem non *assidue*, quod per ambiguitatem illius scripturae aeque facere possent atque *textis operari Minervae*, sed cantant *assiduae* textis ope-

rantes *Minervae*, hoc est Minervae Ἐργάνης, quae etiam *operosa* vocatur apud Horatium III. Carm. 12. 5,

> *tibi qualum Cythereae*
> *Puer ales, tibi telas*, operosaeque Minervae
> Studium *aufert*, *Neobule*, *Liparei nitor Hebri*.

Qui locus obversatus videtur librario cuidam, *operosa* pro *operata* scribenti. Caeterum egregia Broukhusii emendatio iamdudum expressa conspicitur in Ed. min. a. 1472.

> *Atque aliqua assiduae textrix operata minervae* —

66. ET APPLAUSO TELA SONAT LATERE] Cod. Paris. et Ed. min. a. 1472. *appulso*. Ed. mai. a. 1472.

> *et appulso taela sonat latere.*

Reg. Lep. *applauso taela*. Pauci libri, ut Cod. Lips. *sonant*, quod de coniectura substituit Scaliger, *tela* sumens pro histonis instrumentis, et *appulso* mutans in *appluso*. Perperam! Insignem librorum in recepta scriptura consensum paululum conturbat unus Angl. qui habet:

> *et appulso* pectine *tela sonat*.

cui accedit ignotus alter, laudatur a Vossio ad Catullum p. 249. *pectine* lana *sonat*. Hoc mihi dubium non videtur, quin profectum sit ex interpolatione dicam, an interpretatione. Nam etiam Cyllenius locum hoc modo interpretatur: *Tela sonat appulso latere*; „Gestum textricis innuit. Nam appulso *pectine* vi brachiorum latus telarii constrepit cum tela et iugo." — Cuius interpretationis partem suam fecit Heynius, *latus* intelligens *textricis*, quod applausum, hoc est, cum strepitu allisum *telae*, id est, iugo textorio, *sonat*. Hoc ridiculum esse concedimus Vossio. Num propterea falsa est lectio? Nullo modo. Nihil enim obstat, quin *latus* intelligatur *telae* ipsius, quae pulsa pectine vel radio sonitum edit, satis celebratum a poetis. Proprie quidem radius sonat, dictus propterea κερκὶς ἀοιδὸς ab Euripide apud Aristophanem Ran. 1316. ubi rem illustrat Brunckius. At etiam *tela* sonat ipsa. Euripides Iph. Taur. 210. (21.)

> οὐ τὰν Ἄργει μέλπουσ' Ἥραν

οὐδ' ἱστοῖς ἐν καλλιφθόγγοις
κερκίδι Παλλάδος Ἀτθίδος εἰκὼ
καὶ Τιτάνων ποικίλλουσα.

Unde simul patet, quam ingeniose et eleganter a Sophocle in Tereo dicta sit ἡ τῆς κερκίδος φωνὴ apud Aristotelem Poetic. XXIX. p. 56. quo sensu, vidit Tyrwhittus. Quid vero aliud est κρέκειν ἱστὸν quam, *applaudere telam* ita, ut *vocem* id est, sonum *edat?* Et hactenus quidem bene. Sed quid tandem sibi voluit Catullus, de Parcis scribens Epithal. Pel. et Thet. 321.

Hae tum clarisona pellentes vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata?

Etiamne voce et *cantu pelluntur* vellera et *telae*, sicut apud Virgilium valles? Ed. VI. 84.

Ille canit. pulsae referunt ad sidera valles.

Quid alii interpretes de hoc Catulli loco scripserint, nunc non quaero. At Mitscherlichius Lect. in Catull. p. 145. *Cui*, inquit, *reconditiora placent, ille iungat*, vellera pellentes voce clarisona, *ita ut tela sonum edat.* Hoc quomodo illuc pertineat, vides. Illud equidem ipse video, male Bentleium interpolasse locum Horatii I. Serm. 3. 63.

Simplicior quis et est; (qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas) ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone *molestus:*

ubi ille de coniectura edidit, *impediat*, addens: „si cui ab exemplaribus scriptis discedere hic religio est, is, si me audiet, τὸ *impellat* sic explicabit: ut *simplicior* ille, qui hic describitur, legentem si quem aut meditantem offenderit, manu vel cubito et *impellat*, et deinde sic excitatum verbis appellet: qui *hodie* rusticiorum et agrestiorum hominum mos est.“ Mira sane ratiuncula viri mirifici. Nam qui aliquem *impellit sermone*, non manu et cubito, sed ipsa *voce* impellit, sive is rusticus sit sive urbanus. Infra II. Serm. 6. 97. *Haec* urbani illius

haec ubi dicta
Agrestem pepulere, *domo levis exsilit.*

Ipse interque greges interque armenta Cupido
  Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
  Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!

Neque vero, quod novissimus editor scribit, primus hoc Horatius dixit nec solus. Homerus Il. κ, 535.

> ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

quem locum expressit Apollon. Rhod. II. 553. latine convertit Ennius apud Nonium, Steph. p. 128.

> *Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.*

Vide supra I. 6. 62. Varro apud eundem Nonium p. 263. *Quem simulac Romam venisse* mihi attigit aures nuntius. Quod genus scribendi illustrat Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 58. Hinc intelligitur, quid sibi velit Pindarus Ol. I. 86. (137.)

> ὣς ἔννεπεν· οὐδ' ἀκράντοις ἐφάψατ' ὦν ἔπεσι.

supple θεοῦ. *neque irritis* deum *attigit verbis* Pelops. Ovidius II. Metam. 578.

> *Inde deos hominesque voco:* nec contigit ullum
> Vox mea *mortalem.*

Hoc est, *non exaudita est vox mea.* Lucretius IV. 527.

> *Principio auditur Sonus et* Vox *omnis, in aureis*
> *Insinuata*, suo pepulere *ubi* corpore sensum.
> Corpoream *quoque enim* Vocem *constare fatendum 'st*
> *Et* Sonitum, *quoniam possunt* impellere sensus.

67. IPSE INTERQUE GREGES] Hoc Broukhusius e libris sex reposuit. Vulgo: *Ipse quoque inter agros.* Quo sensu *indomitae equae* sumendae sint, docet v. 69. Monuit Doederleinius, vir doctissimus, Specim. nov. Ed. Tragoed. Sophocl. p. 71. — Ed. mai. a. 1472. *aquas.*

70. HEI MIHI] Paris. *Hey mihi.* Lips. *Neu.* Witt.

Nec pecudes, velut ante, petit; fixisse puellas
  Gestit, et audaces perdomuisse viros.
Hic juveni detraxit opes; hic dicere jussit
  Limen ad iratae verba pudenda senem.
Hoc duce, custodes furtim transgressa jacentes,
  Ad juvenem tenebris sola puella venit;
Et pedibus praetentat iter, suspensa timore,
  Explorat caecas cui manus ante vias.

V. 78. dum *pro* cui.

unus Broukhus. et Hamb. *Heu.* Hoc Ald. intulit, fortasse etiam Ed. min. 1472. At Ed. mai. Reg. Lep. Vicent. et Venett. 1491. 95. *Hei mihi.* De hac re dicetur infra ad II. 6. 28. ubi summo consensu libri scripti editique tueantur *Hei mihi.*

71—72. FIXISSE PUELLAS GESTIT] Venett. 1491. 93. *puellam.* Unus Witt. *Gaudet.* Colb. *indomitos,* pro diversa lectione, *audaces.* Error ortus est e v. 68. unde etiam in Ed. Lips. apud Heynium v. 69. *indomito — arcu* venit pro *indocto*, cui Statius substituere malebat *indoctus.*

73. IUVENI DETRAXIT OPES] Unus Anglic. *iuvenis.* Codd. Paris. Askew. Guelf. 1. et Guarn. *opus.* Colb. *Et* pro *Hic.* Laudi liber et Bodl. *ducere.* Vide I. 1. 72.

74. LIMEN AD IRATAE] *iratae* absolute, omisso *puellae*, notandum. HEYN. Propertius I. 9. 22.

> *Et nihil* iratae *posse negare tuae.*

III. 8. 28.

> *Semper in* irata *pallidus esse velim.*

77. ET PEDIBUS PRAETENTAT ITER] Burmannus Sec. malit *digitis.* Hic igitur non vidit, puel-

Iam statim vias explorare *manibus*. Nunc illa *pedibus* praetentat iter, sicut Phoenix caecus apud Ovidium Ibid. 262. *baculo*, et Oedipus Senec. 656.

> Baculo *senili triste* praetentans *iter;*

eademque simul dicitur *explorare* vias *manibus*, ut item caeci dicuntur *χερσὶ ψηλαφᾷν*, v. c. Cyclops apud Homerum Od. ι. 416. *χερσὶ ψηλαφόων*. Hinc eleganter Plato Phaed. p. 68. ed. Wyttenb. *ὃ δή μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ, ὥσπερ ἐν σκότει, ἀλλοτρίῳ ὄμματι προσχρώμενοι, ὡς αἴτιον αὐτὸ προσαγορεύειν*. Qui locus mihi de *caecitate* accipiendus videtur, siquidem caeci etiam dicuntur *ὄπτεσθαι ἐν σκότῳ, σκότον βλέπειν*, hoc est, *nihil videre*, apud Sophoclem Oed. R. 419. et 1273. quemadmodum Oedipus ipse *σκοτεινὸς* v. 1326. Iidem recte dicuntur *ἀλλοτρίῳ ὄμματι*, non *ὀνόματι*, *χρῆσθαι*. Tiresias Euripidis Phoen. 848.

> *ἡγοῦ πάροιθε, θύγατερ, ὡς τυφλῷ ποδὶ*
> *ὀφθαλμὸς εἶ σὺ, ναυτίλοισιν ἄστρον ὥς.*

Platonis simile dictum laudat Plutarchus Lysand. p. 38. ed. Reisk. cui adde Lucianum de Calumn. T. III. p. 125. et, si placet, inepti poetae versus de Maria Aegyptia apud Creuzerum Plotin. p. 226.

> *σκοτίζεται δὲ νυκτομαχοῦσα τέως,*
> *τῷ ψηλαφητῷ τῆς ἁμαρτίας σκότει.*

quod ille hausit e libris sacris Exod. 10. 21. unde etiam profecit Miltonus, propius caeteroquin persequens Tibullum, Parad. Lost II. 404.

> *who shall* tempt
> with wandring feet
> *The dark unbottom'd infinite abyss,*
> *And through* the palpable obscure *find out*
> *His uncouth way.*

78. EXPLORAT CAECAS CUI MANUS ANTE VIAS] *Cui*, ait Heynius, explicandum *cum ei*, ut fere mox El. 2. 6. IV. 1. 184. nisi malis reponere *dum* — Videtur tamen ex genio Poetae legendum vel *sed* — vel, quod malim, *et*. — Vossius novam iniit rationem, ut illud *cui* suspectum redderet, quam quidem rationem exposui supra ad I. 4. 6. *sicca canis*. Igitur e coniectura Heynii, quod mireris, reposuit *dum*, causam in-

Ah miseri, quos hic graviter Deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor!
Sancte, veni dapibus festis; sed pone sagittas,
Et procul ardentes, hinc procul, abde faces.

terserens, hanc particulam eundem locum obtinere I. (4.) 3. 56.

Messalam terra dum sequiturque mari.

Mirum commentum! Nonne etiam pronomen *cui* hunc locum obtinet I. 6. 40.

Effluit effuso cui *toga lapsa sinu?*

Ubi, quae annotavimus, satis demonstrant, procul dubio Tibullum etiam hoc loco scripsisse,

Explorat caecas cui *manus ante vias.*

79. QUOS HIC GRAVITER] *hic* deest in Ed. mai. a. 1472. etiam in Vicent. et Reg. Lep. Vide, quae statim annotabimus ad II. 4. 38.

81. SANCTE, VENI DAPIBUS] Ed. min. a. 1472. *Sancte, veni pedibus.*

82. HINC PROCUL ABDE FACES] Cod. Paris. habet *precor*, sed a recentiore manu ex *procul* inmutatum, quod e suo libro reposuit Scaliger. Sic Lipsii et Perrei. Excerpt. complures libri Voss. Alii, ut Lips. unus Broukh. duo Anglicc. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. *hinc precor adde.* Witt. cum duobus Broukh. Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. Plant. Gryph. 1573.

Et procul ardentes hinc precor *abde faces.*

Iam etsi libri scripti numero plurimi, editi ante Scaligerum, quod sciam, omnes *precor* habent, tamen nemini dubium videbitur, quin recte Scaliger reposuerit *procul*, partim quia haec particula eodem modo geminatur I. 6. 42. partim quia *precor*

Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce; palam pecori, clam sibi quisque vocet;

V. 83 — 84. vocate: Voce palam —

eadem varietate confunditur cum *procul* III. 6. 52.

ite a me, seria verba, procul.

83 — 84. PECORIQUE VOCATE VOCE; PALAM] *Palem* primus edidisse fertur Aldus. Sed haec scriptura iam exstat in Ed. min. a. 1472. Veteres editores locum ita interpungunt, *pecorique vocate Voce palam pecori:* ut Reg. Lep. vel *Voce palam:* ut Edd. Venet. 1491. et Ald. 1502. quae *Palem* habet. Rectius Plantin. curata a Pulmanno:

Vos celebrem cantate deum, pecorique vocate
Voce, *palam pecori, clam sibi quisque vocet:*

Quam interpunctionem Heynius etiam adhibuit, in Observationibus tamen scribens: Ambiguum quoque esse potest, sitne interpungendum, *pecorique vocate; Voce palam pecori, clam* — quod expressit Vossius. Male. Est enim solemnis precandi formula, *deum voce vocare.* Ennius exprimens Homer. Il. η. 150. apud Ciceronem Divin. I. 20.

Quamquam multa manus ad coeli caerula templa
Tendebam lacrimans et blanda voce vocabam,

Virgilius VI. Aen. 247.

Voce vocans *Hecaten coeloque Ereboque potentem.*

Idem fere est *voce vocare* ac *voce precari.* Virgil. IX. Aen. 403.

Suspiciens altam Lunam sic voce precatur.

Sic *καλεῖν βοᾷ, καλεῖν λιταῖς* apud Euripidem Phoen. 690. Pors. *Voce* eodem modo posuit Catullus LXIV. 159.

Aut etiam sibi quisque palam: nam turba jocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.
Ludite! iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo Sidera fulva choro.
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, et incerto Somnia vana pede.

V. 89. furvis. 90. nigra.

At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miserae sperare iubebas.

Frustra ad Edd. vett. provocat Mitscherlichius, *blanda — Voce mihi* exhibentes, Lectt. in Catull. p. 104. Nam Ed. princ. habet *nobis*, quamquam etiam, *Voce mihi — miseram.* Porro melius sibi respondent *palam* et *clam*, quam *voce palam* (quae nemo ita coniungit) et *clam*. Tibullus IV. 5. 20.

Quid refert, clamve palamve *roget?*

Homerus, iam a Pomponio Laeto comparatus cum hoc loco, Il. η. 195.

ἀλλ' ἄγετ', ὄφρ' ἂν ἐγὼ πολεμήϊα τεύχεα δύω,
τόφρ' ὑμεῖς εὔχεσθε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι
σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται,
ἠὲ καὶ ἀμφαδίην, ἐπεὶ οὔτινα δείδιμεν ἔμπης.

86. OBSTREPIT] Ed. min. a. 1472.

Obstrepet et phrygio sydera fulva toro.

Sic etiam Reg. Lep. In utraque Editione omissi sunt versus 87 et 88. Vicent. hos quidem versus habet, eadem tamen etiam *Obstrepet*. Ed. min. 1472. Venett. 1491. 93. *Obstrepit.*

89 — 90. POSTQUE — FUSCIS — INCERTO SO-

MNIA NIGRA PEDE] Hic locus prima statim Chalcographiae aetate duplici modo edi coeptus est, primum ita:

Postque venit tacitus fulvis *circumdatus alis*

Somnus et incerto somnia vana *pede.*

Sic Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. 1486. Venett. 1491. 93. eaque lectio firmatur Florentino Stat. Guelff. 1. 4. Vindob. Voss. quinto, uno Anglic. Alteram lectionem induxit Ed. min. a. 1472.

Postque venit tacitus fulvis *circumdatus alis*

Somnus et incertos *somnia* nigra *pede.*

Incertos etiam unus liber Heinsii habebat, adhaerescente huic voci littera *s* ex sequente *somnia.* Nihil amplius. At Broukhusius huic scripturae plus tribuens, quam par erat, *pede* ultro mutandum censebat in *pedes*, quod, inquit, potuit fuisse Graecismus, *Somnia incertos pedes nigra.* Hoc commemorare est refellere. *Nigra* primum repetivit Aldus. Aldum secuti sunt posterioris aevi Editores omnes. Exstat haec lectio in duobus Witt. duobus item Broukhuss. compluribus Voss. Paris. et Lips. Laudi liber mendose *mera.* Non apparet, quo modo confundi potuerint *vana* et *nigra.* At *nigra* substitui potuit a librario, quem *noctis* occaecaret *nigror*, sicut alius Florentino intulit *nigris* v. 89. pro *fulvis*, quod mendum insidet libros plures, ut Lips. — Paris. *tacitis fulvis.* Alii *tacitis fulvus.* Heinsius corrigebat *furvis*, quod legitur in Guelf. 2. et Hamb. At Excerptt. Pocchi et Perr. quatuor libri Voss. et Colot. *fuscis*, quod revocavit Broukhusius. Placet hoc propterea, quod infra etiam similiter scribit Tibullus III. 4. 55.

Et quum te fusco *Somnus velavit* amictu,

Vanum *nocturnis fallit imaginibus.*

At hic ipse locus favet lectioni *vana.* Tametsi enim ibi *Vanus* is dicitur, quem somnia fallunt, tamen ad eundem modum dicuntur *somnia vana.* Vanis autem somniis bene convenit *pes*

incertus. Hanc igitur lectionem restitui, non curans Heinsii *pigra,* Broukhusii *vara*, Jacobsii *nixa.* Vide Virgilium VI. Aen. 283. Ovidium XI. Metam. 614. Propertium III. 6. 31.

Si non vana *canunt, mea somnia, Lygdame, testor.*

ELEGIA II.

Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras.
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.

ELEGIA II.

„Ad Cornutum." Edd. a. 1472. et Vicent. „Ad Chaeryntum de votivo sacrifitio sui natalis." Reg. Lep.

1. DICAMUS BONA VERBA — AD ARAS] Livius XXXVIII. 43. *Quos adorent*, ad quos precentur et supplicent, *Ambraciensibus non superesse.* Gronovius, Licet et genus loquendi observes: *ad quos precentur:* propter locum Tibulli lib. 2. Eleg. 2.

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras.

Quae verba in Scaligeri, Douzae, Passeratii, omnibusque, quas vidi, editionibus, ita distincta sunt, ut ipse natalis ad aras venisse intelligatur. Quo sensu quid ineptius? Ita autem sensit Poeta: *Dicamus bona verba ad aras, venit enim natalis.* — Sic hunc locum interpungendum esse, iam Muretus posuit in Scholiis. Non accedo. Nam primum minime ineptum sed usu receptum est, fingere deos ad sacra sua accedentes. Vide, quae diximus ad I. 7. 52 — 54. Deinde *dicere bona verba* locutio est absoluta, ut *omnia bona dicere* v. c. apud Terentium Andr. I. 1. 69. Tum rem demonstrant exempla, ut Aristophanis Thesm. 39.

Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.

V. 5. adsit Genius —

εὔφημος πᾶς ἔστω λεώς, στόμα συγκλείσας· ἐπιδημεῖ γὰρ
θίασος Μουσῶν ἔνδον μελάθρων.

Igitur recte Cyllenius locum interpungit in Commentario ita:

Dicamus bona verba: venit natalis ad aras.

4. E TERRA — MITTIT ARABS] Vulgo, quod scribit Broukhusius, *a* terra. Nempe ita legitur in Aldd. quibus praeivit Ed. min. a. 1472. Maior, ut Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et Venett. 1491. 95. *e terra.* Hanc lectionem habent libri plurimi, in his Paris. illam perpauci, ut duo Anglicc. Voss. 2. 4. Hamb. Lips. Vide II. 4. 30.

Venit et e rubro lucida concha mari.

5. IPSE SUOS GENIUS ADSIT] Hanc structuram Editiones veteres exprimunt sine exceptione omnes, praeeuntibus libris quam plurimis, in quibus censendi sunt Codd. Paris. et Lips. quorum ille habet *Genius assit*, hic *Genius absit.* Totum versum suum fecit Balbus carm. 4. p. 146. sed mutata structura,

Ipse suos adsit Genius *visurus honores.*

Ad quem locum Santenius notat p. 185o. „ex tribus meis codicibus duo vetustissimi verborum ordinem, quem dedit Balbus, agnoscunt; tertius recentior cum aliis: *Ipse suos Genius adsit.* Quam structuram concinniorem esse Heynio concedo, quia Tibullus alibi etiam caesurae productione utitur ut I. 10. 15.

Nunc ad bella trahor, et *iam quis forsitan hostis.*"

Sed huius loci diversa est

ratio. Sergius p. 1830. *Quintus modus est, quum correpta vocalis in unam consonantem desinit*, quae partem terminat orationis. *est enim longa in hoc:*

> *Omnia vincit* amor, et *nos cedamus amori.*

Enimvero Tibulli locus *Ipse suos Genius adsit* — cum his exemplis nihil commune habet, quandoquidem brevis syllaba hic producitur, *orationis parte nondum terminata*. Vel sic tamen verba non sunt transponenda, quia productio consonantis cadit in primam syllabam tertii pedis vel in penthemimerin, sicut v. c. apud Virgilium XI. Aen. 469.

> *Concilium ipse* pater et *magna incepta Latinus;*

ubi adeo ne vocalem quidam elidebant ac Synaloephen saepe negligebant Veteres. Virgilius Ecl. III. 6. 63.

> *Et succus* pecori *et lac subducitur agnis;*

IV. Aen. 235.

> *Quid struit? aut qua* spe *inimica ingente moratur?*

Nempe, quod scribit Bergen. Crit. Observ. p. 16. frequentius id fieri solet post primam syllabam tertii pedis, quam alibi, eodem fere iure, quo in fine versus ultima syllaba erat communis et quantitas negligebatur. „propterea quod Veteres non in sex pedes dispescebant genus Hexametrum, sed in duas partes ita, ut moram post primam tertii pedis syllabam facerent paulo breviorem, quam versu finito." Redit res ad observationem Varronis apud Gellium XVIII. 15. *omnimodo quintum semipedem verbum finire;* et priores quinque semipedes *aeque magnam vim habere in efficiendo versu atque alios* posteriores septem. De qua observatione vide, quae pro Varrone contra Muretum et Bentleium disputat Hermannus Element. Doctr. Metric. p. 333 — 336. Tanta autem masculae huius caesurae vis est, ut poetis epicis vel vocalem *brevem* in hac versus regione producere liceat, quod fecit Virgilius XII. Aen. 648.

> *Sancta ad vos* anima | atque *istius inscia culpae.*

Quae lectio unice firmatur hac observatione. Alii

Illius puro destillent tempora nardo;
Atque satur libo sit, madeatque mero.

V. 7. et pura.

Sancta ad vos anima atque istius nescia *culpae.*

Heynius, Reliqui scripti et editi constanter *inscia*, quod cur poeta, *metro vi illata*, maluerit, equidem ignoro. — Homerus Il. δ. 155.

φίλε κασίγνητε, θάνατόν νύ τοι ὅρκι' ἔταμνον.

Tibullo hanc licentiam denegavi supra ad I. 7. 61. nisi fallor, recte. Sed nunc de productione consonantis agitur, quae in hac regione minorem, immo nullam habet dubitationem. Igitur quem locum supra iam assignavimus Genio I. 7. 49. eundem ei hoc etiam loco tribuamus et porro legamus:

Ipse suos Genius *adsit visurus honores.*

6. CUI DECORENT — MOLLIA SERTA COMAS] In pronomine *Cui* nunc, quod miror, nemo offendit. Vide II. 1. 78. II. 5. 45. Cod. Heins. *Qui.* Pro *mollia* Askew. et Edd. Venett. Ald. Gryph. Plant. *florea.*

7. ILLIUS PURO DESTILLENT] Paris. *Illius pura distillent. Pura* habent etiam duo Broukh. et Thuan. Hoc nulla expressit Editio vetus. Nam principes habent *Illius puro distillent.* Reg. Lep. *distilent.* (Venet. 1475. et Brix.) Rectius Venett. 1491. 93. *destillent.* Lips. unus Broukh. et Ed. Vicent. *Illius e puro* distillent. Alii *et* pro *e.* Colb. *Illius et pura.* Liber Matt. *Illius et puro.* Copula ineleganter inseritur. Vide III. 4. 28. I. 7. 51. *e puro* praefert Wakefield. ad Lucretium IV. 1118. Heinsius ad Ovidium Ep. XV. 76. corrigit, *Illius Assyria* vel *Syria* — *nardo.* sicut Ruhnkenius Moscho I. 77. Ῥαῖνε δέ μιν μύρτοισιν ἀλείφασι, restituit, Συρίοισιν ἀλείφασι. Sed nihil mutandum esse patet ex iis, quae de *puro* vel *pura* nardo post Is. Vossium ad Catullum p. 267. disputat Spanhemius

U 2

Adnuat et, Cerinthe, tibi, quodcunque rogabis.

En age, quid cessas? adnuet ille: roga.

V. 9. rogaris.

ad Callimachi Hym. Apoll. 39.

9. ADNUAT ET — QUODCUNQUE ROGABIS] Haec proba *est*, omnibusque libris confirmata constructio, quam perperam Guyetus mutavit corrigendo *rogaris*. Horatius II. Serm. 8. 75.

> ——— *tibi Di*, quaecunque precaris,
> *Commoda dent; ita vir bonus es convivaque comis.*

Bentleius ibi, Balatroni optat Nasidienus, non quae nunc deos *precatur* (nihil enim), sed quaecunque alias *precetur*. Ergo reposuit *preceris*. Recte. At apud Tibullum non est dubium, quin Cerinthus rogaturus sit Genium, stans ad aram. Ergo retinendum est *rogabis*. Graeci ne illud quidem discrimen semper admittunt. Homerus Od. ξ. 53.

> *Ζεύς τοι δοίη, ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι*
> *ὅ,ττι μάλιστ᾽ ἐθέλεις, ὅτι με πρόφρων ὑπέδεξο.*

Vide Brunckium ad Aristophanis Av. v. 927. Jam constructionem praesentis coniunctivi cum futuro indicativi, interposito adverbio *quodcunque*, confirmemus aliquot exemplis. Horatius A. P. 339.

> *Ne*, quodcunque volet, *poscat sibi fabula credi.*

Ovidius III. A. A. 275.

> *Exiguo* signet *gestu*, quodcunque loquetur.

Propertius I. 13. 36.

> *Et*, quodcunque voles, *una sit ista tibi.*

Ubi Dousa perperam reposuit *quotcunque voles*. Nec dubito, quin vera sit lectio I. 1. 28.

> *Sit modo libertas*, quae volet *ira*, *loqui.*

Auguror, uxoris fidos optabis amores;
Iam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
Nec tibi malueris, totum quaecunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove:
Nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.

Sed Tibullus non indiget alieno patrocinio. Ipse supra iam scripsit I. 4. 59.

> *Tu puero* quodcunque *tuo tentare* libebit,
> Cedas. *obsequio plurima vincit amor.*

10. QUID CESSAS? ADNUET ILLE] Sic edidit Broukhusius e Lips. Excerptt. — Edd. vett. Codd. Paris. Lips. *annuit.* Virgilius VI. 51.

> Cessas in vota precesque
> *Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent —*

12. EDIDICISSE] Ed. min. a. 1472. *didicisse.*

15. NEC TIBI — INDIS] Supplendum esse e v. 13. *malueris*, satis apparet. Propertius I. 8. 33.

> *Illa vel angusto mecum requiescere lecto.*
> *Et quocunque modo* maluit *esse mea,*
> *Quam* sibi *dotatae regnum vetus Hippodamiae,*
> *Et quas Elis opes ante pararat equis.*

Hoc quid sit, neque Heinsius intellexit, qui *emi* pro *equis* substituit, nec Marklandus, qui e versu minore adsumsit *parari.* Paulo melius rem expedivit Burmannus. Caeterum pro *Indis* longe lateque dominatur *undis* in Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Aldd. et sic porro usque ad Venet. 1750. praeëuntibus libris plurimis, etiam Lips. qui *undas* habet. Nemo igitur ante Broukhusium obtemperare vo-

Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,
    Flavaque coniugio vincula portet Amor?
Vincula, quae maneant semper, dum tarda senectus
    Inducat rugas, inficiatque comas.
Hac venias, Natalis, avi, prolemque ministres:
    Ludat et ante tuos turba novella pedes.

V. 22. ut,

lnit Ed. Brix. et Venetis cum commentario Cyllenii, in quibus est *Indis*, quam lectionem confirmant Pocchi et Perreii Excerptt. Voss. 2. 3. 5. Bern. Paris. et Guelf. 1. eamque Fruterius coniectura assecutus erat. IV. 2. 19.

> *Et* quascunque *niger rubro de litore gemmas*
> *Proximus* Eoïs *colligit* Indus *aquis.*

17. VIDEN' UT TREPIDANTIBUS] Vulgo, *utinam strepitantibus*. Thuan. et Askew. *ut strepitantibus*. Unde Heinsius vel Guyetus formavit *viden' ut*, quod plene legitur in Voss. 3. Pro *strepitantibus* Broukhusius e libris quibusdam reposuit *trepidantibus*. Ed. min. a. 1472. *trepitantibus*.

19. VINCULA, QUAE MANEANT] Cod. Paris. *Vincula quae et*. Bern. et Ed. min. a. 1472. *vinculaque et maneant*. Nempe scribebatur in antiquis libris, ut in Cod. Lips. *Vincula* que *maneant*. Hinc illa vitia orta sunt.

21. HAC VENIAS, NATALIS, AVI] Codd. Paris. et Lips. *Hic veniat — avis*. Ed. mai. a. 1472. *Haec ueniat — avis*. Ed. min. *Huc ueniet*. Vicent.

Venett. 1491. 95. Aldd. Stat. Plantin. etc. *Huc veniat.* Reg. Lep. *Haec veniet.* In nullo libro exstat, quod Heinsius substituit, Hac venias, *Natalis, avi — ministres.* Melius profecto hoc, quam quod profert et probat Is. Vossius ad Catullum p. 21. *natalis anus*, ut est in uno Anglicano. Propertius IV. 1. 40.

O quali ducta est Dardana puppis avi!

Sed non video, quare Heinsius *veniat* et *ministret* mutaverit in *venias* et *ministres.* Quidni enim turba novella ludat ante pedes Cerinthi? Locum ita constituendum conseo:

Hac veniat *Natalis* avi *prolemque ministret,*
Ludat ut *ante tuos turba novella pedes.*

22. LUDAT ET] Cod. Paris. *Et ludat.* Ursini liber *Ludat ut.* Homerus Il. ε. 408.

οὐδέ τί μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν.

ELEGIA III.

Rura meam, Cerinthe, tenent villaeque puellam:
Ferreus est, eheu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus laetos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.

V. 2. heu heu, si quis. 3. latos iam commigravit.

ELEGIA III.

1. CERINTHE] Reg. Lep. *chaerime*. Caeteri *Cornute*. Diversum a vulgato verborum ordinem habent Ed. Rom. 1475. Venett. cum comment. Cyllenii, Aldd. — Venet. 1750. apud Ios. Bertella, nullius fere libri auctoritate munitum:

Rura tenent, Cornute, meam villaeque puellam.

2. EHEU QUISQUIS] Nostri libri, *heu heu quisquis*. Cod. Vatic. *si quis*. Nihil interest. Etiam Balbus *quisquis* in libris suis invenit, scribens carm. 20. p. 155.

Ferreus est, Patavi quisquis in urbe manet.

3. LAETOS IAM NUNC MIGRAVIT IN AGROS] Codd. Paris. Guarn. et Lips. Ed. min. a. 1472. Venet. 1475. Brix. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. etc. *latos*. Ed. mai. a. 1472. et Vic. *notos*. Guelf. 2. et Exc. Lips.

O ego, dum adspicerem dominam, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum,

V. 5. ut adspicerem.

laetos. Santenius ad Balbum p. 1827. „nostri Codices habent *latos*, et ipse Tibullus in eadem elegia v. 65. agros vocat *tristes.* Memoratu sane digna Heinsii coniectura *Latios.*" Iam Muretus, quod e veteribus libris se reposuisse profitetur, *laetos agros* explicat dominae praesentia hilaratos. Sed *laeti* agri universe sunt *virentes.* Horatius IV. 4. 13.

Qualemve laetis *caprea* pascuis —

Ovidius IV. Fast. 476.

Sacrorumque Melan pascua laeta *boum.*

Vossius, qui *latos* praetulit, quoniam apud Horatium I. Ep. 10. 23. domus laudatur, *longos quae prospicit agros:* (quidni potius propterea, quod III. carm. 11. 9. latis *equa trima* campis *Ludit exsultim?* ubi vide Bentleium) hic igitur quaerit, quid sibi velit *iam nunc* migravit? Quod ferendum esse negans, ut Venus *iam* migrarit et *nunc* migrarit, emendavit *iam commigravit*, id est, Venus nunc cum Amore, Gratiis et *Nymphis* rus migravit. Utinam pessimam emendationem in contextum non intulisset vir eruditissimus! Nihil frequentius est hac particularum illarum *iam nunc* coniunctione, nec separatim illae verti, sed coniunctim sumi debent, ut saepe apud Terentium, v. c. And. I. 1. 144.

eamus nunc iam *intro.*

Ubi vide Ruhnkenium. Catullus LXIV. 143.

Nunc iam *nulla viro iuranti femina credat.*

Ed. a. 1472. *Tum iam.* Male substituit, nescio quis, *Iam, iam.* Vide Passeratium. Propertius II. 30. 19.

Num iam, *dure*, *paras Phrygias* nunc *ire per undas?*

4. VERBAQUE ARATORIS — DISCIT] Askew. *araturis.* Vide I. 10. 46. Porro pro *discit* Voss. 5. et Lips. habent *dixit.* Ed. princeps *dicit.* Unus Stat. *miscet.*

5. O EGO, CUM DOMINAM

Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves.

V. 7. curvus. 8. subigant.

ASPICEREM] Haec structura primum expressa est in Edd. Venetis cum commentario Cyllenii, unde profecta est in Ald. 1502. quae tamen habet, *O ego cum dominam aspirem.* Nostri libri omnes, Codd. Paris. et Lips. (Guarn.) Edd. principes, Reg. Lep. Vicent.

O ego cum aspicerem dominam, *quam fortiter illic.*

unus Broukhus. *dum,* nullus *ut*, quae Vossii emendatio est. Tu si comparaveris vss. 75 — 78. ubi eandem sententiam repetendo scribit Tibullus, se sulcaturum esse agros, *si modo sit copia*, quamvis rara, *videndi dominam*, facile mihi concedes, veram esse scripturam, *dum adspicerem dominam*, vel etiam, *dum dominam adspicerem.* Nec huic lectioni obstat, quod v. 8. alio sensu repetitur, *Dum.* Accedit quod I. 2. 75. similiter scripsit:

Et te dum liceat *teneris retinere lacertis,*
Mollis in inculta sit mihi somnus humo.

6. VALIDO] In nonnullis pro *Valido* erat *Calido.* STAT. Ita est in uno Gebh. et Edd. Venet. 1475. Brix. et Venetis cum comm. Cyllenii.

7. CURVUM SECTARER ARATRUM] Hoc libri nostri omnes exprimunt, nisi quod Cod. Lips. habet:

Agricoleque modo circum setarer *aratrum.*

Quod dictum foret ad similitudinen graecae locutionis ἀμφέπειν τὸ ἄροτρον.

8. DUM SUBIGUNT] Hic iterum Vossius, invitis omnibus, quotquot exstant, libris tum scriptis tum editis, *subigunt* mutavit in *subigant.* Quid ita? Quia, inquit, scribi

Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Laederet aut teneras pustula rupta manus.

V. 9. quom sol.

ita solet pro *Dum subigerent*. Vide v. 19. Nempe pendere hoc verbum censet a verbo *sectarer*. Nullusne alius construendi modus supererat? Hoc dicit Tibullus, *et curvum sectarer aratrum* agricolae modo, id est, *sicut agricola curvum sectatur aratrum*,

> Dum subigunt *steriles arva serenda boves*.

9. NEC QUERERER, QUOD — EXURERET] Ed. min. a. 1472. *Nec queror — arctus*. Corvin. *quum*. Lips. *exerceret*. Vitiose omnes, Corvin. etiam barbare. Nam ista legitima est constructio, *queror quod*, non *queror quum*; quam lectionem „in tanta evidentia" post Wunderlichium reponere non dubitavit Vossius. Cicero II. Acad. 25. *Quid? talpam non desiderare lumen putas? neque tam quereretur cum deo*, quod *parum longe*, quam quod *falsum videret*. Nepos XII. 3. *Tum praefecti regis Persiae legatos miserunt Athenas* questum, quod *Chabrias adversum regem bellum* gereret *cum Aegyptiis*. Val. Maximus IX. c. 2. §. 11. Queramur *nunc cum natura rerum*, quod *nos adversae valetudinis incommodis obnoxios esse* voluerit; *habitumque coelestis roboris humanae conditioni denegatum moleste feramus*, quum *tot cruciatus sibimet ipsa mortalitas impulsu crudelitatis* excogitaverit. Plinius VII. Ep. 4. de Ciceronis quodam epigrammate:

> *Nam* queritur, quod *fraude mala frustratus amantem*
> *Paucula coenato sibi debita suavia Tiro*
> *Tempore nocturno* subtraxerit.

10. LAEDERET AUT] Ita edi coeptum est ab Ald. 1515. Superioris sae-

Pavit et Admeti tauros formosus Apollo;
Nec cithara, intonsae profueruntve comae.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
Quidquid erat medicae vicerat artis amor.
Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas —

* * *

V. 15. *Lacuna sic expletur:* Et potum pastas ducere fluminibus.

culi editiones habent *et*, Ed. Rom. *Luderet et*, sicut est etiam in Cod. Lips. Paris. *Laederet et.*

11. ADMETI TAUROS] Paris. Guarn. et Askew. *Armenti.* Lips. *amenti.* Conf. Theocriti I. 109. et Virgilii Ecl. X. 18.

Et formosus *oves ad flumina* pavit *Adonis.*

12. PROFUERUNTVE COMAE] Cod. N. Heinsii *profuerintve.* Vindob. *profuerantque.* Vide, quae dicentur infra ad II. 4. 17. de particulis copulativis post negationem negantibus. Unde patebit, quam bene supra I. 3. 37. ubi item *que* et *ve* permutantur, nunc legatur:

Nondum *caeruleas pinus contempserat undas,*
Effusum ventis praebueratque *sinum.*

14. QUIDQUID ERAT — AMOR] De singulari hac verborum traiectione vide, quae scripsi ad I. 9. 25. p. 259. et in Wolfii Anal. Litter. Vol. I. p. 172. seq. Horatius II. Serm. 1. 60.

Quisquis erit vitae, scribam, color.

Ovidius I. Epistt. 57.

Omnia namque tuo senior *te quaerere* misso
Retulerat nato Nestor, *at ille mihi.*

Iam distichon, quod huic versui subiunxit Vossius,

legitur illud etiam in Cod. Lips. item in Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. etc. adiecto altero, de quo dicetur postea. Maiorem versum, quem habent libri, quod sciam, omnes, Cyllenius ita legit:

Ipse deus solitus stabulis depellere *vaccas.*

Scribit enim in Commentario: „*stabulis depellere.* a stabulis in pascua agere.“ Sic legitur etiam in duobus Statian. Male. Illud exprimit graecam formulam σηκῶν ἐξελαύνειν, v. c. Homer. Od. ι. 227. 312. Hunc versum neque Muretus νοθείας suspectum habuit, neque Heynius; qui quamvis totum distichon, obtemperans Scaligero, omiserit, tamen in Observationibus scribit, „Mihi videtur primus versus antiquior et ab ipsa Tibulli manu esse.“ Ego huic similem notavi apud Lucanum, V. 139.

Seu Paean solitus templis arcere nocentes.

Longe maiorem dubitationem habet pentameter, cui in aliis libris alii substituuntur, in Guarneriano,

Ipse ad umbrosas ducere fertur aquas;

in Corviniano,

Cogere cum parvum matre simul vitulum;

in libris Mureti partim hic,

In nemora et pastas inde referre domum;

partim is, quem Statiani etiam, Dresd. Guelf. 5. et Paris. exhibent,

Creditur ad mulctram constituisse prius,

vel, ut in uno Palat. legitur, *pecus*, in Paris. *mulcram.* Iam tres istos priores versus adulterinos esse, ipsa orationis forma prodit; quarti ne auctor quidem ignotus est. Nam in Cod. Dresd. adscripsit librarius: *Seneca.* in Paris. totus versus minoribus litteris, quamquam ab eadem manu, exaratus est, addita item hac nota: *Seneca supplevit.* Vide I. 2. 25. Reliquus est quintus:

Et potum pastas *ducere fluminibus,*

sive, quod alii libri habent cum Edd. a. 1472. Vic. et Reg. Lep. *fessas.* Cod. Lips. *Et* ponam *fessas* etc. De hoc versu scribit Muretus, testis oculatus, Hic postremus, qui

trium minime ineptus est, in vetere quodam libro scriptus est ad marginem cum hac additione, *Versus Aurispae.* Nempe Aurispa hunc versum fecit ad exemplum Virgilii Ecl. IX. 23.

> *Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas,*
> Et potum pastas age, *Tityre.*

perperam tamen verbo *agere* substituens *ducere.* Nec recte scribitur *ducere vaccas fluminibus,* sed *agere ad flumina.* Virgilius Ecl. V. 24.

> *Non ulli pastos illis* egere *diebus*
> *Frigida, Daphni, boves* ad flumina.

Nisi forte ineptus interpolator verba ita accipi voluit, ut *potum* construeretur cum *fluminibus.* Porro bubulci non *ducunt* armenta, sicut pastores interdum oves (I. 10. 10.), sed ea *sequuntur*, ut rem intelligi in simili loco voluit etiam Homerus Il. σ. 575.

> *μυκηθμῷ δ' ἀπὸ κόπρου ἐπεσσεύοντο νομόνδε*
> *πὰρ ποταμὸν κελάδοντα, παρὰ ῥαδανὸν δονακῆα.*
> *χρύσειοι δὲ νομῆες ἅμ' ἐστιχόωντο βόεσσι —*

Haec quocunque vertas, rimarum plena hac atque illac perfluunt. Nec debebat tali versu deformari contextus carminis. Nam si hic admittitur, quidni etiam distichon, quod veteres non respuerunt Editores:

> *Et miscere novo docuisse coagula lacte:*
> *Lacteus et mistus obriguisse liquor?*

ut est in Codd. Paris. et Lips. Edd. a. 1472. Reg. Lep. Vicent. etc. vel potius illud longe elegantius distichon, quod, monente viro docto ad marginem Ed. Vic. in Bibl. Götting. utrique illi interposuit Pontanus:

> *Ipse et spumanti fertur mulctralia succo*
> *Implesse expressis primus ab* abietibus?

vel, ut rectius legitur in Guelf. 2. *uberibus*? Nam ut maior versus derivatus est e Virgilii III. Georg. 177.

> *nivea* implebunt mulctralia *vaccae;*

ita minor e Propertii II. 34. 70.

Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci,
Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties, illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror.

V. 15. Tum.

Missus et impressis hoedus ab uberibus;

quae certissima interpolationis nota est. Vide Broukhusium ad Propert. II. 20. (26.) 28. Ex his igitur versibus, quos adhuc recensui, non nisi unus, fons et origo malorum, Tibulli videtur, is qui in Cod. Lips. sic legitur:

Ipse deus solitus stalibus expellere uacas.

15. TUNC FISCELLA] Codd. Paris. et Lips. *Tunc fixella*. *Tum* nullus liber habet neque scriptus neque editus.

17. O QUOTIES] Edd. Venett. 1491. 93. *Ah quotiens*. Eaedem tamen mox v. 19. *O quotiens*. Edd. Ald. Plantin. utroque loco *Ah quoties*. At eaedem Edd. alibi item habent *O quoties*, ut I. 3. 19. O quoties *ingressus iter*. I. 9. 41. O quoties — *lumina nocte tuli*. Neque ibi variant libri. Uno tantum hoc loco, de quo agimus, duo Codd. habent *Ah*. reliqui *O quoties*. Quae lectio, si quid valet librorum auctoritas et numerus, servanda est. Aliter se res habet apud Propertium. Hic semper, ubi exclamatio est dolentis, scribit *Ah quoties*, ubi laetantis, *O quoties*. I. 5. 13.

Ah mea contemptus quoties ad limina curres!

II. 32. 11. III. 15. 15 — 15. E contrario I. 10. 4.

O quoties *votis illa vocanda meis!*

Similem obversationem vide infra ad v. 74 — 75.

18. OCCURRENS — SOROR] Guarn. *occumbens*. Guelf. 4. *erubuisse caput*.

O quoties ausae, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves.

V. 19. quotiens — quom.

19. O QUOTIES AUSAE, CANERET DUM] Cod. Lips. *O quoties uisae.* Porro quatuor ad summum libri et Ed. min. a. 1472. *cum* vel *quom* habent pro *dum*, quod illi vitiosum, mihi unice verum videtur. Virgilius IV. Georg. 457.

Illa quidem, dum *te* fugeret *per flumina praeceps*,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit *in herba.*

Claudianus XXXVII. 101.

Quod timuit, *iam totus erat*, *saevusque Damastor*,
Ad depellendos iaculum dum quaereret *hostes*,
Germani rigidum misit *pro rupe cadaver.*

Suetonius Octav. 78. *Sic quoque saepe indigens somni*, *et* dum per vicos deportaretur, *et deposita lectica*, *inter aliquas moras*, condormiebat. Ergo etiam recte scribitur apud Frontinum I. 5. 2. *vallum cervulis et alio materiae genere constructum incendit*, dumque *ignibus* submoverentur *hostes*, *ipse fluvium superavit.* Neque enim audiendus est Vossius, regulae illi, quam proposuit ad Virgilium IV. Georg. 560. convenienter reponens, *dumque* — *submoventur.* Qua regula et hoc loco abutitur et vero etiam supra ad v. 9. magis tamen Heindorfius ad Horatium I. Serm. 5. 72.

Paene, *macros*, arsit, dum *turdos* versat *in igni.*

Nam hic, longe illo confidentius, *dum*, inquit, pro *interim dum* — semper et ubique, sine exceptione, in prorsa et vorsa oratione coniungitur cum forma praesentis Indicativa. Quod cave credas, quamvis idem fere praeceperit Gronovius ad Livium I. 40. extr. et XXXV. 8. Quam apposita autem nunc sit particula *dum*, vel

Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit et e templis irrita turba domum.
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.

V. 22. a.

Horatii locus evincit I. Carm. 9.

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen *et ultra*
Terminum curis vagor expeditis
Fugit *inermem.*

21. SAEPE DUCES TREPIDIS] Cod. Lips. *tepidis.* Virgilius IV. Georg. 449.

Venimus hinc lapsis *quaesitum oracula* rebus.

22. VENIT ET E TEMPLIS] Cod. Paris. Edd. a. 1472. Reg. Lep. Vicent. *a templis.* Cod. Lips. *ad templis.* Brix. Edd. Venetae 1491. 93. Ald. 1502. *e templis.* Errat enim Heynius, qui ita edi coeptum esse ait inde ab Ald. sec. quae habet *a templis*, ut Muret. Stat. Plantin. Santenius ad Balbum carm. 67. p. 1834. „*et e* iam comparet in Brixiensi 1486. apud Broukhusium et in Veneta penes me anni 1493. At Venetae 1475. et Rhegiensi cum pluribus aliis consentit Corvin. et penes me Codex Askewianus et recentior; item Datianus, qui habet *et ad.* Burmannus patruus volebat, *at e.* Similis confusio II. 4. 30.

et a *rubro lucida concha mari.* —

Caeterum ex priore Tibulli loco iure Ursinus et Gruterus plerorumque vetustorum exemplarium lectionem defendunt in Cicer. III. Verr. c. 12. *illusos se et* irritos *ab iudicio discessuros videbant;* confirmante Codice etiam Huidecoperiano, pro *irrisos.*" Ovidius III. A. A. 637.

Quum fuget e templis *oculos Bona Diva virorum.*

Alii item *a templis.* Vide supra El. 2. 4. I. 10. 51.

Rusticus e *lucoque vehit* — domum.

Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho?
Nempe amor in parva te iubet esse casa.

V. 27. Python?

25. QUISQUIS — CRINESQUE SOLUTOS] Unus Stat. *si quis*. Haec supra etiam confunduntur v. 2. Hamb. *crinemque solutum*.

27. DELPHICA PYTHO?] Codd. Paris. et Lips. Ed. min. a. 1472. *phito*. Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. et Venett. *phyton*. Notabilis haec constantia est librariorum veterumque editorum, pro *Python* vel *Pytho*, scribendi *Phython*, *Phito*, *Phytho*. Nec haec lectio sensu cassa est, ne quis erret. Nam *Phyto* nomen est Sibyllae non quidem Delphicae, sed Samiae, de qua dicetur infra ad II. 5. 68. Primus, quod sciam, Aldus reposuit *Pytho*, quod posterioris aevi Editores retinuerunt, praeter Vossium, omnes. Utram igitur formam praeferemus, *Python* an *Pytho*? Graeca, inquit, forma *Python* nobilior est. Quasi *Pytho* non sit forma graeca. Pindarus Pyth. IV. 116. τῷ μὲν Ἀπόλλων ἅ, τε Πυθὼ κῦδος ἐξ ἀμφικτιόνων ἔπορεν ἱπποδρομίας. Sine dubio retinenda est forma *Pytho*. Nam *Python* Latinis scriptoribus serpens ipse est. Vide Heynium ad Apollodor. Observ. p. 19. Formam orationis graecam esse, iam Statius monuit, laudans Euripidem in Phoen. (1682.)

ὁ δ' Οἰδίπους ποῦ, καὶ τὰ κλείν' αἰνίγματα;

Ubi vide Valckenarium. Conf. Homer. Il. ο. 440. Virgilium V. Aen. 591.

ubi nunc *nobis deus ille*, *magister*
Nequidquam memoratus, *Eryx?* ubi fama *per omnem*

Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Servire aeternos non puduisse Deos.
Fabula nunc ille est; sed cui sua cura puella est,
Fabula sit, mavult, quam sine amore Deus. — —

V. 31. **est. Sed si cui cura puellae.** 32. *Cum hoc versu connectitur posterior pars Elegiae* 61 — 79. *Reliqui v.* 33 — 60. *separatim positi sunt, tanquam integra et absoluta Elegia.*

Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?

29. VENERI CUM FERTUR APERTE] Voss. 1. *tum.* Unus Broukhus. *apertae.* quod ille praeferendum censebat. Quo iure, docebit locus Pindari, laudatus infra ad v. 71. In Cod. Lips. deest *olim;* caetera ita scripta sunt:

Felices dum *ueneri cum fertur aperte.*

31. SED CUI SUA CURA PUELLA EST] Sic Cod. Paris. et Ed. min. a. 1472. cum aliis. Lips. *sed cui sua cura puellae est.* Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vic. et Reg. Lep. *sed cui* nunc *cura puellae est.* Venetae 1491. 93. non nisi *est* omittunt. Tandem Ald. priorem lectionem restituit, omisso tamen verbo, quod revocavit Scaliger:

Fabula nunc ille est, sed cui sua cura *puella* est.

Quod satis placet propter locum similem IV. 10. 5.

Si tibi cura toga *est potior.*

Ovidius VIII. Metam. 724.

Cura pii Dis sunt *et, qui coluere, coluntur.*

Propertius I. 1. 35.

Hoc, moneo, vitate malum. Sua quemque *moretur*
Curá, *neque adsueto mutet amore locum.*

Quo loco *cura* absolute ponitur pro *puella*, sicut graece etiam puellae dicuntur *μελήματα νεανιῶν.* Vide viros doctos ad Gre-

At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.

V. 33. tristi cui.

gor. Corinth. p. 182. ed. Schaef. Vulgata igitur lectio maiorem habet probabilitatem, quam scriptura libri Thuan. *sed* si cui *cura puellae*. quamvis ita etiam scribant poetae, ut Propertius III. 23. 3. et Sappho X. Anal. Brunck. Tom. I. p. 57.

Ἀτθὶς, σοὶ δ᾽ ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο φροντὶς δήν.

33 — 60. Scaliger hos versus transtulit in Elegiam Libr. II. 6. post versum 14. Heynius haec contra: „Quae hinc sequuntur aliena sunt. temere quidem a Scaligero in Eleg. sextam huius libri reiecta: nam ibi locum suum non magis tuentur, quam hic; seiungenda tamen, ut fecimus, a ceteris, statuendumque, esse hoc fragmentum alterius Elegiae, quod male hoc loco insertum est seu casu seu quod simile initium versus 16. *At tibi dura Ceres* — fraudem fecit.“ In eandem sententiam disputat Vossius Praef. p. XXIV. audacior tamen Heynio hos versus separatim posuit, hoc est, e fragmento fecit integram, si dis placet, Elegiam. Series carminis — nam posse haec inter se conciliari, quis praefracte neget? — series igitur carminis pendet a *cura puellae* v. 31. quae a divite *praedatore*, quem detestatur Tibullus proximis versibus, 33 — 60. *abduci* se passa erat *ab urbe* v. 61. in *rura* et *villas* v. 1. Nam nisi *una cum* praedatore illo, quem dicit v. 41. ruri degisset Nemesis, quid impediebat Tibullum, quo minus eam sequeretur, et cum ea viveret? Enimvero puellam ibi reperisset *clausam* domo praedatoris v. 73 — 77. Hinc illae lacrimae! Tamen vel sic, inquit, eo properabo, ne servilem quidem denegaturus conditionem. Nam si non *tangendi*, at erit saltem *copia videndi* v. 76. Ducite igitur,

— *ad imperium dominae sulcabimus agros.*

33. AT TU, QUISQUIS

Ferrea non Venerem, sed praedam saecula laudant;
Praeda tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis;
Hinc cruor, hinc caedes, mors propiorque venit.

IS ES, CUI] In Dresd. *tu*, in Lips. *is* omissum est. Hic porro habet cum Cod. Paris. Ed. mai. a. 1472. et Vicent. *est cui*. Ed. min. a. 1472. Reg. Lep. et Venett. *es cui*. Dresd. (cum quibusdam aliis) *est tristi cui*, qua traiectione versus minime fit elegantior. Omnes, exceptis Venett. mox *Imperat ut nostra*, pro *Imperitat nostra*, quod revocavit Muretus.

35. VENEREM — LAUDANT] Duo libri Scalig. *Pacem*. Gothan. *narrant*.

36. MULTIS EST OPERATA MALIS] Unus Stat. duo Broukhus. Guelf. 2. *adoperta*. Falso quidem, melius tamen, quam quod infra II. 4. 36. substituerunt librarii:

> *Quale bonum* multis abdidit *ille* malis.

37. CINXIT DISCORDIBUS] Muret. *cingit*, quod legitur in uno Broukh. et tribus Voss. Unus *auxit*. Duo *finxit*, id est, *tinxit*, ut habet unus Statii. At Broukhusius e Colb. recepit *acuit*, ex aliis *crudelibus*. quod recte refutarunt Vulpius e Virgilii II. Georg. 459. Heynius ex Aen. XI. 556. Lips. ita:

> *Preda feris acies cinxit* p̄cordimus *armis*.

38. HINC CRUOR] Ed. mai. a. 1472. Reg. Lep. Vicent. Venet. a. 1475. apud Broukh. et Lips. apud Heynium *Hinc amor*. Ab his omnibus discedit Ed. min. a. 1472. cum Venett. 1491. 95. quae habent, *Hinc amor*. Broukhusius e libris quibusdam, *Hinc furor*. Ovidius VI. Fast. 599.

> Hinc cruor, hinc caedes, *infirmaque vincitur aetas*.

Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.
Praedator cupit immensos obsidere campos,
Ut multo innumeram iugere pascat ovem;

V. 42. mille innumera iugera — ove.

40. BELLICA CUM DUBIIS] Ed. mai. a. 1472. Venet. a. 1475. Lips. Reg. Lep. Vicent. et Brix. a. 1486. *tum*. quod praeferendum videtur Heynio. Ed. min. a. 1472. et Venett. 1491 — *cum*.

41. OBSIDERE] Codd. Paris. et Lips. *obsistere*. quod Aldus propagavit.

42. UT MULTO INNUMERAM IUGERE PASCAT OVEM] Sic legitur ut in aliis libris ita etiam in Cod. Lips. nisi quod librarius mendose scripsit *iungere*. Accedunt Editiones veteres propemodum omnes, maior a 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. Vicent. Venett. Aldd. Una tantum Ed. min. a. 1472. habet lectionem, in nullo alio libro scripto editove, quod sciam, expressam:

Ut multam in nostro iugere pascat ovem.

Cod. Paris. *Et multa innumera* — Exc. Scal. *Ut multa innumera* — Exc. Pocchi:

Ut mille *innumera* iugera *pascat ove.*

Illud Scaliger reposuit, hoc Vossius. Sed quis ferat poetam, post *immensos campos* inferentem *mille iugera? mensuram* adeo adhibentem *immensitati?* At recte *immensis* campis opponuntur *innumerae* oves, quas *multo* iugere pascit praedator. Et *multa iugera*, si forte excipiendus sit, quod vix crediderim, locus I. 1. 2. certe posuit auctor III.

Cui lapis externus curae est; urbique tumultus,
Portatur validis mille columna iugis;

V. 43. Quin *pro* Cui. 44. multa.

5. 6. Horatius Ep. XV. 19.

Sis pecore *et* multa *dives* tellure *licebit.*

Innumera ovis eadem proprietate dicitur, qua graece *μυρίαι ὄϊες*, Homer. Il. δ. 434 et apud Theocritum XI. 54. *βοτὰ χίλια βόσκω.* Idem XVI. 38.

ἀγροὺς δ' ἐργάζοιντο τεθαλότας· αἵ τ' ἀνάριθμοι
μήλων χιλιάδες βοτάναις διαπιανθεῖσαι,
ἀμπεδίον βλήχοιντο.

Ergo ab omni parte tuta est, quam prima statim omnium Editio expressit, lectio:

Ut multo innumeram iugere pascat ovem.

43. CUI LAPIS EXTERNUS CURAE EST] Vix dignae sunt commemoratione quorundam librorum aberrationes, pro *Cui*, quod habent Codd. Paris. et Lips. Ed. min. a. 1472. Vicent. Venett. Aldd. vel *Qui* vel *Quid*, ut est in Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep. exhibentium. Hoc tamen post Gebhardum arripiens Broukhusius locum cum interrogationis signo excudendum curavit. Sed recte Heynius, Intempestiva est illa interrogatio h. l. et sensum abruptum facit, ut iam notavit Marklandus ad Stat. Silv. I. 4. 55. Dicuntur haec omnia adhuc de *praedatore.* Recte hoc, inquam: perperam illud, quod addit, Paulo duriorem facere iuncturam τὸ *Cui* fatendum est. Puta pro eo, *Huic* positum esse. — Eundem ei scrupulum iniecit Virgilii IV. Aen. 138. similem emendationem proposuit ad locum simillimum Tibulli II. 1. 78. neutro tamen loco, quod cautum Criticum decet, contextum mutare ausus. Quid censes, Vossium? Nempe ut supra l. c. edidit *dum* pro *cui*, ita hoc loco pro *Cui* inculcavit *Quin.* Equidem miror, structuram pronominis toties repetitam

Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.

a Tibullo nihil valuisse ad cohibendum corrigendi impetum. Tibulli aliorumque poetarum exempla collegi ad I. 6. 40. Nunc addam locum Propertii, ut a simili Criticorum interpolatione vindicem, II. 18. 13. de Aurora:

Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
Invitum et terris praestitit officium:
Cui *maiora senis Tithoni gaudia vivi,*
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.

Hic item Francius corrigit *Huic*, Livineius *Tam*, Burmannus, infelix coniector, *Tum — erant.* Sed non eget Propertius correctoribus istis, obstante in primis Codice Gudiano, omnium quos viderim libro praestantissimo. Nec praetereundus est propter orationis pariter et argumenti similitudinem locus Horatii I. Ep. 1. 83.

Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis,
Si dixit dives, lacus et mare *sentit amorem*
Festinantis heri: cui *si vitiosa libido*
Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. —

urbique tumultus. Sic Ed. mai. a. 1472. Venet. a. 1475. Reg. Lep. *urbisque tumultus* Cod. Paris. Ed. min. a. 1472. Vicent. Venett. Ald. 1502. — Cod. Lips. *urbisque tumultu.* Ald. 1515.

44. MILLE COLUMNA IUGIS] Sic, teste etiam Broukhusio, omnes omnium libri, exceptis paucis, in quibus *multa.* Hoc primus reposuit Aldus. Cod. Lips. *mille columna ignes.* Heinsius e lectione Ald. formabat, *fulta columna.* At Propertius III. 5. 5.

Nec mihi mille iugis *Campania pinguis aratur.*

Tibullus III. 3. 12.

Arvaque si findant pinguia mille boves.

45. LENTUS UT INTRA] Ed. mai. a. 1472. Venet.

At tibi laeta trahant Samiae convivia testae,
  Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu, heu, divitibus video gaudere puellas!
  Iam veniant praedae, si Venus optat opes;
Ut mea luxuria Nemesis fluat, utque per urbem
  Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
  Texuit, auratas disposuitque vias.

1475. Reg. Lep. et Vicent. *et intra Negligat.* Ed. min. *ut inter.* quod est etiam in Voss. 4. et Dresd.

47. AT TIBI LAETA] Ed. princ. et Vicent. *At tibi lenta.* Exc. Scalig. *At mihi.* quod refutat Heynius. Non male tamen Tibullus paupertatem suam opponeret opulentiae praedatoris, seseque subito revocaret vss. 49 — 50. nec offensioni foret v. 61. repetita formula *At tibi*, si hoc loco legeretur *At mihi.* Plautus Stich. V. 4. 11.

quibus divitiae domi sunt, scaphio et cantharis,
Batiolis bibunt: at nos *nostro* Samiolo poterio
Tamen vivimus.

53 — 54. ILLA GERAT VESTES] Edd. vett. *gerit.* Sic etiam Paris. Mox *vias* nescio quibus argumentis adductus Burmannus mutaverit in *vices*, nec, quid de hac re existimaverit Marklandus ad Statium p. 278. quem laudat, compertum nunc habeo. Longe diversum illud est, quod legitur I. 9. 64.

Aut operum varias
disposuisse vices.

At huc pertinet locus Pindari Pyth. IX. 55. de Cyrene:

Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent praebere colores,
Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor; regnum ipse tenet, quem saepe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes. — —
At tibi, dura Ceres, Nemesin quae abducis ab urbe,
Persolvat nulla semina terra fide.

V. 61. ducis.

ἁ μὲν οὔθ᾽ ἱστῶν παλιμβάμους ἐφίλασεν ὁδούς.

Praeivit Homerus Il. λ. 24.

τοῦ δ᾽ ἤτοι δέκα οἶμοι ἔσαν μέλανος κυάνοιο.

55 — 56. COMITES FUSCI — EQUIS] Unus Angl. *fusi.* Hoc habent Edd. principes, Venet. 1475. et Reg. Lep. Pro *equis* unus Bronkhusii *aquis.* Haec confusio omnibus fere locis recurrit, ubi sermo est de Indis sole perustis. Vide infra IV. 2. 20.

59. REGNUM IPSE TENET, QUEM] Heynius mavult *ille* vel *iste*, addens: veteres edd. *quem* exhibent. Nempe veteres, quas vidit, ut Vicent. et Venett. 1491. 93. — Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. Lips. *qui.* Cod. Paris. cum Ed. min. a. 1472. *quae.* Cod. Lips. *quem.* Mox idem *luxatos* pro *gypsatos.*

61. AT TIBI, DURA CERES] Quae hinc sequuntur, *commode* illa quidem cum prioribus illis iungi possunt, ut tamen nolim praestare lacunam nullam factam, nec altero carmine hoc idem tractatum argumentum, cuius reli-

Et tu, Bacche tener, jucundae consitor uvae,
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.

quiae isti versus sint, *At tibi, dura Ceres.* HEYN. Vide quae scripsimus ad v. 53. Guarn. *A tibi* pro *Ah*, nisi fallor. *Ceres* praeclara est Heinsii emendatio. Vulgo *seges*. A *tibi* igitur orationem pendere rati librarii et Editores dederunt *Nemesim* qui *abducis ab urbe;* Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. in qua deest *tibi*. Cod. Paris. *Nemesis qui abducit*. Lips. *nemesim q ducis ab urbe*. Unde alii fecerunt *quia*, ut est in Venett. 1491. vel *quae*, quod exhibent Aldd. Iam *quae abducis*, quod Scaliger e vetere libro reposuit, nemini postea non placuit, idque unice verum. Afranius apud Stephanum p. 57.

Saevum ferre haec te simul et gnatum ab illo abducere.

Terentius Ad. IV. 5. 27.

an illam hinc abducet, *pater?*

Quid illam ni abducat?

Ib. v. 54.

Cum hanc sibi videbit praesens praesentem eripi,

Abduci ab *oculis?*

65. ET TU, BACCHE] Colb. et Ed. Brix. *At*. Ille etiam cum uno Broukh. *conditor* pro *consitor*. Duo *Phoebe*. Ed. min. a. 1472.

tu tibi bache tener iocundae consitor uvae.

65 — 66. FORMOSAS TRISTIBUS AGRIS ABDERE] Cod. Lips. cum uno Broukh. et Ed. Brix. *Addere*. Hinc formatus est versus spurius, qui legitur infra ad v. 74.

O valeant fruges, ne sint modo rure puellae;
  Glans alat, et prisco more bibantur aquae.
Glans aluit veteres, et passim semper amarunt;
  Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tum, quibus adspirabat Amor, praebebat aperte
  Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.

Abditur *in solis si qua puella locis.*

Bene Vossius comparat locum Virgilii III. Georg. 95.

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo.

Quem locum ibi accurate illustravit vir eruditissimus. Homerus Il. λ. 716.

οὐδέ με Νηλεὺς
εἴα θωρήσσεσθαι, ἀπέκρυψε δέ μοι ἵππους.

Propertius II. 33. 12.

Mansisti stabulis abdita, *pasta, tuis.*

Quod nulla machina in *obscenum* sensum torqueri potest. Agathias ep. XXIII. de puellis clausis vel domo abditis:

ἡμῖν δ' οὐδὲ φάος λεύσσειν θέμις, ἀλλὰ μελάθροις
κρυπτόμεθα, ζοφεραῖς φροντίσι τηκόμεναι.

Guelf. 3. pro varia lectione, sed probabili:

non tanti sunt tua dona, pater.

69. ET PASSIM — AMARUNT] Guelff. 1. 4. Edd. Rom. et Brix.

Glans aluit veteres, ut *passim semper* amarent.

71. TUM — PRAEBEBAT APERTE — GAUDIA — VENUS] Cod. Paris. Dresd. alii *Tunc.* Hoc modo

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua. Si fas est, Mos, precor, ille redi.

* * *

V. 74 — 76. *Inseritur lacunae loco versus hic:* Ah pereant artes, et mollia iura colendi!

Apollini gaudia praebuisse Venerem suspicatus Broukhusius supra pro *aperte* corrigebat v. 29.

> *Felices olim,* Veneri *quum fertur* apertae
> *Servire aeternos non puduisse deos.*

Sed parum ille cognitam habebat prisci aevi verecundiam, nec versaverat accurate Homerum et Pindarum, optimos antiquitatis interpretes. Illic Iuno negat Iovi Il. ξ. 332.

> *Ἴδης ἐν κορυφῇσι· τὰ δὲ προπέφανται ἅπαντα.*

Iovem satis traduxit Plato de Republ. III. *οὕτως ἐκπλαγέντα, ἰδόντα τὴν Ἥραν, ὥςτε μήδ᾽ εἰς τὸ δωμάτιον ἐθέλειν ἐλθεῖν, ἀλλ᾽ αὐτοῦ βουλόμενον χαμαὶ ξυγγίγνεσθαι·* at Iunonem laudare oblitus est, verecunde negantem:

> *πῶς κ᾽ ἔοι, εἴ τις νῶϊ θεῶν αἰειγενετάων*
> *εὕδοντ᾽ ἀθρήσειε —*

Pindarus vero, quum Apollo Cyrenae manum inferre *aperte* gestiret, ita Chironem loquentem inducit Pyth. IX. 69.

> *κρυπταὶ κλαΐδες ἐντὶ σοφᾶς Πειθοῦς ἱερᾶν φιλοτάτων,*
> *Φοῖβε, καὶ ἔν τε θεοῖς τοῦτο κἀνθρώποις ὁμῶς*
> *αἰδέοντ᾽, ἀμφανδὸν ἁδείας τυχεῖν τὸ πρῶτον εὐνᾶς.*

Cui sapientissimi Chironis praecepto facile obtemperabat, ut par erat, Apollo. Tibullus saltem addidit *in* umbrosa *valle.* Duo Anglic. *nocte.* Bern. *nemus.*

73. EXCLUSURA DOLENTES] Ed. min. a. 1472. *exiussura.* Scaliger *volentes.* quod exstat in tribus Vossianis. Mendose. Hic locus a v. 73 usque ad carminis finem abest a Voss. 1.

75. Hexametro illi, quem Scaliger transtulit (cum v. 76.) in Elegiam libri I. 9. 67. Heynius eiecit,

Ah pereant artes et mollia iura colendi;

(Cod. Paris. Edd. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. *rura* pro *iura* exhibent) alii libri substituunt hunc:

O utinam veteri peragrantes more puellae.

Alii utrumque deinceps habent. Ergo exstiterunt, qui novam lacunam nova interpolatione explerent:

Ah pereant artes et mollia iura colendi,
Abditur in solis si qua puella locis:
O utinam veteri peragrantes more puellae
Horrida villosa corpora veste tegant.

Hos quatuor versus ita descriptos habent Ed. min. a. 1472. et Vicent. nisi quod illa, ut supra monui, *rura* pro *iura* exhibet, haec *Ha* pro *Ah*. Enimvero in Codd. Guarn. Guelf. 4. Excerpt. Lipsii et Ed. mai. 1472. Lips. et Reg. Lep. omissus est uterque hexameter, legiturque eorum loco hic:

Mos precor ille redi, patientur rursus ut olim
Horrida villosa corpora veste tegant;

vel *patienter*. Rursus in Cod. Lips. et quibusdam aliis extremo isti hexametro substitutus legitur hic:

Detur ut accedam dominae prouelle loquarque,

sive *per velle*. Tandem in margine Ed. Vicent. quae servatur in bibliotheca Gotting. vir quidam doctus versum descripsit sub Pontani nomine, quem in ipsum carminis contextum invexit librarius Guelf. 2.

O valeant cultus et tinctae murice lanae.

Huius igitur versus auctorem manifestum habemus. At nec illi incogniti sunt, qui priores istos confinxerunt, *Ah pereant artes* etc. et *O utinam veteri* etc. Nam in Cod. Dresd. priori adscripta est nota: *Seneca supplevit sic*, (etiam in Paris. *Seneca supplevit*) posteriori, (qui in Paris. non comparet) *Philelfus vero sic*. Quo igitur iure Tibullo obtrudi possit Senecae versus, praesertim tam misere consarcinatus, ut sorex etiam

Horrida villosa corpora veste tegant.

V. 75. tegam.

sine ista Cod. Dresd. adde etiam Paris. nota suo ipsius se indicio prodidisset? Levis per se est animadversio, non tamen nullius in tali re momenti, semper Tibullum, certe libris I. II. et IV. scribere *O pereat*, non *Ah pereat*, contra iterum quam facere solet Propertius. Vide observationem ad v. 17. Tibullus I. 1. 51.

> O *quantum est auri potius* pereatque *smaragdi.*

II. 4. 27.

> O pereat, *quicunque legit viridesque smaragdos.*

IV. 3. 6. Semel tantum III. 4. 62.

> Ah pereat *didicit fallere si qua fidem.*

Conf. eiusdem Elegiae v. 82. et II. 4. 7. E contrario Propertius *Ah pereat*, v. c. I. 6. 12. II. 33. 27. et aliis locis sine varietate. Hoc pertinet etiam ad formulam *O valeat*, qua utitur Tibullus supra v. 67. Propertius III. 1. 7.

> Ah valeat *Phoebum quicunque moratur in armis.*

Deinde et Scaliger offendit et Heinsius in mira illa locutione, *mollia iura colendi.* Nam hic malebat *mollia rura colenti;* ille *mollis cura colendi*, in mente, nisi fallor, habens famosum versum Hesiodi *Ἐργ.* 66. (Ruhnk. Ep. Crit. I. p. 81.)

> *καὶ πόθον ἀργαλέον, καὶ γυιοκόρους μελεδῶνας.*

Sed nec haec *cura colendi* versum reddit comptiorem, nec *mollia* illa *rura* ei detrahunt tamquam villosam horroris vestem. Propertius IV. 11. 18.

> *Det pater hic umbrae* mollia iura *meae.*

75. VILLOSA — VESTE TEGANT] Sic libri nostri omnes. Unus Broukhus. et Goth. *tegam.* quod per coniecturam praecepit Scaliger, comprobante Broukhusio. Mihi item unice verum videtur. Burmannus Sec. malebat *tegar.* Ovidius Medic. Fac. 18.

> *Vultis inaurata* corpora veste tegi.

Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?

V. 77. Heu! misero laxam — togam?

Idem III. Fast. 214. de raptis Sabinis:

> *Moestaque funerea* corpora veste tegunt.

76. SI CLAUSA MEA EST, SI COPIA RARA] In his mendum latere ratus Scaliger substituit,

> *Nunc si clausa mea est, si copia* nulla *videndi.*

quod Heynius etiam *in tali sententia* requirit, ego non requiro. Nam si nulla copia videndi puellam supererat, cur tandem rus ire, vel *duci* v. 78. volebat amator eo, quo commigraverat puella? Nempe propterea hoc volebat, ut saltem haberet copiam, quamvis *raram*, videndi puellam *in villa* quadam latentem. — Sed Heynius porro utrumque versum, certe priorem, a mala manu venisse censet. Ego, si alteruter eiiciendus sit, cur posteriorem potius, quam priorem eiiciendum censeam, quum aliae me movent caussae, tum quod auctor hoc loco ob oculos habuisse videtur Terentium Eun. IV. 2. 8. Ibi Phaedria, qui rus abierat, puella in urbe relicta, mox rediens in scenam, quid secum interea cogitaverit, narrat, inter alia haec:

> *Occepi mecum cogitare, Hem, biduum hic*
> *Manendumst soli sine illa? — quid tum postea?*
> *Nil est. — quid? nil?* si non tangendi copia est,
> Eho ne videndi quidem erit? *si illud non licet,*
> *Saltem hoc licebit. certe extrema linea*
> *Amare, haut nihil est.*

Hoc illud est quod Achilles Tatius V. 22. p. 229. Bip. dicit μέχρι τῶν ὀμμάτων ἔχειν τὸν ἐρώμενον, non intellectum a Scaligero, viro summo, in epigram-

Ducite! ad imperium dominae sulcabimus agros,
Non ego me vinclis verberibusque nego.

V. 78. et imperio. 79. negem!

mate XIV. Agathiae Scholastici v. 9. (Anal. Crit. p. 171 — 185.)

σχέτλιος ἀμφοτέρους δὲ διέτμαγε, μέχρι καὶ αὐτοῦ
βλέμματος ἐνστήσας αἴθοπα βασκανίην.

77. HEU MISERUM, LAXAM QUID IUVAT ESSE TOGAM?] Codd. Eborac. et Askew. *lapsam.* Lips. *Eu miserum lapsam.* Legitur etiam, nescio ubi, *Me miserum.* Caeteri libri in vulgata fere consentiunt, cui Statius, qui *miseram* habet, substituit, *Heu misero*, vel *Heu miserum;* Nicol. Heinsius,

Heu misero! in laxa *quid iuvat esse* toga?

Vidi ipse librum scriptum, *in laxa — toga* exhibentem. Sed sive hoc modo legeris sive illo, habebis semper versum dignum, qui adiungatur superiori illi:

Ah pereant artes et mollia iura colendi!
Me miserum *laxam quid iuvat esse togam?*

78. DUCITE! AD IMPERIUM DOMINAE] Voss. 1. *et imperium.* Goth. *et imperio.* Obstant cum caeteri libri, tum vero longe gravior auctoritas Horatii III. carm. 6. 37.

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas *et severae*
Matris ad arbitrium *recisos*
Portare fustes; sol ubi montium —

Qui locus quam apposite hic comparetur, docet in primis huius Elegiae versus 5.

O ego, dum dominam adspicerem, quam fortiter illic
Versarem *valido pingue* bidente solum.

Velleius II. 85. *Quis du-*

bitet, suo *an* Cleopatrae arbitrio *victoriam temperaturus fuerit*, *qui* ad eius arbitrium *direxit fugam?*

79. NEGO] Cod. Askew. Goth. Voss. 4. et Ed. min. a. 1472. *negem.* — Caeterum extremo hoc loco, ut dicam, quod sentio, nullus versus deesse, sed unus superesse videtur. Duo eiusdem sunt argumenti v. 75. et v. 77. Hoc eiecto, oratio bene sic procederet:

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua. Si fas est, mos, precor, ille redi.
Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
Horrida villosa corpora veste tegam.
Ducite! ad imperium domi nae sulcabimus agros:
Non ego me vinclis verberibusque nego.

Haec probabilis videbitur coniectura, etiamsi retineatur vulgata lectio, si *copia rara videndi;* cui substituere possis, *sit* copia rara *videndi*, pro *modo sit*, si *sit*, quae particula saepe omittitur. Virgilius VI. Aen. 31.

Partem opere in tanto, sineret dolor, *Icare haberes.*

Vide Priscianum p. 1145. Terentius Heaut. III. 1. 78.

Dare denegaris, *ibit ad illud illico,*
Quo maxume aput te se valere sentiet.

Horatius I. Epp. 16. 54.

Sit *spes fallendi, miscebis sacra profanis.*

ELEGIA IV.

Hic mihi servitium video dominamque paratam.
Iam mihi, Libertas illa paterna, vale.

V. 2. Iam mihi libertas — paterna, vale!

ELEGIA IV.

1. HIC — DOMINAMQUE PARATAM] Codd. Paris. et Lips. cum aliis *Sic*. Quod Scaliger reposuit *Hic*, in multis veteribus Statius legi ait, idque iam exstat in Ed. mai. a. 1472. Unus Bronkh. et Lips. *parari*.

2. IAM MIHI LIBERTAS ILLA PATERNA VALE] Paris. *paterve*. Lips. *ualle*. Ed. min. a. 1472. cum Brix. et Venett. 1491 — *veni*. Quae lectio inde orta est, quod, quorsum pronomen *mihi* referrent, dubitabant editores. Nempe hoc pertinet ad verbum *vale*. Propertius III. 21. 15.

Romanae turres et vos valeatis, amici,
Qualiscunque mihi *tuque, puella*, vale.

Vel omnis huius loci distinctio delenda est, vel ea adhibenda, quam apposui, *copula*, non dixerim, *ineleganter inserta*. Vide, quae annotavi ad I. 10. 51. Euripides Hec. 430.

Χαῖρ', ὦ τεκοῦσα, χαῖρε Κασάνδρα τ' ἐμοί.

sive, ut Matthiae edidit, *τέ μοι*. Hic etiam Brunckio obtemperare noluit Porsonus. Homerus Od. *ν*. 59.

Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, διαμπερὲς, εἰςόκε γῆρας

Servitium sed triste datur, teneorque catenis;
Et nunquam misero vincla remittit Amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.
Uror, io! remove, saeva puella, faces.

V. 4. Ut — remittat.

ἔλθῃ καὶ θάνατος. Vossius locum Tibulli melius convertit quam distinxit. Ego, quo constructio apertior fieret, non dubitavi, interpunctionem, quam intulit Heynius — priores editores verba continuo legebant — mutare et versum sic constituere:

Iam mihi, Libertas illa paterna, vale.

II. 5. 74.

si fas est, Mos, precor, ille redi.

4. ET NUNQUAM — REMITTIT AMOR] Scaliger *remittet* invexerat, ut habent libri nonnulli, etiam Corvin. HEYN. Adde Paris. Hanc lectionem non Scaliger invexit, utpote quae iam exstat in Edd. a. 1472. et Reg. Lep. At Vicent. et Venett. quas in manibus ille habebat, cum Rom. Aldd. et libris aliquot, in his Guelf. 1. et Lips. *remittit*, cui lectioni postea Scaliger denuo substituit *remittet*. Vossiani *remittit*, *remittet*, *remisit*, nullus *Ut — remittat*, quae Statii coniectura est, confirmata Exceptt. Lips. Colot. et Ed. Gryph. 1534. collata cum MSS. Sed vide supra I. 2. 80. II. 1. 64. III. 1. 3.

5. ET SEU QUID MERUI, SEU QUID — URIT] Nulla in libris nostris sive scriptis sive editis conspicitur discrepantia praeter, quod ex Ed. Rom. in Venett. 1491. 93. manavit, *uror* pro *urit*, iam Statio probatum et repositum denuo a Scaligero. Nam Aldd. Gryph. Plantin. item *uror* habent, quod ex versu minore per errorem translatum est, in

O ego ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,

V. 7. possem. 8. *Omittitur* in.

superiorem. Caeterum hic locus misere exercuit Criticos et interpretes. Heinsius *merere* et *peccare* idem esse existimans, emendat:

Et seu quid merui, seu nil *peccavimus, urit.*

Heynius inverso ordine:

Et seu nil *merui, seu quid peccavimus, urit.*

Sed offendens postea ad subitam istam numeri mutationem, qua tamen nihil frequentius, malebat: *Et seu quid* metuit — scil. Amor. Tandem, quum Ed. Rom. pro *merui* offerre videret *ueneri*, quod merum scripturae mendum est, corrigit,

Et saevit Veneris, *si* quid *peccavimus*, ira.

Vana omnia et a re aliena. Neque vero *merere* h. l. dictum est in bonam partem, sicut existimat Wunderlich. sed haud dubie in peiorem, idque, quod in transcursu recte ponit Vossius, plus est, quam *peccare*. Terentius And. I. 1. 112. laudatus iam a Bachio:

Quid feci? quid commerui *aut* peccavi, *pater?*

Ubi egregie Donatus: *αὔξησις a maioribus ad minora. Et* feci *quasi* facinus *dixit.* Facere *enim quis et* homicidium *dicitur.* Commerui *minoris culpae est.* Peccavi *multo minoris et levioris.* — Quae quum ita sint, fatebitur doctissimus Lachmannus, scripturae Cod. Vindob. *Heu, heu quid merui*, nihil prorsus inesse, quo conficiatur, *palmariam* esse Bunsenii coniecturam Propertio II. 7. 5. appositam:

Eheu *quid merui?* heu *quid peccavimus? uror.*

6. SAEVA PUELLA] Ed. min. a. 1472. *scaeva* puella; quod, miro consensu, exhibet etiam Cod. Lips.

7 — 8. O EGO NE POSSIM — QUAM MALLEM] Cod. Lips. *O ego* ut *possim — Quam mallem.*

Huius loci statim ab initiis Chalcographiae duplex constitui coepta est lectio, per duplicem Editionum, a principibus illis profectarum, familiam propagata. Altera, quam praeivit Ed. mai. a. 1472. haec est:

O ego ne possim *tales*
sentire dolores,
Quam mallem *in gelidis montibus esse*
lapis.

Sic est in Edd. Vicent. Reg. Lep. (quae *posim* habet) etiam in Venet. a. 1475. nisi fallor, eaque lectio in libris fere omnibus comparet. E contrario Ed. min. a. 1472. alteram induxit hanc:

O ego ne possem *tales*
sentire dolores,
Quam malem *in gelidis montibus esse*
lapis.

Hoc eodem modo exaratum legitur in Venett. 1491. 93. quas in manibus habeo; fortasse etiam in Venet. 1500. cum illis plerumque conspirante. Nec dubito, quin *possem* pro *possim* iam compareat in Ed. Rom. 1475. cum commentario Cyllenii, qui ipse *possem* legit; sicut illud comparet in Ed. Brix. 1486. et tribus quatuorve libris apud Broukhusium. Postea haec lectio oblitterata iterum est, eique substituta prior, *ne possim* — *Quam mallem*, praeeunte Aldo, quem secuti sunt, quotquot deinceps fuerunt, Editores omnes, donec tandem nostra aetate posteriorem tamquam e fuga revocaret Vossius. Iam illud quidem in oculos incurrit, non scripsisse Tibullum *Quam malim*, quandoquidem periodum ita concludit,

Naufraga quam vasti
tunderet *unda maris*.

Num propterea scripsit, *ne possem?* Tales dolores, quales nunc describit, nunc ipsum *sentit*; lapis esse *mallet*, si fieri posset. Haec sententia diversorum temporum coniunctionem non modo admittere sed etiam poscere videtur. Conf. I. 4. 63. I. 8. 22. IV. 1. 199.

— *non magni potior*
sit *fama Gylippi*,
Posse Meleteas nec mallem *mittere char-*
tas.

Nullus liber ibi *malim* habet. Addam aliquot exempla, quae an omnia sana sint, nunc non disputo. Plautus Truc. II. 5. 28.

Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!

V. 10. ira maris!

nunc ecastor ut veniret *Miles* velim.

Cicero Agr. II. 24. Velim fieri posset, *ut a me sine contumelia nominarentur ii, qui se decemviros sperant futuros.* Primus, quod sciam, Ernestus ibi reposuit *Vellem.* Hic redeo in memoriam formulae illius unicae, quam usurpabant Veteres in consolatione amicorum, si cui male et adversus animi sententiam esset, *Vellem quae velles*, ut Seneca expressit Ep. LXVIII. Plautus contra Mostell. III. 2. 53. *Velim ut velles;* et moleste fero, hunc Plauti versum non attigisse Hermannum Elem. Doctr. Metr. p. 216. De re vide Muretum Var. Lect. IX. 8. et Lipsium Antiq. Lect. III. 1. — Ovidius Her. XX. 49.

Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum,
Nec quemquam, qui vir, possit ut *esse*, fuit.

Propertius IV. 11. 47.

Mi natura dedit *leges a sanguine ductas,*
Ne possim *melior iudicis esse metu.*

Sic Edd. a. 1472. item Rom. 1482. Vicent. etc. et maxima pars librorum scriptorum. Pauci *Ne possem.* Caeterum notandum est, ad maioris versus similitudinem,

O ego ne possim *tales sentire dolores*,

compositum esse pentametrum III. 4. 82.

Ah ego ne possim *tanta videre mala!*

mutato iterum *O ego* in *Ah ego*, de qua scribendi varietate dixi supra ad II. 3. 75. — *dolores* Corvin. mutavit in *labores.*

8. IN GELIDIS MONTIBUS ESSE LAPIS] Nullus liber praepositionem omisit. At, inquit, si poeta aliquis dicit *in montibus*, praepositio *in* nunquam tenet in versu locum pri-

Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est;
Omnia iam tristi tempora felle madent.

marium. Non intelligo. I. 2. 72.

> *Iungere et* in solo *pascere* monte *pecus*.

Nec potest deleri praepositio I. 4. 19.

> *Annus* in apricis *maturat* collibus *uvas*.

10. QUAM VASTI TUNDERET UNDA MARIS] Excerptt. Lips. codd. Paris. et Guarn.

> *quam* vitrei *tunderet unda maris.*

Bronkhusius ex aliquot libris Florent. Thuan. Colbert. quibus accedit Voss. 5. reposuit *ira maris*. Heynius vulgatam tuetur, quia *unda* melius *cantem tundere* videatur quam *ira*, in primis quia pro elegorum humilitate nimis gravis et epica vox sit, *iram maris naufragam tundere cautes*. — Ne Virgilius quidem, si memini, umquam hac metaphora usus est, at passim *unda Oceani, pelagi, maris*. Horatius Ep. XVII. 54.

> *Non* saxa *nudis surdiora navitis*
> *Neptunus alto* tundit *hibernus* salo.

Locum ipsum egregie illustrat Seneca Vit. Beat. 27. de Socrate: *Praebeo me non aliter, quam rupes aliqua in vadoso mari destituta,* quam fluctus non desinunt, *undecunque moti sunt*, verberare: *nec ideo aut* loco *eam* movent, *aut per tot aetates* crebro incursu *suo consumunt*. Haec est, quam Sophocles dicit, Oed. Col. 1240. *ἀκτὰ κυματοπλὴξ χειμερία*. Ea *stare* dicitur *obnoxia ventis*, ut *μένειν ἀνέμους* apud Homerum, qui omnibus praeivit, Il. ο. 618.

> *ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες, ἠΰτε πέτρη*
> *ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα·*
> *ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,*
> *κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγεται αὐτήν.*

11 — 12. NUNC ET AMARA DIES — MADENT] Huic disticho in Cod. Lips. praepositum est posterius

Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo;
Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musae, si nil prodestis amanti;
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo:
Nec refero Solisque vias, et qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrat equis:

V. 17. ut *pro* ubi.

13 — 14. *Nec prosunt* etc. Prius *et* deest in Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. quae Edd. etiam cum caeteris v. 12. habent:

Omnia nam tristi tempora felle madent.

Huic particulae, non multum aberat, quin Broukhusius emendationem suam *nunc* substitueret, repetitione, ut ait, nec insuavi neque apud puras aures insolente, et (quod caput est) sensu rectissimo. Sed prudenter addit, „quamquam mea mihi coniectura nonnihil blanditur, malo tamen priscis libris accedere, ut *iam* legatur.“ Nempe sic legitur in Colot. Exc. Lips. Bern. et quatuor Voss.

15. SI NIL PRODESTIS AMANTI] In Florent. *nihil.* unde Broukhusius edidit *nil.* quod confirmant iidem libri Voss. Vindob. et Monach. Nostri libri omnes *non.*

17. ET QUALIS, UBI ORBEM COMPLEVIT] Multi libri, in his etiam Paris. et Lips. *aequalis* habent, vel *equalis.* Edd. a. 1472. Vicent. et Reg. Lep. *et qualis.* At Venett. 1491. 93. *nec qualis.* ut est in uno Anglic. et Guelf. 1. Et hoc malebat Heinsius, sine dubio hanc ob caussam, quod, praecedente negatione, *et* negandi item vi male inferri censeret. Quae constructio nuper etiam Lachmannum, vi-

rum ingeniosum, in errorem coniecit ad Propertium I. 16. 11.

Nec *tamen illa suae revocatur parcere famae,*
Turpior et *saecli vivere luxuria.*

Hoc ille distichon uncinatum edidit, tamquam subdititium, negans, *et* sumi posse pro *nec*. Gravis error, qui ne latius serpat, cavendum est. Sed iam longissime manavit. Hoc vulnus litteris his inflixit Bentleius ad Horatium Epod. XVI. 6. I. Serm. 6. 68. docens, disiunctivas particulas *ve*, *vel*, *aut* post *neque* negandi vim habere, coniunctivas *ac*, *et*, *que* post *neque* positas, non habere. Hanc doctrinam propagavit illo non minor litterarum antistes Ruhnkenius ad Velleium II. 45. adsumpserunt passim alii minorum gentium Critici. Exortus tamen interea est unus, multiplici item vir doctrina, Wyttenbachius, qui, sive dissimulans sive ignorans praeceptum illud, simpliciter pronuntiaret, copulativas particulas praecedente negatione negare vel negationem repetere apud Latinos. Quo inductus argumento? Nempe eo, cui Ruhnkenius ipse post Muretum et Hemsterhusium tribuebat plurimum, exemplo Graecorum, quibus usitatum est, post negationem καὶ ponere ita, ut negatio repetatur. Vide Bibl. Crit. T. III. P. IV. p. 4. Hinc praeclare vir doctissimus explanavit et illum Propertii locum, quem supra laudavi, et vero etiam illum, qui valde vexavit alios, I. 8. 15. (11 — 14.) Quibus locis addere poterat II. 1. 21.

Non *veteres Thebas*, nec *Pergama*, *nomen Homeri*,
Xerxis et *imperio bina coisse vada*;

quod nunc ita interpolatum an corruptum legimus:

Xerxive *inperio bina coisse vada.*

„quid enim Xerxes ad bellum Troianum?" E multis exemplis, quae istam doctrinam penitus evertunt, unum adscripsimus Virgilii III. Georg. 140.

Non *illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris,*
Non *saltu superare viam sit passus* et *acri*

Ad dominam faciles aditus per carmina quaero.
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

Carpere prata fuga fluviosque innare rapaces. Homeri H. in Vener. 46.

ὄφρα τάχιστα
μηδ' αὐτὴ βροτέης εὐνῆς ἀποεργμένη εἴη,
καί ποτ' ἐπευξαμένη εἴπη μετὰ πᾶσι θεοῖσιν —
ὥς ῥα θεοὺς συνέμιξε καταθνητῇσι γυναιξίν.

Sed in Tibullo copulam tuetur ipsa verborum grammatica constructio:

*Nec refero Solis*que *vias* et *qualis ubi orbem* —

Verba, *ubi orbem Complevit*, uncinata comparent in Ed. mai. a. 1472. Vicent. et Reg. Lep. Eaedem Edd. cum Ed. min. a. 1472. Venet. 1475. Brix. 1486. *ubi* habent. Venett. 1491. 95. Aldd. Plantin. *ut*. Et hoc quidem exstat in quibusdam libris, etiam in uno Vossiano. E contrario in omnibus Statianis, Paris. Lips. Excerpt. Perrei. aliisque est *ubi*. quod denuo reposuit Scaliger. Recte, credo. Nam primum *ubi* in hac versus regione saepe reperitur, v. c. apud Horatium II. Serm. 6. 102.

rubro ubi *cocco*
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

I. Ep. 15. 38.

Si quid erat nactus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem —

Deinde etiam illud momento est, amare poetas coniunctionem particularum *Qualis ubi*. Virgilius II. Aen. 471.

Qualis, ubi *in lucem coluber mala gramina pastus* —

IV. 143. VIII. 589. Accedit consuetudo Tibulli, v. c. I. 4. 51.

Quam iacet, infirmae venere ubi *fata senectae* —

II. 6. 49.

Saepe, ubi *nox promissa mihi est* —

18. RECURRAT EQUIS] Maxima pars librorum scriptorum editorumque, mei quidem omnes, *recurrit*. *Recurrat* primus intulisse videtur Aldus a. 1515. Conf. I. 7. 22.

19. AD DOMINAM — QUAERO] Theocritus XVI. 68.

At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
Ne iaceam clausam flebilis ante domum;
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem
Dat mihi; sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos,
Et niveam Tyrio murice tinguit ovem!

V. 27. zmaragdos.

δίζημαι δ᾽, ᾧ κεν θνατῶν κεχαρισμένος ἔνθω σὺν Μοίσαις· χαλεπαὶ γὰρ ὁδοὶ τελέθοντι ἀοιδοῖς κουράων ἀπάνευθε Διὸς μέγα βουλεύοντος.

23. SACRIS INSIGNIA FANIS] Edd. veteres *phanis.* Venett. 1491. 93. *fanis.* ut est in Codd. Paris. et Lips. Unus Heins. et Hamb. *donis.* Quidam libri, ut Askew. aliique apud Broukhus. lectionem exhibent, quam probavit Scaliger:

Aut rapiam suspensa focis *insignia* sacris.

Sed recte Heynius: *insignia* h. e. donaria reponebantur in fanis, non in locis privatis. Heinsius, *tholis.*

24. ANTE ALIOS EST] Sic Edd. a. 1472. Vic. Reg. Lep. In Venett. 1491 — *ante alias.* quod fuit etiam in Cod. Paris. sed a recentiore manu mutatum est in *alios.* Duo Anglicc. pro *est* habent *sit.* Col. pro *mihi* habet *Deos.* Hoc librarius huc transtulit e IV. 13. 16.

Quae sola ante alios est mihi *magna* Deos.

27. O PEREAT — SMARAGDOS] Laudi liber et

Haec dat avaritiae caussas et Coa puellis
Vestis et e rubro lucida concha mari.

V. 29. caussas; hinc —

unus Anglic. *Ah pereat.* Vide supra II. 3. 75. *Smaragdos* habent libri mei omnes, nullus *zmaragdos.*

29. HIC DAT AVARITIAE CAUSSAS ET COA] Libri scripti hoc loco variant, Edd. vett. consentiunt, nisi quod principes a 1472. (Venet. 1475.) Reg. Lep. et Venett. 1491 — habent *causas: et Choa*; Vicent. *causas et caea.* Duo Anglicc.

Hinc *dat avaritiae causas* hinc *Coa puellis.*

Hinc ab initio item exhibent duo Voss. unus *Hac,* alter *Nec,* tertius *Hic et.* Ex qua lectionis diversitate satis patet, latere aliquod in hoc versu mendum, idque quaerendum esse in pronomine *Hic,* quod in summa versatur varietate, non in copula *et,* quam de mendo suspectam habens Broukhusius lectionem intulit, ex diversis libris concinnatam:

Hic dat avaritiae stimulos: hinc *Coa puellis* —

Dousa malebat *Hinc dat,* Heinsius *Sic dat,* Heynius *Nunc dat,* ita ut duae subiiciantur avaritiae caussae *et* Coa vestis *et* lucida concha. Sed ut unam avaritiae caussam puellis dat *Coa vestis,* alteram *concha,* ita tertia latere debet in verbis *Hic dat.* Ea autem est, quae proxime commemorata fuit, *nivea ovis,* id est, ut Cyllenii verbis utar, vellus ovis album, murice tinctum, sive *purpurea vestis.* Nam quod v. 27. etiam *virides smaragdi* commemorantur, hoc impedire poetam non poterat, quo minus orationem ita continuaret: Haec *dat avaritiae caussas et* — Erunt tamen, qui pronomen ad rem, vss. 27—28. commemoratam, universe referendum et, quod fieri item possit, legendum esse existiment:

Hoc *dat avaritiae caussas et Coa puellis*
Vestis et e rubro lucida concha mari:
Haec fecere malas.

30. E RUBRO LUCIDA

Haec fecere malas; hinc clavim ianua sensit,
Et coepit custos liminis esse canis.
Sed, pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.

CONCHA MARI] Priscae editiones *a rubro* habent. BROUKH. Ex hac annotatione colligebam, sic legi in Venet. 1475. et Brix. 1486. Sed excipiendam esse Venetam, persuadet accuratissimi Santenii nota ad Balbum p. 1834. „exemplaribus ab Heynio recensitis, quae *e*, non *a*, exhibent, addo tres meos codices, Venetam 1475. et Rhegiensem; quod firmat Statius IV. Silv. VI. 6." Adde etiam antiquiores Edd. a. 1472. item Lips. sine loci et anni indicio, quam accurate comparavit Vossius; (vide praefationem p. XXVII.) At vetus Ed. Lips. quam Heynius in manibus habuit, et Venett. 1491. 93. *a rubro;* cui lectioni Aldus iterum substituit *e rubro*. Sic legitur etiam in Codd. Paris. Lips. et septem libris apud Vossium. Nil variant libri in simili versu Propertii III. 13. 5.

Et venit e rubro *concha Erycina* salo.

Pro *concha* Cod. Lips. habet vocem inexplicabilem, nisi fallor, *tunica*.

51. CLAVIM IANUA SENSIT] Libri etiam nostri, *clavem — sensit*. Ald. 1515. *sentit*. Charisius p. 101. *Clavim*. Tibullus,

hinc clavim ianua sensit.

53. CUSTODIA VICTA EST] Cod. Guarn. *incerta*. Bern. *vincta est*. Paris. ab omnibus libris discedens habet:

Sed precium si grande feras, custodia coeca *est.*

54. NEC PROHIBENT — IPSE TACET] Paris. *prohybent*. ut supra I. 3. 22. Corvin. et Voss. 3. *canis ipsa*.

Heu, quicunque dedit formam coelestis avarae,
Quale bonum multis addidit ille malis!

V. 36. abdidit.

36. QUALE BONUM — ADDIDIT ILLE MALIS] Codd. Paris. Lips. Edd. a. 1472. Vic. Reg. cum aliis *attulit ipse*. Venett. 1491 — *attulit ille*. Non male. Unus Broukh. Colbert. Voss. 1. 2. *abdidit*. Excerpt. Italic. Heins. *addidit*, ut est etiam in Dresd. notata tamen supra vocem altera lectione *abdidit*. „quod probarem, inquit Heynius, nisi de forma, *quae latere nequit*, ageretur.“ Praeclara observatio, quam miror suam non fecisse Vossium, qui contra, Vera, ait, lectio *abdidit* hunc reconditum sensum habet: pulchritudinis bonum tot malis avaritiae *quasi* abditur; pulchritudinis splendor avaritia obscuratur. Talem ego sententiam non poeta sed philosopho dignam habuerim, v. c. Seneca. Sed Seneca poeta Hipp. 918.

O vita fallax, abditos sensus *geris*,
Animisque pulchram *turpibus* faciem *induis*.

Quo uno loco defungi poteram. Sed quoniam disputo contra tam subacti ingenii poetam, addam locum Sophoclis de Oed. Reg. qui aedes paternas ita alloquitur v. 1395.

λόγῳ παλαιὰ δώμαθ', οἷον ἆρ' ἐμὲ
κάλλος κακῶν ὕπουλον ἐξεθρέψατε.

Hoc non intellexit Eustathius. Recte quidem interpretatur Musgravius *externe pulchrum, interne morbis latentibus plenum*, sed poterat latinius vertere *formam* vel *speciem* intercutibus vitiis *madentem*, ut scribit Gellius XIII. 8. Forma igitur dominatur hic et illic. At enimvero „verbum *addidit* languet, praesertim post *dedit*.“ Mihi vel propterea placet. Vide I. 1. 50. Nec poterat Tibullus melius repraesentare deum *bona cum malis commiscentem*. Hom. Il. ω. 534.

ὣς μὲν καὶ Πηλῆϊ θεοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα —
ἀλλ' ἐπὶ καὶ τῷ θῆκε θεὸς κακόν.

Hinc fletus rixaeque sonant; haec denique caussa
Fecit, ut infamis hic deus esset Amor.

V. 37. rixae fletusque. 38. sic.

Qui deus paullo ante dicitur *ἀμμίξας*, sicut *ὁ μιγνύων θεὸς* dicitur a Plutarcho, nisi forte ab Heraclito, cuius sententiam quandam commemorat Plutarchus An. Procr. Vol. X. p. 255. Reisk. Plato Phaedr. p. 229. Heind. *ἔστι μὲν δὴ καὶ ἄλλα κακά, ἀλλά τις ἔμιξε δαίμων τοῖς πλείστοις ἐν τῷ παραυτίκα ἡδονήν. οἷον κόλακι, δεινῷ θηρίῳ καὶ βλάβῃ μεγάλῃ, ὅμως ἐπέμιξεν ἡ φύσις ἡδονήν τινα οὐκ ἄμουσον.* Petronius c. 94. *Raram facit* misturam *cum sapientia* forma. Sed Horatius l. Carm. 16. 13.

Fertur Prometheus addere *principi*
Limo coactus particulam undique
Desectam et insani leonis
Vim stomacho adposuisse *nostro.*

Seneca Agam. 589.

Heu quam dulce malum mortalibus additum
Vitae dirus amor.

37. HINC FLETUS RIXAEQUE SONANT] Hanc structuram exhibent Codd. Paris. et Lips. Ed. min. a. 1472. Aldd. — *Hinc rixae fletusque* Ed. mai. a. 1472. (1475.) Vicent. Reg. Lep. Brix. Venett. Proprie rixae *sonant*, non fletus, id est, *lacrimae.* Iuvenalis XV. 51.

Hinc *ieiunum odium: sed* iurgia *prima* sonare
Incipiunt animis ardentibus, haec tuba rixae.

38. UT INFAMIS HIC DEUS ESSET AMOR] Lectio haec vulgata est, si Heynio credis, ab Aldo. Nempe in antiquis Edd. quas ille consulere potuit, ut Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. et quas consuluit Broukhusius Venet. 1475. et Brix. quibus adde Ed. mai. a. 1472. legitur *hinc deus.* At *hic deus* habet iam Ed. min. a. 1472. e libris scriptis Codd. Paris. et Lips. unus Gebh. cum aliis, nisi fallor. Heinsius adscripsit, „Forte, *sic deus.*“ Satis dubitanter. Nec hoc di-

At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
Diripiant partas ventus et ignis opes.

gnum habuit, quod commemoraret, Broukhusius, qui anacoluthon in hoc disticho deprehendisse sibi visus, ipse emendabat:

Fecit, ut infamis nunc
Deus erret *Amor.*

Heinsium haud dubie metrum adduxit, ut *sic* mallet quam *hic*, quemadmodum supra I. 4. 44. *nimbifer* substituit pro eo, quod vulgo legitur,

Venturam admittat imbrifer *arcus aquam.*

Idem tamen non offendit in hoc versu Ovidii IV. Trist. 3. 68.

Quod precibus periit *ambitiosa suis.*

Constantior Bentleius ad Horatium III. 5. 17.

Si non periret *inmiserabilis.*

Nam quum paullo ante III. 2. 1. docuisset, brevem syllabam in hac caesura non admisisse Horatium, nunc rationes suas conturbari intelligens, derelinquendas illas esse haud obscure prodit, nisi forte legendum sit, partim cum Glareano:

Si non perirent inmiserabiles
Captiva proles.

Quod Bentleio excidisse miraberis. Vide etiam, quae vir summus notavit ad III. 23. 18. Ego, qui supra coniecturam attuli ad I. 10. 49. Catullum scripsisse loco satis vexato,

Iuppiter, ut pereat *omne genus Chalybum;*

nunc, quum etiam in subsidium veniat littera *h*, de cuius vi dixi ad I. 7. 61. II. 1. 58. minime dubito, quin scribi potuerit a Tibullo,

Fecit, ut infamis hic *deus esset Amor.*

An ita scripserit, disputat Heynius. Potest, inquit, in *hic deus* latere aliquod Amoris epitheton, quod tamen non invenio. — Quidni potius nominis cuiusdam ablativus, pendens ab epitheto *infamis?* Sed praestat, nihil mutare. Bene Wunderlichius comparavit Propertium I. 7. 15.

Te quoque si certo puer hic *concusserit arcu,*

Quin tua tunc juvenes spectent incendia laeti,
Nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors: neque erit, qui lugeat, ullus,
Nec qui det moestas munus in exsequias.

V. 41. tum. 43. veniat — nec.

Vide annotationem ad III. 6. 23. Supra II. 1. 79.

Ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor.

Ed. mai. a. 1472. *Faecit.* etiam Vicent. et Reg. Lep. Illa tamen alibi hanc diphthongum mutat in *e* simplex. — Waardenburgius corrigit, *nec deus.*

40. DIRIPIANT] Cod. Paris. *Erripiant.* Lips. *Eripiat.* Edd. meae *Eripiant.*

41. QUIN TUA TUNC) Cod. Lips. *Quam tua tunc — tunc* hoc loco et scripti libri habent et editi. Unus *tum.*

43. SEU VENIET TIBI MORS, NEQUE ERIT] Prioris hemistichii rhythmum insuavem atque hiulcum pronuntians Broukhusius reposuit *Seu tibi mors veniat.* Perperam, quum ne unus quidem liber huic structurae faveat, pauci etiam *veniat* exhibeant pro *veniet*, quod habet omnis antiqua Editio, Codd. etiam Paris. Lips. alii. Nec huic lectioni obstat, quod sequitur, *erit.* Nam haec legitima est constructio, Si *veniet* — non *erit;* cui item Broukhusius e Douzae vel Scaligeri coniectura substituit *sit.* Vide I. 4. 65. I. 5. 51. et locum simillimum II. 6. 3.

Et seu *longa virum terrae via*, seu *vaga* ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?

Porro libri variant, aliis *nec erit*, aliis *neque erit*

praeferentibus. Ego *neque erit* primum expressum reperio in Ed. Plantin. 1569. non dubitans, quin praeiverit Muretus. Accedunt libri Voss. nisi fallor, sex. Caeteri editores tacent. Mihi nunc Tibullus scripsisse videtur *neque erit,* sequente *Nec* qui det — prorsus ut I. 2. 77.

> *Nam* neque *tum plumae*, nec *stragula picta soporem,*
> Nec *sonitus placidae ducere possit aquae.*

Ubi unus liber offert *neque stragula*, quod apud Tibullum ne per metrum quidem admitti potest. Hanc structuram frequentat etiam Propertius, v. c. I. 14. 19. II. 15. 43. IV. 11. 41. ubi Lachmannus reposuit invitis libris:

> *Me* neque *censurae legem mollisse,* neque *ulla* —

Ego contra I. 12. 19. reposuissem e Borrichiano:

> *Mi* neque *amare aliam,* nec *ab hac discedere fas est;*

pro *neque ab hac*, idque convenienter regulae Bentleii ad Horatium III. 11. 43. ad quam animum advertisse non videtur vir doctissimus, late de hac re disputans ad IV. 5. 50. Nescio tamen an cautio adhibenda sit ut hoc ipso loco, cui comparabis I. 12. 5—6. ita altero, quem intactum ille reliquit, II. 27. 12.

> neque *hic Boreae flabra* neque *arma timet.*

Quam cautionem suadet Bentleius ipse. Nam per Carmina, quae dicuntur, et Epodon librum satis ille constans fuit, nisi quod manum cohibuit a corrigendo II. 10. 1—2. Ubi vero ad Sermones pervenit, sibi ipse repugnans diruit, aedificat, semel adeo totam rem abiecisse videtur. Nam I. Serm. 6. 68. in commentario locum III. Carm. 12. 1. ita describit litteris distinctioribus:

> *Miserarum est*, neque *amori dare ludum* neque *dulci* —

Atqui illic ediderat *nec amori*. Ergo hic idem accidit viro summo, quod ei accidisse in caesura carminis Alcaici modo diximus ad v. 38.

44. NEC QUI DET — MUNUS] Ed. min. a. 1472. *Nec qui dat.* Codd. Paris. et Lips. *obsequias.* Exc. Lips. et Pocch. unus Heins.

> *Nec qui det moestas* manibus *exsequias.*

At bona quae, nec avara fuit, centum licet annos
    Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,
    Annua constructo serta dabit tumulo,
Et, bene, discedens dicet, placideque quiescas,
    Terraque securae sit super ossa levis!
Vera quidem moneo; sed prosunt quid mihi vera?
    Illius est nobis lege colendus amor.
Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas,
    Ite sub imperium, sub titulumque, Lares.

45. NEC AVARA] Ed. min. a. 1472. *nunc avara.* I. 6. 77. *At quae fida fuit nulli* etc.

47. ATQUE ALIQUIS SENIOR] Idem hemistichium habet Iuvenalis VI. 587.

Atque aliquis senior, *qui publica fulgura condit.*

49. DISCEDENS DICET PLACIDEQUE] Cod. Lips. *descendens.* de qua confusione dixi ad I. 2. 19. I. 5. 41. *placidaeque* Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep.

53. SEDES IUBEAT SI] Prorsus mendose Cod. Lips. *sedeas iubeas sit.* De *proscriptione* aedium — nam *sub titulum ire* idem est quod *proscribi* — vide in primis Ciceronem III. de Offic. 13. 7. seq.

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid et herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,

55—60. QUIDQUID HABET CIRCE — BIBAM] Heynio haec abrupta et hiulca, neque satis inter se nexa et coniuncta videbantur. Ego lubens accedo sententiae eorum, qui tria haec disticha loco suo posita nec aliunde illata existimant. Apponam similem Platonis locum Euthyd. p. 344. ed. Heind. *Εἰ δὲ ὑμεῖς οἱ νέοι φοβεῖσθε, ὥςπερ ἐν Καρὶ ἐν ἐμοὶ ἔστω ὁ κίνδυνος· ὡς ἐγὼ, ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμὶ, παρακινδυνεύειν ἕτοιμος, καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ, ὥςπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ· ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω, εἰ δ', ὅ, τι βούλεται, τοῦτο ποιείτω· μόνον χρηστὸν ἀποφηνάτω.* Haec Socrates. Nec leniora sunt, quae subiturum se statim profitetur Ctesippus, *si modo* eveniat id, quod ibi narratur. Non igitur erat, quare dubitaret Heynius de sententia Tibulli, cuius vim ipse his verbis bene explanavit, Non modo bona mea vendere et disperdere puellae caussa in animum inducam, sed etiam extrema quaeque mala perferre; hoc scilicet proverbialiter ut exprimat, se vel teterrima venena esse epoturum, *si modo* Nemesis etc.

56. THESSALA TERRA GERIT] Hanc lectionem tuentur Codd. Paris. et Lips. — Ed. mai. a. 1472. (1475.) Vicent. Reg. Lep. Venett. *dedit*. Sed *gerit* Ed. min. a. 1472. Aldd. — Scaliger *genit*.

57. ET QUOD — VENUS AFFLAT] Cod. Lips. *Et quidquid*. absurde adeo mox *uetus*, id est, *ventus* afflat amores. Tum v. 58.

Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

Ipomones cupide — equi. Cod. Paris. more suo *Ypomones.*

59. SI MODO] Guarn. *Si non.*

60. MILLE ALIAS HERBAS] Recentiores Critici, ut Valckenarius ad Ammon. p. 222. Burmannus Secundus et Heynius certatim corrigunt *Mille malas herbas*; profecto male. Idem dicit Tibullus, quod Plato, *εἰ δ', ὅ, τι βούλεται, τοῦτο ποιείτω· μόνον* — Ergo etiam parenthesis abiiciendi sunt cancelli, quibus v. 59. circumscripsit Broukhusius, alios fortasse secutus editores, et locus continuo legendus:

Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias *herbas misceat illa, bibam.*

ELEGIA V.

Phoebe, fave! novus ingreditur tua templa sacerdos.
Huc, age, cum cithara carminibusque veni.

ELEGIA V.

Huius carminis compositionem paullo dissolutiorem non assecuti sunt veteres Editores, in duas illi partes discerpentes, quod unum est et continuum opus, sed propter argumenti sublimitatem et insolentiam ad lyricam propemodum assurgens audaciam. Igitur prima pars ab initio ad v. 38. in Ed. mai. a. 1472. inscripta est, *Invocatio Phoebi*; (quibus verbis eiusdem anni Ed. minor addit, *et eius laudes*) altera, *Vaticinium Sibyllae de Aenea et Roma Urbe*, in min. *Sibillae vaticinium de Aenea*. Similes inscriptiones habent Edd. Vicent. et Reg. Lep. nullam Venett. 1491.93. hactenus convenientes praecepto Cyllenii, cuius egregiam observationem apposui v. 39. in eo tamen ab illo discrepantes, quod Elegiam continuo legendam in duas item partes divisam exhibent, sicut Codd. Paris. Lips. alii. Initium huius carminis non te poenitebit contulisse cum altera parte carminis Pindarici, cuius priores versus supra descripsimus ad I. 7. 51. p. 206.

Διόθεν τέ με σὺν Ἀγλαΐᾳ
ἴδετε πορευθέντες ἀοιδαῖς
δεύτερον ἐπὶ κισσοδέταν
θεόν —

Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudis flectere verba modos.

V. 4. Nunc opus ad — verba modis!

γόνον ὑπάτων πατέρων
μέλπομεν
γυναικῶν τε Καδμείαν
Σεμέλαν.

2. CUM CITHARA CARMINIBUSQUE] Uterque codex *cithera*, ut supra II. 5. 12. Ed. Reg. Lep. mendose *criminibusque*.

3. VOCALES — CHORDAS] Codd. Paris. et Lips. *cordas*. Edd. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *conchas*. Chordae *vocales* et, quinfra occurrunt v. 78. *boves vocales*, valde discrepant. Tamen utrumque eodem fere modo germanice conversum video. Horatius A. P. 216.

Sic etiam fidibus voces *crevere severis*.

4. NUNC PRECOR AD LAUDES — MEAS] Sic cod. Lips. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etc. Unus liber *Nunc opus*. Offendit librarium constructio verbi *precor* cum infinitivo. Sed ut *precor* passim apud Ovidium, ita eiusdem generis alia verba *opto, rogo, oro*, saepe apud alios scriptores cum infinitivo construi, satis constat. Horatius II. Epp. 1. 166.

Nec prave factis decorari *versibus* opto.

Ovidius Ep. VI. 144.

Hiscere *nempe tibi terra* roganda *foret*.

Claudianus XX. 372.

festis illae lusisse *diebus*
Orant, *et positis aequaevas* visere *pensis*.

Porro pro *ad laudes — meas* Cod. Paris. cum perpaucis aliis habet *ad laudes — tuas*. Quae lectio orta est e difficultate, quam habet prior. Nam *flectere verba ad laudes meas* foret idem quod *verba redigere in numeros ad laudandum me*, quod absurdum; *ad laudes tuas*, ad laudandum *te*, nunc nihil ad rem. Hoc precatur poeta, ut Phoebus carmen in Messalinum praeeat cithara ac voce, tribuens illi, quae suae ipsius partes sunt, exemplo Homeri alio-

rumque poetarum, in primis Horatii, qui locum suppeditat simillimum III. Carm. 4. 1.

> Descende caelo *et* dic *age tibia*
> *Regina longum Calliope melos*,
> *Seu* voce *nunc mavis acuta*,
> *Seu* fidibus citharaque *Phoebi*.

Iam ab hac sententia proxime abest lectio, quam exhibent libri Matt. Monach. et Guelf. 3.

> *Nunc precor ad* laudis *flectere verba* modos.

Modos etiam habent Exc. Lips. et Voss. 4. in margine. Nec tamen haec lectio satisfecit Heynio, qui, *si modos* reponeretur, reponendum ultro pro *laudis* censebat *laetos* vel simile quid, nec placuit ea Vossio, qui e coniectura substituit,

> *ad laudes flectere verba* modis.

Sed haec locutio caret auctoritate et exemplo. Novimus quidem, qui dixerit *voces inflectere cantu;* qui *flectere verba modis* vel *numeris* dixerit, neminem novimus. Usitatum est in hac formula verbum *nectere*, non *flectere*. Ovidius IV. ex Pont. 2. 29.

> *Parvaque, ne dicam, scribendi nulla voluptas*
> *Est mihi; nec* numeris nectere verba *iuvat*.

Iuvenalis VII. 17.

> *Nemo tamen studiis indignum ferre laborem*
> *Cogetur posthac*, nectit *quicunque canoris*
> Eloquium vocale modis *laurumque momordit*.

Horatius II. Epistt. 2. 86.

> Verba lyrae *motura sonum* connectere *digner*?

Ad quem modum Telestes scripsit, *πνεύματος αὔραν ἀμφιπλέκειν καλάμοις*, loco misere corrupto, quem partim alibi emendavi, partim hac occasione emendare conabor, (versibus descriptis ad normam Santenii, quam ex admonitione mea secutus est Fiorillo Observatt. Critt. p. 43.) apud Athenaeum XIV. p. 617. B.

> *ἢ Φρύγα καλλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα,*
> *Λυδὸν ὃς ἥρμοσε πρῶτος*
> *Δωρίδος ἀντίπαλον Μούσης νόμον, αἰολομόρφοις.*

πνεύματος εὔπτερον αὔραν

ἀμφιπλέκων καλάμοις.

Vulgo *αὔδονος ἥροσε — νομοαίολον ὄρφναί.* Erunt igitur fortasse, qui Tibullo hanc lectionem substituere velint:

Nunc precor ad laudes nectere *verba modis:*

id est, *citharae* modis *aptare*, ut scribit Horatius II. Carm. 12. 4. vel *sociare*, ut IV. 9. 4. Verba *loquor* socianda chordis. I. Epistt. 3. 12.

Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis

Thebanos aptare modos *studet*, *auspice Musa?*

Sed languent illa, *ad laudes*, tam nude posita, nec eiiciendum temere est verbum *flectere*, quod paene solum hoc loco inviolatum evasit. Nam pro *Nunc* Lips. habet *Hunc*, pro *verba* complures libri *plectra*, pro caeteris alii alia. Retinendum igitur est *flectere*, quum proba sit et Latina locutio *flectere verba* ad aliquid. Etiamne *ad laudis modos*? Hanc lectionem, bonis libris confirmatam, in contextum intuli, fretus auctoritate Propertii, qui hoc sensu posuit *laudis carmen* II. 10. 23.

Sic nos nunc inopes, laudis *conscendere* carmen,

Pauperibus sacris vilia tura damus.

Suspicor tamen fore, qui *laudis modos* et *laudis carmen* magis inter se conciliare et pro *modos* legere malint *melos*, quae vox similitudine attingit utramque scripturam *meas* et *modos*, et huius varietatis tamquam parens haberi possit. Certe dubitari nequit, quin vox *melos* argumenti, quod tractat auctor, gravitati aeque conveniat ac carmini Horatiano, cuius initium supra descripsimus. Sed talia in margine ponere licet, in contextum inferre, nisi boni libri auctoritas accedat, non licet. — Telestis caussa adscripsi locum Appuleii e Floridis p. 558. ed. Wouv. *Hyagnis fuit, ut fando accepimus, Marsyae tibicinis pater et magister, rudibus adhuc Musicae saeculis, solers ante alios cantus canere, nondum quidem* tam infixo animo sono, *nec* tam pluriformi modo, *nec* tam multiforatili tibia. Qui locus ita

Ipse, triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni; nunc indue vestem
Sepositam; longas nunc bene pecte comas:

corrigendus est: *nondum quidem tam* inflexo anima sono, *nec tam pluriformi* etc. *Anima* enim, id est, quod Telestes dicit, *πνεῦμα*, *inflectit sonum*, non *animus*. Haec emendatio proxime abest ab altera lectione, *infessa animae sono*, prolata a Taubmanno ad Plauti Mercat. I. 2. 15.

> animam *nequeo* vortere: *nimis nihili* tibicen *siem*.

Sic vicissim ex Appuleii loco in versibus, quos posui, graecis adiectivum *αἰολόμορφος* ita possis inflectere, ut vel ad *νόμον* referatur vel ad aliam in vicinia positam vocem. Mihi illud magis placebat. — Pindarus apud Athenaeum XIV. p. 635. B. de barbito: *Τόν ῥα Τέρπανδρός ποθ᾽ ὁ Λέσβιος εὗρε πρῶτος ἐν δείπνοισι Λύδιον* (vel *Λυδὸν*) *ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος*.

5. DEVINCTUS TEMPORA LAURO] Ed. min. a. 1472. *deuictus*. Hoc hemistichium leviter variatum recurrit Ill. 4. 23. item de Poebo:

> *Hic iuvenis casta* redimitus tempora lauro.

6. AD TUA SACRA VENI] Edd. mai. a. 1472. (Venet. 1475.) Vicent. et Reg. Lep. *ad tua templa*. Colb. apud Broukhus. *ad mea sacra*. Hunc locum imitatur Ovidius IV. Fast. 451.

> *At chorus aequalis*, cumulatis *flore* canistris,
> *Persephone*, *clamant*, ad tua dona veni.

8. SEPOSITAM] Ita legitur, ut scribit Heynius, inde ab Ald. sec. Immo ita iam legitur in Ed. min. a. 1472. et Venett. 1491. 93. etiam in cod. Paris. Vulgo *depositam*. Vestem

Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Victori laudes concinuisse Iovi.
Tu procul eventura vides; tibi deditus augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis;

V. 11. debitus.

sepositam intellige *cataclistam*, quam dicit Appuleius XI. 245. *Eas amoenus lectissimae iuventutis*, veste *nivea et* cataclista *praenitens*, *sequebatur chorus.* Vide Salmasium ad Tertullianum de Pallio p. 174. Commode Broukhusius laudat Homeri Hym. in Apoll. 184 et 203. Propertius III. 10. 14.

Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein qua primum oculos cepisti veste *Properti*
Indue, *nec vacuum* flore *relinque* caput.

9. QUALEM TE MEMORANT] Complures libri *referunt.*

11. TIBI DEDITUS AUGUR] Liber scriptus *debitus.* Nempe Scaligeri, qui hanc lectionem primus in libros editos intulit, laudato Horatio III. 27. 30.

Debitae *Nymphis opifex coronae.*

Qui locus quomodo illam lectionem firmare possit, equidem non video. Exstat illa quidem etiam in duobus Voss. Paris. Vindob. Goth. Askew. Heins. vel simpliciter vel *debditus*, ut satis appareat, dubitasse librarios, utra sit lectio praeferenda. Mihi *deditus* unice probatur. Auctor orationis pro Domo sua c. 49. *Discite orationem*, Pontifices, *et vos*, Flamines; *etiam tu*, Rex, *disce a gentili tuo; quamquam ille gentem istam reliquit; sed tamen disce ab homine* religionibus dedito, *iusto*, *tum* omnium

Tuque regis sortes; per te praesentit haruspex,
  Lubrica signavit quum Deus exta notis;
Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
  Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
  Vatis: et ipse, precor, quid canat illa, doce.

V. 15. *Omittitur* est. 18. quoi.

religionum perito. Plinius Panegyr. c. 74. Civitas religionibus dedita, *semperque deorum indulgentiam pietate merita, nihil felicitati suae putat adstrui posse, nisi ut dii Caesarem imitentur.*

12. FATI PROVIDA — AVIS] Cod. Lips. *facti provida.* Cicero II. Div. 57. *Quid tam divinum autem, quam afflatus ex terra, mentem ita movens, ut eam* providam rerum divinarum *efficiat.* Idem liber v. 16. *facta* habet pro *fata.*

15. NUNQUAM FRUSTRATA SIBYLLA EST] Cod. Lips. *nonunquam* omisso verbo *est*, quod omittunt etiam caeteri libri, Paris. Edd. a. 1472. Vicent. et Reg. Lep. Habent tamen complures, quos citat Broukhusius.

17. SINE TANGERE CHARTAS] Askew. sic: *Phoebe, sacras Messalinum sine* dicere *chartas.* Quod quorsum spectet, non assequor. Videtur librarius aliam lectionem ob oculos habuisse, quam explicare vellet verbo *dicere*, quod ipsum est mendosum. Nam scripsit, nisi fallor, *discere*, cui responderet, quod sequitur, *doce.*

18. IPSE, PRECOR, QUID CANAT ILLA, DOCE]. *ipse* omissum in Ed. mai. a. 1472. Eadem, ut Ed. altera eiusdem anni, Vicent. Reg. Lep. etc. cum cod. Paris. et aliis, *quod canat illa*; Lips. *quod canit illa, doce*. Recte Muretus, sequente Heinsio, substituit,

> *ipse*, *precor*, quid *canat illa*, *doce*.

confirmantibus id sex libris Voss. Error ortus est e compendio scripturae *qd*. Cur Heynius maluerit, *quae canat illa*, equidem ignoro. Hoc scio, illud *quoi* auctori suo relinquendum esse. In omni oraculo primo loco quaeritur, ut est apud Platonem Apol. Socrat. 6. p. 84. ed. Fisch. *τί ποτε λέγει ὁ θεός; καὶ τί ποτε αἰνίττεται;* Praeclare auctor orationis pro Domo sua c. 41. *Equidem sic accepi, Pontifices, in religionibus suscipiendis caput esse*, interpretari quae voluntas deorum immortalium esse videatur; *nec est ulla erga deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio, quum expeti nihil ab iis, quod sit iniustum atque inhonestum, arbitrere*. Hinc Sibyllinus sacerdos *interpres* Sibyllae oraculorum dicitur apud Gellium IV. 1. *ostentabat quispiam grammaticae rei scitior scholia quaedam nugalia, de generibus et casibus vocabulorum disserens, cum arduis superciliis vocisque et vultus gravitate composita*, tamquam interpres et arbiter Sibyllae oraculorum. Hanc interpretationem a Phoebo ipso nunc precatur pro Messalino Tibullus. Lucanus I. 681.

> Quis *furor hic*, o Phoebe, doce: quid *tela manusque*
> *Romanae miscent acies, bellumque sine hoste est?*

Hinc vates ipsi *docti* dicuntur, ut Tiresias apud Ovidium III. Metam. 522. et Carmenta I. Fast. 499. Statius VIII. Theb. 554.

> *quae populis* proferre *parabas*,
> Me doceas. *Tibi sacra feram praesaga, tuique*
> Numinis interpres, *te Phoebo absente vocabo*.

Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares:
Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque Deos.
Romulus aeternae nondum firmaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo.

20. RAPTOS] Vulgo *captos*. Emendavit Scaliger.

21. NEC FORE CREDEBAT] Ed. mai. a. 1472. *Nec;* minor *Haec.* Illud caeterae Edd. admiserunt, hoc Venett. 1491 — Aldd. Codices Paris. et Lips. *Nec.* Heinsius, alteri lectioni inhaerens, emendabat:

Haec *fore* prodebat *Romam, quum moestus ab alto* —

„et sequitur ipsum Sibyllae vaticinium mox infra, cuius initium, *Impiger Aenea.* et paullo ante, *quid canat illa, doce.*"

22. ILION] Paris. *Ylion.*

23. NONDUM FIRMAVERAT URBIS MOENIA] Hic iterum agnoscere licet diversas Editionum sectas, e diversis fontibus profectas. Nam Ed. min. a. 1472. habet *formaverat,* minor, *firmaverat.* Illud expresserunt Venet. a. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. hoc Venett. 1491. 93. Ald. 1502. et quae hanc ubique persequitur Editio sine l. et a. (Ald. 1511.) Neutra lectione contentus Muretus edidit *fundaverat*, sequente Pulmanno in Ed. Plantin. 1569. Sed iam Statius, ego, inquit, legendum suspicabar *firmaverat*, non, *formaverat.* Hic igitur coniectura assecutus est, quod tum libri scripti offerebant tum prius editi. Paris. *nundum firmaverat.* Lips. *nondum formaverat.* Pauci *fundaverat.* Eadem scripturae varie-

tas apud Claudianum I. Rapt. Proserp. 236.

Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant

Cyclopum firmata *manu.* Ita iam Baryuus edidit a. 1494. (nisi fallor.) Alii *formata.* alii *fundata.* Ms. Cui. *fabricata.* Sed ut recte editur apud Claudianum *firmata,* ita apud Tibullum *firmaverat,* quod iam pridem vidit Cyllenius scribens, „urbem septam muro ne quis transgrederetur, per supplicium nondum firmaverat. Propertius elegiarum tertio (9. 50.)

et caeso *moenia* firma *Remo.*"

Egregia animadversio. Nempe *moenia* sumenda sunt pro *primis* moenium *rudimentis,* pro *vallo* nondum *firmato.* ut apud Livium I. 7. *Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum* novos *transiluisse* muros: *inde ab irato Romulo — quum verbis quoque increpitans adiecisset,* Sic deinde quicunque alius transiliet moenia mea — *interfectum;* vel potius pro *primis* Urbis *aedificiis, Remo non habitandis.* Hoc praestat. Vide Dukerum ad Flori I. 4. *Hic igitur et* moenia muro *amplexus est.* Velleius Pat. I. 8. 5. de Romulo: *Libenter enim his, qui ita prodiderunt, accesserim, cum aliter* firmare urbem novam, *tam vicinis Veientibus — cum imbelli et pastorali manu vix potuerit.* Ubi Burmannus corrigit *formare.* Sed vide Ruhnkenium ad II. 123. *Augustus cum — Tiberium filium missurus esset in Illyricum* ad firmanda pace, *quae bello subegerat, prosequens eum — processit in Campaniam.* Quo loco Ruhnkenius vim iudicandi viris doctis defuisse dicit, qui dubitare potuerint, *formanda* (quod Edit. pr. habet) an *firmanda* (quae Burerii correctio est) legendum esset. Nihil impedio. Vereor tamen, ne haec ratio non accommodari possit loco Livii I. 45. *Aucta civitate magnitudine urbis,* formatis omnibus domi ad belli et ad pacis usus, *ne semper armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est.* Heynius *formare* h. l. sumit pro *condere, exstruere,* nullo rem exemplo confirmans, quod desiderat etiam Santenius Bibl. Crit. p. 84. Ed. mai. a. 1472. ut Cod. Paris. *nundum* pro *nondum.*

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae,
Et stabant humiles in Iovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,
Et facta agresti lignea falce Pales;
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra Deo:
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,
Nam calamus cera iungitur usque minor.

V. 25. tum. 32. Et.

25. SED TUNC — PALATIA VACCAE] Lips. *tum*. Idem cum Paris. et Ed. Reg. Lep. *palacia*. Ed. min. a. 1472. cum uno Voss. et Lips. *uacae*. Wakefield. ad Lucretium II. 995. corrigit *vaccas*.

29. PENDEBATQUE — VOTUM] *Votum* de re, quae dedicatur, sive de dono votivo, ut εὖχος in epigrammate Platonis Anal. Brunck. T. I. 170.

Χαλκῷ μορφώσας τις ὁδοιπόρος εὖχος ἔθηκεν.

Propertius IV. 3. 17.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

31 — 32. FISTULA, CUI SEMPER] Hoc distichon pro fetu inepti versificatoris habendum est, iudice Mitscherlichio Tentam. Crit. p. 9. neque enim *semper* fistulae ordinem decrescere, neque *usque* calamum minorem cera iunctum fuisse, refragante vel Menalca Theocriteo Id. VIII. 19. Enimvero particulae *semper* et *usque* hoc loco non de tempore absoluto, sed de temporis

At qua Velabri regio patet, ire solebat
  Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa saepe gregis diti placitura magistro
  Ad iuvenem festa est vecta puella die:

V. 36. *Omittitur* est.

spatio dicuntur, quo ille arundinis *paullatim* vel *deinceps* decrescentis ordo decurritur intuendo vel cogitando. Martialis II. 83.

> *Praeceps per longos dum ruit* usque *gradus.*

Commentarii instar est locus Ovidii, laudatus a Statio de Daedali alis VIII. Metam. 189.

> *nam ponit in* ordine *pennas*
> *A minima coeptas*, longam breviore sequenti,
> *Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam*
> Fistula *disparibus* paullatim surgit *avenis.*

32. NAM CALAMUS — MINOR] Guelf. 2. et collatt. Colot. *Et.* Caeteri libri scripti editique *Nam* pro more Tibulli, de quo dixi ad I. 9. 45. Heinsius malebet *Dum.* Pro *cera* cod. Lips. *ceras.*

34. PULSA — AQUA] Pro *pulsa* libri magno numero, etiam nostri, *pulla* habent. Libri tamen Passeratii cum quibusdam aliis *pulsa*, quod revocavit Scaliger. *Aqua pulsa* scil. *remis*, quod vulgo addi solet, hic autem facile e contextu elicitur. Hinc Santenius apud Valckenarium ad Catulli Eleg. Callimach. v. 45. p. 142. tuetur Statii emendationem:

> *Quum Medi* pepulere *novum mare, quumque iuventus*
> *Per medium classi barbara navit Athon.*

35. ILLA — DITI PLACITURA MAGISTRO] Codd. Paris. et Guarn. *Illaque — ditis.* Bodlei. et Lips. *dictis* pro *ditis.* Edd. a. 1472. *gregis ditis placitura magistris.* Posteriores *magistro.* Venett. 1491. 93. *paritura.* Ineptissime! Extat tamen in libris Pas-

ser. et tribus Gebh. Recte Muretus reposuit:

Illa saepe gregis diti *placitura magistro.*

confirmante id Corvin. et probante post alios Vulpio, „praesertim quum ita explicari possit, *magistro qui dives erat gregis.*" Aliter non potest. Virgilius Ecl. II. 20.

Quam dives pecoris, *nivei quam lactis abundans.*

Homerus Il. ε. 544. ἀφνειὸς βιότοιο. Contra apud Horatium III. 30. 11. pauper aquae *Daunus*. Iam verbo *placitura* Vossius substituit *pia cura*, partim quia infra v. 51. recurrit *Marti* placitura *sacerdos*, partim quia displicet ei puella, quae per vada vehitur eo consilio, *ut placeat* pecoris *magistro*. Prior ratio nulla est, posterior plane falsa. Num Ilia, Marti *placitura*, eo consilio deseruit Vestales focos, ut placeret deo? Utroque loco sermo est de eventu non proviso. Sed confundit ille gregis *magistrum* et *iuvenem*. Atqui puella vehitur *ad iuvenem*, hoc est, ut Heynius explicat, „ad ludos ac solemnia rustica celebranda inter pastores," ignorans illa, se placituram esse gregis magistro. Sed placet et secum reportat *fecundi munera ruris*. Vel etiam ad iuvenem *amatorem*, cui palmam praeripit *dives* gregis *magister*. Illud agitur apud Virgilium Ecl. III. 66.

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,
Notior ut iam sit canibus non Delia *nostris;*

hoc apud Propertium II. 34. 69.

Utque decem possint corrumpere *mala* puellam,
Missus *et impressis* haedus *ab uberibus.*
Felix, qui viles pomis mercaris amores:
Huic *licet* ingratae Tityrus *ipse canat.*

Vicissim Corydon Alexin, *domini* delicias, carpere tentat ibidem, duce Virgilio. — Collatio codicis Paris. quam in manibus habeo, facta ad Edit. Voss. lectioni *pia cura* non habet adscriptam lectionem *placitura*, ut suspicer, in hoc libro legi *pia cura*. Nec valde mirarer. Nam infra etiam IV. 11. 1.

Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus et niveae candidus agnus ovis. — —
Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troïa qui profugis sacra vehis ratibus.

haec in libris confunduntur.

36. FESTA EST VECTA — DIE] Verbum *est* Guyetus in versus finem reiecit, probantibus Broukhusio et Vulpio, confirmantibus etiam tribus libris Voss. Caeteri libri medio id loco habent: nullus omisit. Vide II. 1. 46.

37. FECUNDI — MUNERA RURIS] Ludicrum est, ait Heynius, quod Vicent. exhibet:

Cum qua facundi *redierunt munera* iuris —

Ludicrum profecto est; sed fontem indicare possum, unde manavit. Nempe Ed. mai. a. 1472. iam habet, ut est etiam in cod. Lips. *facundi*. Reg. Lep. *faecundi*. Colbert. *numina*.

39. IMPIGER AENEA] Memorabilis locus propter subitam orationis *μετάβασιν ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ εἰς τὸ μιμητικὸν γένος*. Sic Propertius III. 6. 19. subito puellam loquentem inducit per Lygdamum, hero absentis querelas repetentem:

Haec, te teste, mihi promissa est, Lygdame, merces?

Huc item pertinet IV. 1. 71. ubi horoscopus de improviso et nulla facta praeparatione, *οὐδὲν προδηλώσας*, interpellat poetam sic:

Quo ruis imprudens? cave dicere facta, Properti.

Quod non capientes veteres editores, monente Beroaldo, adde etiam recentiores, hunc locum separarunt a superiore Elegiae parte, sicut factum hic videmus apud Tibullum in libris scriptis et Edd. antiquis. Audiamus Cyllenium: „Omnes autem quos vidi codices hanc a superiori divisam habent: quum tamen videatur membrum esse praecedentis. dixit enim:

Iam tibi Laurentes adsignat Iuppiter agros;
Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda Deum coelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes!
Tandem ad Troianos Diva superba venit.

V. 45. volitans.

Haec dedit Aeneae sortes. revertitur enim ad propositum post multam evagationem." Tamen Statius, Sextam, inquit, facio Elegiam, omnium veterum librorum fidem secutus, et sic olim Aldus edidit. Ad saniorem rationem rediit Scaliger. Vide quae diximus ad I. 5. 21. et confer Iuvenalem XV. 16 — 24. — In uno Stat. et Lips. *Iup'ger.* veterum consuetudine, ut ille ait.

40. TROÏA — SACRA] Codd. Paris. Lips. cum multis aliis, Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etc. *Troica.* Unus Bodl. Voss. 2. Bern. Askew. Ed. min. a. 1472. *Troïa.* Hoc nunc praeferendum videtur. Vide Bentleium ad Horatium III. 3. 32. Ruhnkenium ad Vellei. I. 5. 3.

41. IUPPITER] Ita Edd. vett. scripti etiam libri, ut Lips. non *Iupiter.* Vide Museum Antiq. Stud. Tom. I. p. 583.

42. LARES] Voss. 5. Hamburg. et Excerptt. Lipsii *deos.*

45. ECCE SUPER FESSAS VOLITAT] Ed. Vicent. *semper.* Unus Stat. *volitans.* Non male. *Ecce volans Victoria*, ut apud Virgilium VII. 706. quem laudat Vossius: *Ecce — agmen agens Clausus.*

Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris!
Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos,
Ilia, Vestales deseruisse focos:
Concubitusque tuos furtim, vittasque iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.

V. 49. *Omittitur* est. 53. datos furtim.

47. LUCENT RUTULIS — CASTRIS] Cod. Lips. *luceant*. Paris. *rutilis*. Cyllenius ita: secutus Maronem est, qui Turnum dicit ignes iaculatum fuisse in naves Troianorum, cum Aeneas ipse ad socialia arma comparandum tetendisset. Nempe IX. Aen. 71.

sociosque incendia *poscit ovantes,*

Atque manum pinu flagranti fervidus inplet.

49. CASTRUM MURUSQUE LAVINI EST] Sic cod. Lips. et Edd. veteres. Paris. *castris.*

52. ILIA] Paris. *Ylia.* Lips. *Illa.* Ed. min. a. 1472. *illia.*

53. CONCUBITUSQUE TUOS FURTIM] Ed. min. a. 1472.

Concubitusque suos furtim uictasque *iacentes.*

Vulgatam lectionem Heynius in Indice v. *furtim* explicare conatur graece, verbis tamen non bene graecis. Poterat comparare

Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.

V. 55. septem de.

formulas, satis frequentes, quibus Graeci nomina eum adverbiis pro adiectivis copulare solent, v. c. *αἱ παραντίκα ἡδοναὶ* (Xenophon Cyrop. VIII. 1. 11.), *αἱ ἄγαν σπουδαὶ αὐτῶν, contentissima eorum studia* (Lucian. Contempl. 17.). Et videtur locus esse incorruptus. Qua de re dubitans Schraderus correxit,

Concubitusque tuos, urnam *vittasque iacentes*.

Satis dissolute. Lenior est Vossii emendatio, *Concubitusque* datos *furtim*. Sed nec de formula, *concubitus dare*, constat, nec, si constaret, hoc conveniret Vestali, *vi compressae*. Longe igitur, si locus emendatione indigeret, praeferenda esset eiusdem coniectura, *Concubitusque tui furtum*. Vindob. *Custodesque tuos*. Edd. vett. *victusque*. Sic etiam libri Paris. et Lips.

54. ET CUPIDI AD RIPAS — RELICTA] Ed. mai. a. 1472.

Et cupidi ripas *arma* relitta *dei*.

Praepositio omissa etiam est in Edd. Vicent. et Reg. Lep. casu haud dubie, nec propter duarum vocalium *i, a*, (*cupidi ad*) synaloephen; quam si quis duram existimet et propterea legendum censeat, *Et cupidi* ripis *arma* etc. aures habeat necesse est delicatiores quam Romani, qui haec sane et duriora ferre didicerant. Virgilius II. Georg. 128.

Pocula si quando saevae infecere novercae.

III. 135.

Hoc faciunt, nimio ne luxu ob*tusior usus.*

IV. 342.

Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae.

IV. Aen. 40.

*Hinc Gaetul*ae *urbes, genus insuperabile bello.*

Tibullus I. 3. 18.

*Saturn*i aut *sacram me tenuisse diem.*

55. DE SEPTEM MONTIBUS HERBAS] Unus

Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
  Qua sua de coelo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
  Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tum se mirabitur, et sibi dicet
  Vos bene tam longa consuluisse via.

V. 57. rebus. 59. rutilantibus.

Bodlei. *septem de montibus.* Non probo. Vide Bentleium ad Horatium I. Serm. 10. 49.

Haerentem capiti cum multa *laude coronam.*

Ovidius III. Fast. 73.

Arbiter armorum, de cuius *sanguine natus* —

56. HIC MAGNAE IAM LOCUS URBIS ERIT] Sic Edd. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. Altera princ. quam minorem dico, *nam.* Est hoc in libris quibusdam, quos sequebatur Muretus. Perperam. *Locus urbis* alio sensu dictus Ovidio II. Fast. 280.

Hic, ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat.

57. NOMEN TERRIS FATALE REGENDIS] Guelf. 3. *rebus*, in margine *terris.* Virgilius VI. Aen. 782.

Imperium terris, animos aequabit Olympo.

Ovidius XV. Metam. 877.

Quaque patet *domitis Romana potentia* terris.

Florent. *Quaqua* pro *Qua sua* v. 58. Conf. Horatium III. 5. 53—56.

59. FLUITANTIBUS UNDIS] Lips. *fluentibus.* Voss. 4. *fluctuantibus.* Nullus *rutilantibus.* Equidem, qui *fluitantes undas* dixerit, praeter Tibullum, neminem novi. Idem non magis novi, qui dixerit *rutilantes.* Quum illud tamen recte dicatur et rei, de qua agitur, convenienter, quaeras cum Porsono, cuiusmodi dialectices sit, semel dictum eiicere, ut numquam dictum substituas?

61. TROIA QUIDEM TUM

Vera cano: sic usquè sacras innoxia laurus
Vescar, et aeternum sit mihi virginitas! — —
Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit,
Iactavit fusas et caput ante comas.

V. 66. Iactat diffusa dum — coma.

SE MIRABITUR] Lips. et Edd. a. 1472. *nunc se.* Paris. et Edd. Vicent. Reg. Lep. Venett. *tunc se.* Omnes v. 62. *longam viam.* Scaliger *longa* — *via*, ut est in Voss. 1.

63—64. LAURUS VESCAR] *Laurus* primum Aldus mutavit in *lauros*, infra tamen v. 117. retinens *laurus*, quam inconstantiam in eodem carmine imitari nolim. Idem l. 7. 7. *lauros* edidit, conspirante omni antiqua Editione. Illic non nisi unus liber scriptus habet *laurus*, hic sine exceptione omnes. Pro *Vescar* Florent. apud Stat. unus Heins. Guarn. et Paris. *Noscar.* Vindob. in margine *noscam.*

65. CECINIT VATES ET — VOCAVIT] Plane ut apud Virgilium VII. Aen. 471.

Haec ubi dicta dedit, divosque *in vota* vocavit.

66. IACTAVIT FUSAS ET CAPUT ANTE COMAS] Hunc locum incorruptum posteritati tradiderunt librarii et Edd. veteres, sed male sedula Criticorum, qui subinde exorti sunt, natio, non contenta optimis, substituit deteriora, immo deterrima. Legitur quidem in Excerpt. Anton. Perreii *fusa coma*, in Ed. min. a. 1472. *fuscas* pro *fusas*. Sed hae merae sunt nugae. Iam Achilles Statius veram vidit verborum constructionem, *Iactavit comas ante caput*, addens, Nescio, an capitis illam rotationem sic significet,

an potius, dictis sortibus, passis crinibus vultum texerit. Sensum ille quasi per transennam vidit. Scaliger, descripto versu, sicut acceperat,

Iactavit fusas et caput ante comas;

ita commentatur: „Inepte quasi potuerit alterum sine altero. Sed legendum:

Iactavit fusa set *caput ante* coma.

Set pro *Sed* dedit ansam errori. Haec, inquit, dixit abreptitia illa sed non prius invocato Phoebi numine, quam effusa coma caput iactaret. Nam fanaticorum hic erat mos, ut capillum funderent. Plautus:

Hariolus fiam. capillum promittam."

Recte; fanaticorum hic mos est. Sed illi non, quasi ad praescriptam regulam, *primum* caput iactant effusa coma, *deinde* invocant deum; sed uno et eodem tempore et deum invocant et caput iactant et comam effundunt, vel potius profundunt. Huc animum advertere debebat Scaliger. Nunc particulam *ante* sumens pro adverbio, non, quod debebat, pro praepositione, verba et sententiam corrupit Tibulli, ne dicam Plauti. Plautus Rud. II. 3. 46.

Capillum promittam, optumumst, occipiamque ariolari.

A Scaligeri auctoritate discedere nefas visum posterioris aevi criticis, donec tandem Heynius ad pristinam lectionem et Statii constructionem rediret, rem tamen ipsam non satis illustrans. Primum *iactare comas* vel simpliciter, vel adiecto nomine dei, *cui* iactantur, formula est fanaticis propria. Varro apud Nonium p. 670. 28. Gothofr. *tibi nunc semiviri*

teretem comam volantem iactant Galli.

Gallus in epigrammate Antipatri Sidon. Anal. T. II. p. 13.

ῥομβητοὺς δονέων λυσσομανεῖς πλοκάμους.

Deinde illud etiam fanaticis proprium erat, *fundere comas ante caput* vel *ante frontem*, vel *crines pendulos rotare in circulum*, quod scribit Appuleius VIII. p. 172. ita, ut *anteventulae contegerent faciem*, quod idem scribit IX. p. 198. ed. Pric. Ad quem modum Cornelia in-

ducitur, occiso Pompeio, a Lucano IX. 171.

> *ut visa est lacrimis exhausta,* solutas
> In vultus effusa comas, *Cornelia.*

Hoc Euripides simpliciter dicit *προσείειν πλόκαμον* Bacch. 918. ubi, postquam Bacchus Pentheo obiecit:

> *ἀλλ᾽ ἐξ ἕδρας σοι πλόκαμος ἐξέστηχ᾽ ὅδε.*
> *οὐχ ὡς ἐγώ νιν ὑπὸ μίτρᾳ καθήρμοσα·*

hic respondet:

> *ἔνδον προσείων αὐτὸν, ἀνασείων τ᾽ ἐγὼ,*
> *καὶ βακχιάζων, ἐξ ἕδρας μεθώρμισα.*

Huc pertinet locus Ovidii, laudatus ab Heynio, I. Fast. 503. de Carmenta:

> *Utque erat,* immissis *puppim stetit ante* capillis.

Magis tamen huc pertinet locus quidam Lucilii, unde simul discimus, comas ante caput fusas propria voce a Latinis vocari *capronas.* Nonius c. 1. p. 495. Gothofr. *Capronae* dicuntur comae, quae *ante frontem* sunt, quasi a capite pronae. Lucilius Satirar. libr. VII.

> *Aptari caput atque comas fluitare* capronas,
> *Altas,* frontibus immissas, *ut mos fuit illis.*

Quo loco si forte quaeras, quibusnam mos ille fuerit, de quo loquitur Lucilius, haud equidem dubitaverim respondere, esse fanaticos vel fatidicas easdem, de quibus nos cummaxime loquimur. Nam, quod primo loco dicere debebam, fanaticis mos fuit, comam alere, *capillum promittere,* ad exemplum Apollinis, quem Marsyas, *coma relicinus,* apud Appuleium Florid. p. 559. ed. Wouv. *culpabat, quod esset* coma intonsus. *Iam primum, inquit, crines eius* praemulsis antiis *et* promulsis capronis anteventuli et propenduli — lingua fatidica. Sic item Bacchae dicuntur *sacrum* deo suo *pascere crinem,* duce Euripide, apud Virgilium VII. Aen. 390. Nam, quod Tibullus alibi scribit:

> *Nam decet intonsus crinis* utrumque deum.

Tantum igitur abest, ut locus Tibulli emendari poscat, ad modum praesertim Vossianum, ut locus Lucilii emendari debeat e loco Tibulli. Quid enim est, *aptari caput?* Quomodo hoc convenit iis, quae

Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit,
Herophile Phoebo grataque quod monuit;

sequuntur? At omnia conspirabunt, si legeris:

Iactari caput, *atque comas fluitare capronas,*
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

67—68. QUIDQUID AMALTHEA] Muretus censet haec pendere e superioribus v. 18.

ipse, precor, quid canat illa, doce.

Ut hoc dicat Tibullus: non tantum doce Messalinum, quid canat Sibylla Cumana, verum etiam, quidquid Amalthea caeteraeque dixerunt, et quas sortes Tiburtina per flumina portarit. Quam rationem spernens Heynius, manifesta, inquit, res est, excidisse hic nonnulla, quibus aditus parabatur ad ea, quae sequuntur. Sed haec res non magis manifesta est, quam ratio illa Mureti, quae mihi etiam contorta videtur et elumbis, nec carminis argumento conveniens. Verum Heynius, ut erat versatilis vir ingenii, alteram statim expromit coniecturam hanc, versus 67—70. referendos esse ad v. 79. *Haec fuerit olim.* ita ut versus 71—79. sint ἐν παρενθέσει. Talem digressionem vidimus supra v. 25—38. nec dissimilem indicabimus infra v. 91—94. Haec igitur potior mihi videtur sententia Heynii, quamvis non docentis, unde pendeant coniunctivi *portarit, pertuleritque.* Nempe Tibullus fabulam de Sibylla Tiburte, quae sortes per fluvium sicco sinu *portarit* et *pertulerit,* hoc ipso modo, id est, ambigue et dubitanter, tamquam rem fictam, commemorat et designat. Quod genus scribendi frequens est v. c. apud Ciceronem II. Div. 60. *Sed haec quoque in promptu fuerint. nunc interiora videamus.* Caeterum omnis huius loci lectio dubia est et incerta. Illud apparet, *Herophilen* hoc loco non bene dici *Phoebo* gratam, quum modo invocaverit Phoebum et porro eum

invocet poeta. Tum ne illud quidem certo scimus, scripseritne Tibullus *Mermessia*, quod Broukhusius, auctore Salmasio ad Solinum p. 78. primus reposuit, an *Marpesia*, quod habent libri fere omnes, etiam Paris. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etc. — Cod. Lips. *marphesia*. Atqui Herophile se ipsa *Marpesiam*, vel *Marpessiam* venditat in carmine apud Pausaniam, ut credibile sit, coniunctim h. l. legendum esse, *quidquid Marpesia dixit Herophile*, quod Vossius etiam suspicatur, legens tamen *Mermessia*, et nomini *Phoebo* substituens *Demo*, quod est nomen Sibyllae Cumanae. Sed propius a *Phoebo* abesset *Phyto*, Sibylla Samia. Suidas: ἕκτη Σαμία, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτώ· περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης. Lactantius I. 6. 12. *sextam* Samiam, *de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum*. Auctor quaestionis, *Quot fuerint Sibyllae*, apud Montefalcon. Biblioth. Coislin. p. 347. ἕκτη ἡ Σαμία, ἧς τὸ κύριον ὄνομα Φυτὼ φασιν. Haec eodem iure nominatim citari potuit a Tibullo, quam Amalthea et Herophile. Tacitus VI. Annal. 12. *post exustum sociali bello Capitolium*, quaesitis Samo, *Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias*, carminibus Sibyllae, *una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere.* Versatur nomen illud in varietate lectionis supra II. 3. 27. *ubi nunc est Delphica Pytho?* Quo loco, quae annotavimus, vide. Politianus Nutric. 222.

> *Demoque*, Phytoque, *et veri gnara Phaennis.*

Herophile quidem eximie dici potuit *Phoebo grata*, ut patet ex iis, quae narrat Pausanias X. 12. At etiam Phyto simpliciter dici potest *grata*, scil. tibi, o Phoebe, vel universe, ut Sibylla Cumana apud Ovidium XIV. Metam. 123.

> *Seu dea tu praesens, seu* dis gratissima, *dixit,*
> *Numinis instar eris semper mihi.*

Sed nolo diutius cum Sibylla digitis micare. Pro *Herophile* Paris. *Heriphile*. Lips. cum Ed. min. a. 1472. et Reg. Lep. *Heriphyle*. Ed. mai. a. 1472. et Vicent. *Eriphyle*. Eaedem cum caeteris, *grataque quod monuit.*

Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu:

V. 70. praelueritque.

69—70. QUASQUE ANIENA SACRAS TIBURS] Cod. Paris. Ed. mai. a. 1472. Vicent. *Quodque Albana.* Cod. Lips. Ed. min. a. 1472. Venet. 1475. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. *Quasque albana.* Pro *Tiburs* libri scripti, modo citati, cum Ed. min. *tiberis* (Lips. *tibris*). Caeteri *Tybris.* Pauci *Tyburs* cum Aldd. — Excerpt. Lips.

> *Quasque* Aniena *sacras*
> Tiburs *per flumina*
> *sortes* —

Huic lectioni suffragantur omnia. Hanc, quam commendat, tamquam unice veram, Heynius, praeeunte Vossio, in contextum inferre non dubitavi. Etsi enim Excerptt. Lips. non *Aniena* sed *Aniana* habere videntur, tamen alii libri, qui *Anlena* exhibent, satis confirmant *Aniena.* Varro apud Lactantium I. 6. *Decimam* Tiburtem, *nomine* Albuneam, *quae Tiburi colitur, ut dea, iuxta ripas amnis* Anienis, *cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur, tenens in manu librum.* Unde corrigi facile possunt verba Photii — is enim auctor est Quaestionis, modo citatae — apud Montefalconium: *ἐπὶ πᾶσι δεκάτη, ἡ Τιγουρτία μὲν γένος, ὄνομα δὲ Ἀβουναία,* quae fideliter latine convertit Editor. Sed Scaliger edidit, Quodque Albuna — *Tiberis:* scribens, „Liber noster, *Quodque Albana.* quodque retinebis. Illud *Quod* creberrimum in ea significatione Plauto. *Quod ille dicat periisti.*" Haec Scaligeri annotatio paene est Sibyllino carmine obscurior. Qua de re queritur Vossius. Sed Scaliger duo hic confudit loca, unum Plauti, alterum Terentii. Plautus Mil. II. 2. 7.

> Quod ille *gallinam aut*
> *columbam se sectari*
> *aut simiam*
> Dicat, disperistis, *ni usque ad mortem male mulcassitis.*

Terentius Eun. V. 8. 34.

> — — quod dicas mihi,
> *Alium quaerebam, iter hac habui,* periisti.

Nunc clarum est, quae fuerit Scaligeri sententia. Cepit ille particulam *Quod* ea potestate, quam supra illustravimus ad I. 5. 47.

> Qnod *adest huic dives amator.*

Sed hoc aeque falsum, atque scriptura *Albuna* pro *Albunea*. Unus Statii *Quotque*, quod placebat Heinsio. Enimvero hic non quaeritur, *quot* sortes portaverit Sibylla Tiburs, sed *quas*. Nisi forte legendum sit:

> Quaeque *Aniena sacras* Tiburs *per flumina sortes* —

id est, Quidquid Amalthea, quidquid Herophile — *quidquid dixit* Tiburs, *quae* sacras per flumina sortes —. Elegans haec structura, qua pronomen praeponitur subiecto, ad quod refertur, fraudi esse potuit librariis, ut rescriberent *Quasque* pro *Quaeque*. Horatius II. Serm. 2. 58.

> *Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum,* et
> Cuius *odorem* olet *nequeas perferre.*

Ibid. II. 6. 10. ad eum modum, quem illustrant viri docti ad Eurip. Hec. 1058.

> *O si urnam argenti fors quae mihi monstret,* ut illi,
> *Thesauro invento* qui mercenarius *agrum*
> *Illum ipsum mercatus aravit.*

70. PORTARIT SICCO PERTULERITQUE SINU] Libri scripti editique penes me *perlueritque*. Lips. *Portaret — perlueritque*. Equidem, quo modo *perluere librum sicco sinu* esse possit i. q. gestare librum sinu per fluvium ita, ut siccus maneat, non magis assequor quam Heynius. Alii *praetuleritque*. Hoc melius. Colb. Witt. duo Statt. unus Heins. *pertuleritque*. Optime. Nam quod Vossius in contextum intulit *praelueritque*, verbum est in tota Latinitate inauditum, sensuque cassum. Proba est animadversio Heynii, non idem esse *portari perferrique*; „nam non omnia, quae portantur gestanturque, etiam perferuntur." Itaque exemplo eius *pertuleritque* reposui. Virgilius I. Aen. 67.

Hae fore dixerunt, belli mala signa, cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia coelo
Audita, et lucos praecinuisse fugam.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates.

Horatius IV. 4. 53.

Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra,
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes.

71. HAE FORE — COMETEN] Sic Ed. min. a. 1472. et Aldd. Caeteri *Haec — cometem.*

72. MULTUS UT — DEPLUERETQUE] In uno Statii *Plurimus in.* Caeteri *Multus et — deplueritque.* Guarn. *depuleritque.* Lips. *Multis et.* Florent. *in terris.* Duo *in terra.* Scaliger, *deplueretque*, ut habent Vindob. Monach. Goth. et Voss. 5.

73. ATQUE TUBAS, ATQUE ARMA — CREPITANTIA] Virgilius Ecl. V. 24.

Atque deos atque astra vocat crudelia mater.

Quod Broukhusius e libris reposuit *crepitantia* pro *strepitantia*, iam pridem expressum reperio in Edd. a. 1472. et Reg. Lep. quae, ut princeps, habet *crepitancia.* Haec et alibi confunduntur. Supra ad I. 2. 47. pro *crepitu dissono* aeris, quod legitur apud Plinium, rescripsi *strepitu dissono.* Forsitan recte. Vide notam ad I. 8. 22. At etiam Livius XXVI. 5. *disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu lunae silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos.* Propertius III. 18. 6.

Cymbala Thebano concrepuere deo.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit

Iungere pallentes nubilus annus equos;

Ubi Cod. Iun. habet *cum strepuere*, id est, *constrepuere*. — *praecinuisse*. Hamb. *concinuisse*. Lips. duo Voss. et Askew. *pertimuisse*.

75. SOLEM DEFECTUM LUMINE VIDIT] Hamb. *Phoebum*. Cod. Heins. Askew. et Collatt. Colot. *defessum*. Sic dicitur luna in deliquio *laborare*, *languescere*; nec tamen defessa *lumine*. Voss. 5. *lumina*, quod e Mattii vetere libro perperam reposuit Broukhusius. *Defectum* Solem *lumine* dicit, ut Lucretius V. 755.

> *Corpus*, *quod* cassum *labatur* lumine *semper*.

Vel potius ut ἀκτὶς Ἀελίου a Pindaro in deliquio solis dicitur ἐρημωθεῖσα μέτρ᾽ ὀμμάτων, (quod probabiliter reposuit Hermannus) Fragm. p. 60.

> ἄστρον ὑπέρτατον ἐν ἁμέρᾳ
> κλεπτόμενον —

Ubi ὄμμα Solis pro lumine, sicut vicissim *lumen* Lunae pro *oculo* ponitur ab Ovidio Heroid. XVIII. 74.

> *Si dubitas*, caecum, *Cynthia*, lumen *habes*.

Quo loco confutatur Muretus, negans, Latine dici *caecos oculos* ad Senecam III. de Beneff. 1. et vero etiam Marklandus ad verba Orationis de Haruspp. Responsis c. 18. 58. *An tibi* luminis *obesset* caecitas *plus quam* libidinis? Huic tamen egregio doctorum pari nemo erit, qui obiicere audeat ὀφθαλμοῦ ἀλαωτύν, vel τύφλωσιν τῶν ὀφθαλμῶν. Euripides Hec. 1107.

> τίς ὄμμ᾽ ἔθηκε τυφλόν, αἱμάξας κόρας;

76. PALLENTES — ANNUS EQUOS] Paris. *patentes* — *amnis*. Lips. *palentes* — *anis*. Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *anuis*. Possis intelligere, ait Heynius, Tiberim. Crediderim, qui ita scripsere, intellexisse Oceanum ποταμόν. Sed iam Ed. min. a. 1472. Vicent. Venett. (1475.) 1491. 93. Aldd.

Et simulacra Deûm lacrimas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves: — —
Haec fuerint olim! Sed tu jam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus:

exhibent aliorum librorum lectionem *annus*, quam miro acumine Mitscherlich. mutat in *ortus*. Sunt etiam, qui *nubibus* habeant pro *nubilus*. nec male per se. Seneca Oed. 44.

Obscura coelo labitur Phoebi soror,
Tristisque mundus nubilo pallet *novo*.

77. TEPENTES] Unus Heins. et Guarn. *repentes*.

78. FATAQUE VOCALES — BOVES] Guelf. 4. *Factaque*. Unus Stat. *deos* pro *boves*. Perperam. Plinius H. N. de Aesopi patina: *in qua posuit aves cantu aliquo, aut* sermone humano vocales. Apuleius II. 20. *Iam statuas et imagines incessuras, parietes locuturos,* boves *et id genus pecua* dictura praesagium. Ergo boves *vocales* non sunt *φωνήεντες*, sed *αὐδήεντες*, humana voce, *φωνῇ ἐνάρθρῳ*, utentes. Homerus Il. τ. 407.

αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Propertius II. 34. 37.

Qualis et Adrasti fuerit vocalis *Arion*.

79. HAEC FUERINT OLIM] Liber Heins. Voss. 4. et Ed. Scalig. *fuerunt*. Unde Broukhusius formavit *fuerint*. quod confirmant Monach. et Voss. 5. Caeteri *fuerant*. *Fuerint* nunc non eo sensu sumendum videtur, quo supra v. 70. *portarit* cepimus, sed optative, ut apud Virgilium VI. 62.

Hac Troiana tenus fuerit *Fortuna secuta*.

80. MERGE SUB AEQUORIBUS] Lips. *ingne* (id est *tingue*) *sub equoreis*. Ald. 1502. *mergere*. quod, nisi fallit Collatio mea, est etiam in Ed. min. a. 1472.

Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis;
Omine quo felix et sacer annus erit.
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete, coloni;
Distendet spicis horrea plena Ceres.

V. 82. eat. 83. Laurus uti — dedit! G.

81. ET — CREPITET] *Et* reposuit e libris, post Muretum et Statium, Broukhusius. HEYN. Sero venerunt Muretus, Statius et Broukhusius. Nam *Et* iam exstat in Edd. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. — Codd. Paris. et Lips. cum paucis aliis *Ut*. Ed. min. a. 1472. *Ut — crepitent.* Venett. 1491. 93. *At.* quod habet etiam Ed. Rom. apud Heynium. Bene Broukhusius, Haec pendent a superioribus. Procura, o Apollo, mala prodigia; *et* laurus tua fac crepet cum bono omine in igne sacro. Ex interpolatione venit, quod huic lectioni adscriptum habet Guelf. 2.

En *succensa sacris* crepitat *bene laurea flammis.*

82. OMINE QUO — ANNUS ERIT] Venet. a. 1475. *Homine.* Reg. Lep. *Nomine.* Pro *erit* aliquot libri habent *eat*, non mei. Editi item omnes ante Venett. 1491. 93. *erit.* Est, inquit Broukhusius, certa pollicitatio, et maius aliquid quam optatum aut votum. Sic Propertius IV. 8. 14.

Si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolae. Fertilis annus erit.

83. LAURUS UBI — DEDIT] Sic libri scripti et Edd. antiquiores. Brix. et Venett. 1491. 93. *Ut laurus.* Ald. 1502. et 1511. *At laurus;* quod solam Colinaeanam 1529. habere Broukhusius scribit. Idem *Laurus io* in contextum intulit e coniectura Heinsii, qui procul dubio *Laurus uti* praetulisset, si Latini *uti* pro *ut* in exclamatione, praesertim lae-

Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficientque lacus.

ta, ponerent atque adeo postponerent. Ego nusquam inveni, et hanc etiam lectionem litura tollendam esse aio. Rectius alii hoc sensu *Ut laurus* reposuerunt. Nam *ut* hac significatione primum semper locum sententiae obtinet. Plautus Epid. I. 1. 54.

Di immortales, ut *ego interii basilice!*

Terentius Hec. III. 5. 46.

O fortuna, ut *numquam perpetua es data!*

Quem locum Ruhnkenius comparat cum Rut. Lupi II. p. 75. *O fortuna*, quam *vehementer te rerum varietas delectat*, *et* quam *magno odio est tibi beatae vitae perpetuus et constans fructus*. Utramque eiusdem potestatis particulam *Quam* et *Ut* coniungit Catullus LXVI. 23. ex praeclara Bentleii emendatione, pro *Quum* reponentis,

Quam *penitus moestas exedit cura medullas!*
Ut *tibi tunc toto pectore sollicitae*
Sensibus e rectis mens excidit!

Monet Valckenarius, eodem modo ὡς ponere Graecos, ubi „hoc illudve interdum *cum indignatione* — non cum exsultatione — mirantur." Reliquum est, ut veterem lectionem *ubi* revocemus, eamque cum Gesnero Thes. L. L. eo sensu sumamus, quo alibi etiam Tibullus posuit, v. c. I. 4. 31. II. 6. 47. — Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *gaudere.*

84. DISTENDET SPICIS HORREA] Sic Paris. Edd. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Ald. 1515. *Distentet* alii libri, Edd. min. 1472. Venett. 1491. 93. Ald. 1502. Nihil extrico e voce mendosa, quam posuit librarius cod. Lips. *Distendet* suprcis ōrea.

85. FERIET] Sic libri mei. Edd. antiquiores *feriat*. *Feriet* primum reperio expressum in Plant. 1569.

86. DEFICIENTQUE] Paris. *deficiantque*. Lips. *deficiemque*. Ed. mai. a. 1472. Reg. Lep. etiam Vicent. nisi fallor, *Deficientque*. Altera princ. Ve-

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet; a stabulis tunc procul este, lupi.
Ille levis stipulae solemnes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras;

V. 88. tum.

nett. 1491. Aldd. etc. *Deficiuntque.* Brouklmsius *Deficiantque*, e libris ille quidem scriptis, sed, ut vidit Vossius, corruptis, Conf. Iuvenalis III. 310. Tibullus IV. 1. 185.

Horrea, fecundas ad deficientia *messes.*

87. AT MADIDUS BACCHO] Sic Lips. Edd. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. Aldd. *Ac — bacho* Paris. et Ed. min. — Unus *Et.*

88. TUNC PROCUL ESTE] Lips. *tum.* Caeteri *tunc.* Inficetum foret, quod neminem maluisse Heynius miratur:

a stabulis hinc *procul este lupi.*

89—90. ILLE LEVIS — SOLEMNES — TRANSILIET] Vicent. *Ille leui stipulae solemnis.* Lips. *solempnis.* Venett. 1491. 93. *solennes.* pro quo reliqui *solemnis*, vel *solennis*, ut Edd. a. 1472. exhibent. Caeterum non omnes Edd. ante Basil. 1569. factae, voci *sacras*, quod Vossius affirmat, maiorem *στιγμὴν* vel punctum appositum habent, sed iam editor Reg. Lep. duo puncta adhibuit, qua distinctione neque hic, neque, credo, Tuscanella, qui comma apposuit, declarasse censendus est, e Palilium religione expectari etiam laetum natorum proventum. Ridicula affingere bono viro, nefas. Heynius serio ita statuit. Sed recte editores illi existimarunt, versus 89 — 90. cohaerere cum versibus 95 — 96. etc. (certe editor Reg. Lep. etiam voci *senem* v. 94. duo puncta apposuit) reliqua autem interposita esse ex more Veterum, qui in pre-

Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem:
Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit;

cationum formulis haec tria felicitatis publicae momenta, frugum ubertatem, feturam gregum, matronarum fecunditatem plerumque coniungunt. Herodotus III. 68. p. 231. *καὶ ταῦτα μὲν ποιεῦσι ὑμῖν γῆ τε καρπὸν ἐκφέροι, καὶ γυναῖκές τε καὶ ποίμναι τίκτοιεν ἐοῦσι ἐς τὸν ἅπαντα χρόνον ἐλευθέροισι· μὴ ἀνασωσαμένοισι δὲ τὴν ἀρχὴν — τὰ ἐναντία τούτοισι ἀρέομαι ὑμῖν γενέσθαι.* Vide Sophoclem Oed. R. 172. Aristophanem Pac. 1320. Aeschylus Eum. 905.

καρπόν τε γαίας καὶ βοτῶν ἐπίῤῥυτον
ἀστοῖσιν εὐθενοῦντα μὴ κάμνειν χρόνῳ,
καὶ τῶν βροτείων σπερμάτων σωτηρίαν.

92. COMPRENSIS AURIBUS] Omnes mei *compressis auribus*, praeter Lips. qui *complessis* habet. Ridiculum est, quod Ald. 1502. e libris quibusdam substituit, *compressis naribus*. Sed hoc iam exstat in Ed. min. a. 1472. Non desunt boni libri, qui *comprensis auribus* exhibeant, quod egregie explanavit Statius.

95—96. TUNC OPERATA DEO] Liber Broukhus. et Lips. *adoperta*. Bern. in margine, al. *operta*. Paris. *Tunc et operta*. Vide II. 3. 95. Porro pro *cadit* quidam libri, ut Corvin. *cadet*. forsitan recte. Vide I. 4. 65. II. 4. 43. Hanc lectionem primum expressam reperio in Edd. Venett. 1491. 93. Heynius in Vicent. etiam *ca-*

Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta: coronatus stabit et ante calix.

det legi profitetur. Qua de re dubito. Bronkhusius restituit *cadit,* quod habent Edd. principes et libri mei. Exc. Pocchi cum aliis:

Tunc operata deo pubes discumbet in umbra
Arboris antiquae, qua levis unda *cadit.*

97—98. AUT E VESTE SUA TENDENT] Sic codd. Paris. et Lips. Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. — Ed. min. 1472.

Aut e veste sacris tendet *umbracula sertis.*

Aldd. *tendent.* Romana apud Heynium *Aut cum veste sua.* Venett. 1491. 93. *Aut cum veste sacris tendent.* Sed vulgata tot libris scriptis firmatur, ut convelli nullo modo possit. Eam Lipsius III. Antiqq. Lectt. p. 587. *tendet* praeferens, ita interpretatur, ut verba, *sertis vincta,* referat ad pubem, „pubem redimitam sertis fuisse, non umbracula ipsa.“ Perperam. Pubes umbracula, e veste facienda, *tendit,* intendit, et *vincit* sertis. Virgilius IV. Aen. 506.

Intenditque *locum* sertis et fronde *coronat*
Funerea.

Quem locum imitatur Donatus in argumento Phasmatis Menandreae ad Terentii Eun. Prol. 9. *Noverca—parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet.* Cumque transitum intenderet sertis et fronde felici, *rem divinam saepe faciens evocabat ad se virginem.* — Iam ante Lipsium exstiterunt, qui *pubem sertis vinctam* informarent. Unde nata est lectio codd. Paris. et Lips. Editionumque veterum, (cui Broukhusius e libris *ante* substituit)

coronatus stabit et ipse *calix.*

At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,
Postmodo quae votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem,
Et se iurabit mente fuisse mala.

V. 103. Iam.

99. AT SIBI QUISQUE — EXSTRUET] Unus Heins. *tibi.* Ed. min. 1472. *libi.* Paris. *extruat.* ut est in Brix. et Venett. 1491. 93. Antiquiores, *exstruet.* Vicent. *estruet.*

101. INGERET — MALEDICTA PUELLAE] Guelf. 3. *mala dicta.* Vulpius malebat *mala multa,* quia Plautus et Terentius aliquoties seripserunt *ingerere mala multa.* At Plautus etiam Asin. V. 2. 77.

Modo, quum dicta in me ingerebas, *odium, non uxor, eram.*

Horatius ut *convicia ingerere* posuit I. Serm. 5. 11. ita *convicia regerere* I. 7. 29. Livius III. 68. vocis verborumque, *quantum voletis,* ingerent, *et criminum in principes et legum aliarum super alias et concionum.* Facit hoc, ut fieri assolet, *potus* iuvenis. Herodotus I. 212. *μηδὲν ἐπαρθῇς τῷ γεγονότι τῷδε πρήγματι, εἰ ἀμπελίνῳ καρπῷ — τῷ περ αὐτοὶ ἐμπιπλάμενοι μαίνεσθε οὕτω, ὥςτε κατιόντος τοῦ οἴνου ἐς τὸ σῶμα, ἐπαναπλώειν ὑμῖν ἔπεα κακά· — τοιούτῳ φαρμάκῳ δολώσας* ... Haec supra I. 10. 57. dicuntur *mala verba.* Vide Ruhnkenium ad Terentii And. IV. 1. 16. Tibullus I. 2. 11.

Et mala *si qua tibi* dixit *dementia nostra.*

103. NAM — PLORABIT] Unus Statii liber *Iam.* quod Vossio placuisse miror. *Nam* explicat versum superiorem 102. Vide III. 6. 21. ubi item ab initio confunduntur particulae *Nam* et *Iam.* Rem il-

Pace tua, pereantque arcus, pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor;
Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Heu, heu, quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi praecipue, iaceo quum saucius annum,
Et faveo morbo; tam iuvat ipse dolor!

V. 107. sua tela. 108. ista.

lustrat locus Philostrati, laudatus ad I. 10. 55.

105. PEREANTQUE ARCUS] Ita libri duo Gothanus et Sfortianus. quod assumpsit Broukhusius. In caeteris libris deest copula. Ed. min. a. 1472. *sagictae*, ut infra El. 6. 15. *sagictas*.

107. SUMSIT SIBI TELA] Scriptura *sumsit* induci demum coepta est post Aldum. Veteres editores consentiunt cum libris fere omnibus in scriptura *sumpsit*. Ita supra I. 3. 55. *consumptus*, et v. 37. *contempserat*. Pro *tela* Vicent. h. l. et infra II. 6. 15. *tella* exhibet. Altero hoc loco etiam Reg. Lep. *Sumere sibi tela*, ut apud Livium VII. 1. *quaerere sibi honores*, *sumere sibi magistratus*. Colb. *sua tela*. Male.

108. HEU HEU — ILLA] Nullus ex meis *Eheu*. Paris. *ipsa*. Multi *ista*. Atqui *ars* per se *bona* est.

109. ET MIHI — IACEO — ANNUM] Ed. mai. a. 1472.

At *mihi praecipue*, taceo *cum saucius* armum.

Vicent. *At mihi. taceo. annum*. Ed. min. a. 1472.

Reg. Lep. et Venett. 1491. 93. *Et mihi* etc. Paris. etiam *taceo.* Sed *iaceo,* quod Scaliger substituit, confirmatur tribus libris Voss. et Guelf. 3. *Annum* Heynius intelligit *per totum annum*, ut apud Propertium I. 1. 7.

Et mihi iam toto *furor hic non deficit* anno.

Sed utroque loco *annus* universe sumendus est pro tempore longo. Aliter ratiocinantur amatores, aliter chronologi. Miram scripturam exhibet cod. Lips.

At tibi *praecipue taceo* ›sancius annus.

id est, *cumsancius.* Qua tamen scriptura, valde erret, qui Heynii opinionem firmari credat, existimantis, vitium aliquod huic versui inhaerere, adeoque corrigentis *saucius arcu.* Vide Propertii locum, qui statim laudabitur ad v. 111. Unus Voss. in margine *qui*, quod placet. Ed. min. 1472. et Reg. Lep. *sautius.*

110. ET FAVEO MORBO; TAM IUVAT IPSE DOLOR] Liber Anglic. *Et foveo morbum.* Ita quidem Cicero scribit ad Attic. XII. 18. *dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi* fovebam dolores *meos.* Sed *fovere dolores*, *morbum*, est *lenire* eos ac *levare* adhibitis, ut bene Manutius explicat, pulvillis ac fomentis. Contra *favere morbo* est *inhaerere* morbo, curationem refugere et, quod Seneca scribit, *morbo suo morem gerere.* Hoc nunc facit Tibullus, *νόσου ἐπήβολος*. Quare statim subiicit,

tam iuvat *ipse dolor!*

Pro quo libri mei scripti editique habent *cum iuvat*, alii *tum*, unus *dum.* Heinsius tentabat *ceu iuvet.* Rectius *tam* Passeratius. quod confirmant Monac. Goth. et Voss. 1. Idem, quod Tibullo, quum accideret Propertio, *Nullane*, inquit, II. 16. 31.

Nullane sedabit nostros iniuria fletus?
An dolor *hic* vitiis *nescit abesse* suis?

Sic libri scripti. A quibus quantum discrepet Editio recentissima, vide. Sed locus unus est sanissimus. *Vitia* sunt animi *morbi.* Amorem ille alibi dicit *morbum* eundemque mox *vitium* II. 1. 58. et 65. Seneca Ep. 85. *Numquid dubium est, quin* vitia mentis humanae *invetera-*

Vixque cano Nemesin, sine qua versus mihi nullus
Verba potest, iustos aut reperire pedes.
At tu, nam Divûm servat tutela poetas,
Praemoneo, vati parce, puella, sacro:

V. 112. reperisse.

ta et dura, quae morbos vocamus, *immoderata sint* etc. Ergo idem dicit Propertius ac Tibullus. Dolor meus nescit abesse vitiis suis, hoc est, ego quamvis dolens, tamen doloris causae non repugno, sed *faveo morbo*, et, quod ille ait,

Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum.

Est igitur τερπνὴ νόσος, quam dicit Aeschylus Agam. 553. (559.) comparatus a Boschio ad Anthol. Graec. p. 420.

τερπνῆς ἄρ' ἦτε τῆσδ' ἐπήβολοι νόσου;

111. VIXQUE CANO NEMESIN] Hinc supra v. 109. fuerunt, qui scriberent, *taceo* pro *iaceo*. Ed. min. a. 1472. *Utque cano*. Caeteri penes me *Usque* cano; corruptum, ait Broukhusius, ex *Visque*, more Italicae scripturae. Sed ab Ald. 1515. edi coeptum est *Vixque cano Nemesin*, quam lectionem confirmant quatuor libri Voss. et locus simillimus Propertii II. 16. 32 — 54.

An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot iam abiere dies, *quum me nec cura theatri*,
Nec tetigit Campi, nec mea Musa iuvat.

112. REPERIRE] Guelf. 2. cum tribus aliis *reperisse*.

113 — 114. AT TU, NAM — PARCE] Elegans est huius distichi compositio, facta ad exemplum Graecorum, qui saepe, praesertim in oratione commota, ita variant constructionem, ut sententia, quae caussam indicat, rei explicandae anteponatur, in-

Ut Messalinum celebrem, quum praemia belli
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus; lauro devinctus agresti
Miles, io, magna voce, Triumphe, canet.

terpositis etiam aliis verbis, quae orationis cursum quodam modo impediunt, velut hoc loco *Praemoneo*. Hanc Parenthesin dicunt rhetores antiqui. Vide Rutil. Lupum p. 57. et locum, quem latinum fecit, Demosthenis. Eiusmodi loca alii aliter interpungere solent. Aldus verba, *nam — poetas*, uncis circumscripsit. Quidni etiam *Praemoneo?* Sed haec recentiorum sunt inventa, quae, monente Bentleio ad Horatii II. Serm. 4. 65. (non v. 62. quod supra ad I. 6. 39. mendose scriptum reperies) in veteribus membranis nusquam comparent. Heynius versum interpunxit:

At tu; nam divum servat tutela poetas;

minus recte, quam Virgilii I. Aen. versum 65. Sed hic ob oculos habebat locum Homeri Il. ω. 554. et notam Ernesti. Ad huius loci normam interpungenda sunt omnia exempla, quae congessit Schaeferus Meletem. Crit. p. 76. Veram constructionis rationem demonstrat locus Tibulli, confirmant Graecorum exempla, ubi inverso ordine collocantur particulae *γὰρ — ἀλλὰ*, v. c. apud Homerum Il. ψ. 890. Pindarum Ol. IV. 1 — 10. Bene nuper hanc rem explanavit Io. Valent. Franckius, iuvenis eruditissimus, de Callino p. 175. Bene etiam locum Tibulli interpunxit Vossius.

115. UT — CELEBREM] Sic codd. Paris. et Lips. Ed. a. 1472. Vic. et Reg. Lep. *Et — celebrem* Ed. min. et Ald. 1502. *Et — celebres* Venett. 1491. 93.

116. OPPIDA VICTA FERET] Paris. Edd. a. 1472. Reg. Lep. *ferent*. Vicent. *feret*. Ed. min. *oppida iucta ferent*. Cod. Lips. *geret*. Idem antea *tum* pro *cum* praemia *belli*.

117. LAURUS; LAURO] Venett. 1491. 93. *laurum*

Tunc Messala meus pia det spectacula turbae,
Et plaudat curru praetereunte pater.
Adnue; sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

V. 119. Tum.

lauro. Caeteri *laurus lauro.* Ait quidem Charisius p. 110. *Lauro*, Maro: *faciemque simillima lauro. Sed ablativum singularem dativo non habet similem. Ait enim Plinius* huic lauro *et tamen* ab hac lauru *et* laurum *fecere.* Sed consuetudo huic observationi repugnat. Eodem ille loco formam *laurus* agnoscit in Virgilio Ecl. VIII. 13.

Inter victrices hederam tibi serpere laurus.

Ubi nunc editur *lauros*, ut apud Tibullum I. 7. 7.

At te victrices lauros, *Messala*, gerentem.

Laurus *gerit* imperator, id est, coronam lauream, quae, ut recte docet Vossius, *tonsa* erat vel *tonsilis*; cui opponitur *agrestis* militis *laurus* eo sensu, quo apud Virgilium Ecl. X. 24.

Venit et agresti capitis *Silvanus* honore.

118. IO — TRIUMPHE CANET] Paris. *Yo.* Lips. *canat.* Scaliger *canam.* Ovidius IV. Trist. 2.

Tempora Phoebea lauro *cingetur*, *Ioque*,
Miles, *Io, magna voce*, *Triumphe*, canet.

119. TUNC — DET SPECTACULA] Codd. Paris. et Lips. Ed. min. a. 1472. *Tunc.* Reg. Lep. Venett. *Tum.* Horatius I. carm. 28. 17.

Dant *alios Furiae torvo* spectacula *Marti.*

120. ET PLAUDAT] Lips. *placeat:* in margine *plaudat.*

122. PERPETUO] Codd. Paris. Lips. unus Voss. Ed. Ald. 1502. *perpetua.*

ELEGIA VI.

Castra Macer sequitur; tenero quid fiet Amori?
Sit comes, et collo fortiter arma gerat?

ELEGIA VI. „Ad Amorem." Edd. a. 1472. Addit Vicent.: „ut revocet (v. 6.) Macrum sequentem castra, seque spe Nemesis teneri dicit."

1. CASTRA MACER SEQUITUR — AMORI] Cod. Lips. Ed. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. *mater.* Ducta haec lectio est e libris, aetate praecedentibus illos, qui substituerunt *Venus*, ut Colb. et Colot. Sed iam Vicent. habet *macer.* Porro Lips. *tenero qs fecit amori.* Colb. *misero.* Cicero XIV. Famill. 1. *quid, obsecro,* te — *me miserum!* — quid futurum est? *Et, si nos premet eadem fortuna,* quid puero misero fiet? Hic locus non persuadet, *misero* substituendnm esse *tenero;* nec propterea eum adscripsi, sed ut planum facerem, *Amore* substituendum esse *Amori.* Male in Edd. Ciceronis, quibus utor, interpungitur *obsecro te,* quum *te* pertineat ad *futurum est. Quid* te *futurum est?* ut alibi, v. c. apud Livium XXXIII. 27. extr. quiduam se futurum esset *profectis in Italiam Romanis?* et ut statim Cicero addit, *quid puero misero fiet?* Non enim dubium est, quin hi sint Ablativi. *Quid Tulliola mea fiet?* Pro quo alibi scribit, *Quid* de *Tulliola mea fiet?* At activum *facere* nunc cum ter-

tio casu, nunc cum sexto construi solet. Vide Taubmannum ad Plauti Mil. IV. 1. 26. Interpretes ad Ciceronis Orat. II. Agr. 27.

2. SIT COMES, ET — GERAT] Sic uterque liber Lips. et Paris. Edd. ante Scaliger. omnes, nisi quod Brix. et Venett. 1491. 93. ex aliis libris adsumpserunt *ferat*, omisso etiam, quod Broukhusius tandem extremo verbo appinxit, interrogandi signo. At idem cum Scaligero edidit:

> Si *comes, et collo fortiter arma* geret?

Scilicet ut *geret* respondeat verbo *volet* v. 4. Hactenus praeferenda foret Heynii emendatio,

> *Si comes* e *collo fortiter arma geret.*

Sed nihil mutandum. *Comes* quam honorifice dicatur in re militari, vel hic Velleii locus II. 85. 3. demonstrat: *Antonius fugientis reginae, quam pugnantis militis sui, comes esse maluit; et imperator, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Comitem* a *milite* distinguit Lucanus VII. 84.

> *Scire Senatus avet*, miles *te*, *Magne*, sequatur,
> *An* comes?

Utrumque coniungit Albinovanus de Maecenate II. 39.

> *Quid faceret? defunctus erat*, comes impiger *idem*,
> Miles *et Augusti* fortis *et usque pius.*

Repraesentatur igitur hoc loco Amor iocose tamquam commilito Macri, *comes* simul et *miles*, sua ipsius arma fortiter gerens, adiuncta notione dei tutelaris, exemplo Homeri, qui passim inducit deos, *ad latus* heroum *euntes*, v. c. Il. κ. 290. et 515. ubi non sufficiunt οἱ θεράποντες, genus hominum nobile, a servili conditione longe remotum, armis instructum, ut id agant, quod de Nuntio narrat Euripides Phoen. 1089.

> Ἐτεοκλέους θανόντος, οὔ παρ' ἀσπίδα
> βέβηκας ἀεὶ, πολεμίων εἴργων βέλη.

Hoc Pindarus uno verbo complectitur ὑπασπίζειν Nem. IX. 80. παρὰ πεζοβόαις ἵπποις τε ναῶν τ' ἐν μάχαις. Vide Nem. III. 61. Isthm. I. 23. Virgilium Aen. XI. 30 — 33. Longe

Et, seu longa virum terrae via, seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?

igitur alio sensu Amor hic comes it Macro, quam Horatius Maecenati, *inbellis ac firmus parum Comes*, Ep. I. 1 — 18. caeteroquin laborem omnem laturus, quem, inquit,

Feremus; et te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.

3. ET, SEU LONGA VIRUM TERRAE VIA] Guelf. 2. et Voss. 4. *terret* pro *terrae*. Hinc nata altera lectio Ed. min. a. 1472. *ducunt* pro *ducent*. Sed ut recte coniunguntur tempora *ducent* et *volet*, ita etiam recte dicitur *longa terrae via*. Quorum illud monuimus ad II. 4. 45. hoc ad I. 3. 36. p. 89.

Tellus *in* longas *est patefacta* vias.

Porro pro *vaga* aequora Sfortiae liber habet *mala* aequora. Male sine dubio. *Vaga aequora* dicuntur, translato epitheto a *nauta vago* I. 3. 39. vel *mercatore vago*, quem dicit Horatius A. P. 117. ad aequora. Manilius I. 87.

Et vagus *in caecum penetravit* navita *pontum*,
Fecit et ignotis iter in commercia terris.

Tibullus II. 3. 39.

Praeda vago *iussit geminare pericula* ponto.

4. AD LATUS IRE VOLET] Miram hic emendationem in contextum intulit Muretus, de qua in Scholiis haec scribit, Ego, (verum enim fatebor) coniectura tantum fretus (nam veteres libri hac quidem in parte cum vulgatis consentiebant) scribendum curavi, *ad latus ille volet.* neque mihi ullo modo dubitandum videtur, quin ita legendum sit. — Hanc emendationem admisit Vulpius, recte refutavit Heynius, „praesertim quum sic parum commode Amor *arma* simul fortiter *collo gerere* et ad latus *volare* diceretur.“ Eodem incom-

Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,

Atque iterum erronem sub tua signa voca.

V. 6. Erronemque retro.

modo laborat Heinsii coniectura, *ad latus usque volet.* Ovidius Rem. Am. 217.

Sed quanto minus ire voles, *magis* ire *memento.*

Ad latus ire, ut apud Propertium III. 14. 22.

Et licet in triviis ad latus esse *suae.*

Ubi contra Heinsius corrigit *isse.* Petronius c. 83. *Is ergo* ad latus constitit *meum.* Quod frustra sollicitat Hadrianus.

5. OTIA LIQUIT] Paris. Ed. min. 1472. et Reg. Lep. *ocia.* Ed. mai. et Vicent. *ocia linquit.*

6. ATQUE ITERUM ERRONEM — VOCA] Paris. et Lips. Ed. mai. a. 1472. *Atque iterum errorem.* In uno Statii *Et verum erronem.* Unde Passeratius faciebat *Et veterem* erronem. Perperam. Goth. *Et iterum erronem.* Alii vitiose *extorrem.* Melius alii *heroem.* Haec scripturae diversitas suspicionem iniecit Vossio, falsam esse lectionem vulgatam, ut quae partim insolita significatione adverbii *iterum* pro *retro* laboret, partim etiam sono auribus molesto. Sed *iterum vocare* pro *retro vocare* recte et Latine dicitur, quemadmodum *rursus agere* pro *retro agere* apud Ovidium Ib. 429.

Atque aliquid facias, a vespere rursus *ad ortus*

Cur externati Solis agantur *equi.*

Quare utrumque adverbium saepe coniungitur cum verbis *reverti, redire, revocare.* Terentius Ad. IV. 1. 9.

Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti *posset* iterum.

Ubi Bentleius docte confutat Faernum, putantem, *iterum reverti* esse *bis reverti.* Iustinus XIV. 3.

Quodsi militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam.

V. 7. parcas.

ultroque eum conviciis agitant, quod se — ab ipsa missione rursus *in novam militiam immensaque bella* revocaverit. Virgilius IV. Georg. 495.

en iterum *crudelia* retro
Fata vocant.

Pro *tua signa* Heinsius malebat *sua signa*, ut apud Ovidium II. Am. 9. 3. ad Cupidinem:

Quid me, qui miles *numquam* tua signa reliqui,
Laedis et in castris vulneror ipse meis:

pro *tuis*. „quam lectionem tum principes editiones, tum plus quam viginti exhibent codices Heinsiani, quorum penes me sunt excerpta. Ipse Nicolaus ex uno alterove suo et Naugerianis quibusdam edidit *meis*, quod tamen agnoscit meus Parrhasianus." SANTEN. ad Balbum p. 1826.

7. QUODSI MILITIBUS PARCES, ERIT] Unus Stat. *parcis*. Guelf. 3. *parcas*, adposita tamen syllaba *es*. Passeratius corrigebat *parsis* pro *peperceris*, constructione proba, sed forma verbi Tibullo aliena. Ovidius I. A. A. 132.

Haec mihi si dederis *commoda*, miles ero.

Sed vulgatam satis confirmant versus 3 — 4. et exempla quae collegimus ad I. 4. 65.

8. LEVEM GALEA QUI SIBI PORTET AQUAM] Florent. Statii et Guelf. 2. *levi galea*. Hoc probatum Broukhusio et Vulpio. Sed *levem — aquam* recte restituit Heynius, confirmavit aliquot aliorum poetarum exemplis Vossius, ut Horatii Ep. XVI. 17. Ovidii V. Fast. 662. Venett. 1491. 93. Aldd. *potet*. Male.

Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellae!
Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.
Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.

V. 10. *Omittitur* est. 12. grandia.

10. ET MIHI FACTA TUBA EST] Muretus e nonnullis libris edidit, *et mihi* grata *tuba est.* Habent hoc Exc. Perr. et Collatt. Colot. Sed alterum hemistichium *Et mihi sunt vires* haud dubie requirit in altero *et mihi* facta *tuba est,* id est, et mihi convenit res militaris, et ego sum factus, *natus idoneus armis.* Propert. I. 6. 29. In nullo libro desideratur *est.* Ovidius Epist. VIII. 60.

> *Nec* mihi sunt vires, *nec ferus ensis adest.*

11. MIHI MAGNA LOCUTO] Askew. cum aliis *loquenti.* Hamb. *verba locuto.* Tibullus expressit formulam Homericam *μέγα εἰπεῖν* Od. χ. 288.

12. EXCUTIUNT — FORTIA VERBA] In Exc. Heinsii Italicis *grandia.* Martialis II. 69. 8.

> Grandia verba *ubi sunt? si vir es, ecce, nega.*

At Propertius I. 5. 14.

> *Quum tibi singultu* fortia verba *cadent.*

Auctor Consol. ad Liv. 10.

> *Alterius luctu* fortia verba *loqui.*

Formulam *excutere alicui verba* satis illustravit Broukhusius v. c. exemplo Ciceronis Sulla 8. *mihi crede*, excutient tibi istam verborum iactationem *et te ex somno saepe excitabunt.* Aeschylus Prom. 358.

> ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος
> καταιβάτης κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα,
> ὅς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων
> κομπασμάτων.

Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam!
Quum bene iuravi, pes tamen ipse redit.

V. 13. quotiens.

13. IURAVI QUOTIES REDITURUM AD LIMINA NUNQUAM] Theocritus XXI. 59.

ὤμοσα δ' οὐκέτι λοιπὸν ὑπὲρ πελάγευς πόδα θεῖναι.

Huic constructioni per omnia similis est Latina. Etsi enim Latini post alia etiam verba omittunt accusativum pronominis, qua de re dixi supra ad I. 3. 27. tamen hoc inprimis faciunt post verbum *iurare*, eique adeo Graecorum more non modo futurum tempus infinitivi, sed etiam praesens vel aoristum, prorsus ut illi, pro futuro interdum subiungunt. Cicero III. de Off. 32. *Sed ut laudandus Regulus in conservando iureiurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal*, in castra redituros ea, *quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi.* Ubi pauci libri addunt *se*, quod recte omisit Heusingerus. Livius XXIV. 18. *Secundum eos citati nimis callidi exsolvendi iurisiurandi interpretes, qui captivorum ex itinere regressi clam in castra Annibalis, solutum* quod iuraverant redituros, *rebantur.* Gellius II. 24. de vetere Senatus decreto: *in quo iubentur principes civitatis — iurare apud Consules verbis conceptis, non amplius in singulas coenas* sumptus esse facturos, *quam* etc. Novam Vossii doctrinam prorsus evertit Livius II. 1. *Omnium primum avidum novae libertatis* populum, *ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset*, iureiurando adegit, *neminem Romae* passuros *regnare.* Idem V. 55. *Tegula publice praebita est: saxi materiaeque caedendae, unde quisque vellet, ius factum*, praedibus acceptis, *eo anno aedificia* per-

Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas
Ilicet, exstinctas adspiciamque faces!
Tu miserum torques; tu me mihi dira precari
Cogis, et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto; sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius.

V. 20. et melius cras fore semper ait.

fecturos. Iam Claudianus Bell. Get. 81.

patrii numen iuraverat Istri,
Non nisi calcatis loricam ponere *Rostris.*

Quem locum laudat Dukerus ad Florum I. 12. 8. adactus *miles sua sponte* iureiurando, *nisi capta urbe non* remeare. Vide Schaeferum ad Theocriti Id. XXVII. 60. — Lips. *quociems relicturum.*

16. ILICET] Mei *Scilicet.* Alii *Si licet.* Schefferi liber, Vindob. Voss. 5. *Ilicet.* quod ex illo recepit Broukhusius.

18. NEFANDA] Paris. et Lips. Ed. mai. 1472. Reg. Lep. et Venett. 1491. 93. *nephanda.* Colb. *pudenda.*

19. IAM MALA FINISSEM LETO] Exc. Scalig. *Finirent multi leto mala. credula* etc. Quod melius, ait ille. „Hinc autem alia Elegia incipit.“ Credidit et imitatus est Broukhusius.

20. SPES FOVET ET FORE CRAS SEMPER AIT MELIUS] Sic Ed. princeps a. 1472. cui magno numero consentiunt libri scripti, Paris. Lips. duo Statt. omnes Broukhus. Dresd. Corvin. Guelf. 2. Guarn. decem Voss. e quibus unus *forte* pro *fore*, unus item

erit habet pro *ait*. Discidium statim fecit Ed. min. a. 1472. quae versum ita exhibet,

> *Spes fovet: et semper cras fore ait melius.*

Sic versum scriptum vidit in duobus libris Statius, in Goth. Vossius. In alia omnia discesserunt Ed. Rom. 1475. eiusdem anni Venet. Vicent. Reg. Lep. Brix. Venett. 1491. 93. etc. quae ordinem verborum hunc intulerunt:

> *Spes fovet et melius cras fore semper ait.*

Quid igitur faciamus? Non is ego sum, qui lectionis alicuius veritatem a numero librorum pendere censeam, tot praesertim modis interpolatorum. Idem tamen unius saepe libri auctoritatem centum praeferre soleo Criticorum coniecturis. At enimvero postremae huic structurae ne unus quidem liber suffragatur, solus Guelf. 2. habet — in margine. Nempe hic liber, ut Heynius scribit, testis oculatus, hic liber habet varias interdum lectiones, *ab alia* tamen *manu*, sed antiqua, viri quidem — *Pontano*, quem excitat aliquo loco, *iunioris*. Quare credibile est, hanc lectionem a viro illo docto transscriptam esse ex aliqua Editione, editores delusos esse a Pontano, insigni interpolatore. Fac tamen librum aliquem aliquando repertum iri, qui huic structurae suffragetur. Num coniecturam de interpolatione evertet? Non vereor. Est enim versus ipse suffraginosus, si non numero, at tamen verborum collocatione. Male *melius* sententiae praeponitur, quod rectius in altera lectione, ut res ipsa, suspenditur. Sed etiam numerus suspectus. Auribus, inquit, hic versus magis blanditur quam ille. Audio. Sed fallax est istud aurium iudicium, tanto hoc loco fallacius, quanto saepius accidit Tibullo, ut numeri, ad nostrum sensum duriores, quos ille admodum frequentat, mutarentur ab interpolatoribus in molliores. Exempla vide apud Heynium. Ergo fortasse adsumenda est lectio Ed. min. a. 1472.

> *Spes fovet*, et semper cras fore *ait melius.*

Nullo modo. Nam ut in illa structura *melius*, ita

Spes alit agricolas; spes sulcis credit aratis
 Semina, quae magno fenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
 Quum tenues hamos abdidit ante cibus.

V. 24. Quom — arte.

in hac *semper* minus accurate praepositum, nec bene divulsum est ab *ait*, verbum autem *fore*, in quo haud dubie magna hoc loco vis inest, ita rursus collocatum vides, ut paene totum absorbeatur. Martialis V. 58.

> Cras te victurum, *cras* dicis, *Postume*, semper.
> *Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?*

Omnes veritatis numeros explet, sive librorum auctoritatem spectes, sive verborum collocationem, sive denique consuetudinem Tibulli, lectio Editionis principis, quam post tot annorum decursum sanissimo iudicio restituit Heynius,

> *Spes fovet et fore cras semper ait, melius.*

22. QUAE — FENORE REDDAT AGER] Lips. *femore reddit ager*. Etiam Voss. 5. *reddit*. Paris. *reddet*. Askew. interpretationem pronominis in contextu habet:

> *Semina quae* ut *magno foenore reddat ager*.

23. ARUNDINE] Ed. princ. Venet. 1475. Reg. Lep. *harundine*.

24. HAMOS ABDIDIT ANTE CIBUS] Lips. *hamos addidit an cibus*. id est, *ante*. quod in omnibus exstat libris scriptis editisque. Liber unus Broukhus. in margine *arte*. Mirum, nulli dum editori in mentem venisse, hoc reponere, illud repudiare. Nam res

Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesin spondet mihi; sed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, Deam!

V. 28. Heu. lenta.

ipsa loquitur. *Fallaces* etiam cibos hos vocat Ovidius. Nimirum homines isti, pro simplicitate sua, existimarunt, piscatorem hamos cibo *abdentem*, hoc ipsum *arte*, id est, *fraude* efficere, nec opus esse artem *arte* cumulare vel abdere. *Ante* Spes abdit cibo hamos, *quam* captat arundine pisces. Lepide Plinius Paneg. 43. *Nonne ut regum ita Caesarum munera illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos, aemulabantur? quum privatis facultatibus velut hausta et implicata retro secum, quidquid attigerant, referrent.* — Vicent. *amcs.*

27. NEMESIN] Omnes mei *Nemesim.*

28. HEI MIHI, NE VINCAS, DURA — DEAM] Lectionem *Heu mihi* nescio an primum Heynius intulerit. Ego in nulla ante eum curata editione invenio et, quod plus est, in nullo libro scripto. Paris. *Hey mihi*, id est *Hei mihi*, ut supra II. 1. 70. Lips. *Hei mihi.* Ita Edd. principes etc. Theodorus Marcilius apud Horatium Ep. XI. 7. corrigebat *Heu mi*, sive *Heu mihi* pro *Heu me*. Credo, ait Bentleius, quia alicubi apud Plautum sic editum est. Sed nihil mutandum. Recte. Ad extremum addit vir summus: Graeci tamen *οἴμοι* casu dativo efferunt. Mirum. Nonne etiam Latini scribunt *Hei mihi?* Immo perpetuo scribunt *Hei mihi*, *Heu me*. Libri meliores non variant, quin omnes con-

sentiunt apud Propertium I. 3. 38.

Languidus exactis,
hei mihi, *sideribus.*

IV. 1. 58.

Hei mihi, *quod nostro* est *parvus in ore sonus.*

IV. 8. 48.

Lanuvii ad portas,
hei mihi, *solus eram.*

Iidem constanter alibi exhibent *Heu*, exhibituri etiam, nisi fallor, *Heu me*, si hac formula usus esset Propertius. In Tibullo eadem constantia librarii et editores III. 6. 33. dederunt *Hei mihi*, nisi quod unus et alter expressit vitiosam lectionem *Si mihi.* At II. 1. 70. quaedam non magni momenti diversitas occurrit. Nam recte scribit Santenius ad Balbi El. III. p. 1801. *Heu mihi!* pro *Heu me!* unius Plautini loci auctoritate, an vitio, niti videtur. Nimirum in Milite Glor. IV. 8. 32. aliquando lectum fuisse *Heu mihi? nequeo, quin fleam,* liquet ex Vossio de Construct. c. 69. p. 272. (p. 468.) Gesnero Thes. v. *heu:* nescio, an propter mutilatum Cledonium p. 1875. 12. Sed audiendus Bentleius ad Horat. Epod. XI. 7. et reddendum *Hei* Balbo. — Pro *dura* Laudi liber *lenta.* Unus Stat. et Guelf. 2. *bella.* Voss. 3. *non* vincas *pura.* Hic igitur ad vulgatam lectionem nos remittit. At, inquit, lectio *lenta* pulchrior est per se, et quoniam versus 36. (ubi rursus *lenta* dicitur puella) huc pertinet, necessaria. Ego nec video, quid pulchri insit epitheto *lenta* prae epitheto *dura*, nec intelligo, quare talis puella dici simul nequeat *dura* et *lenta*, quae duo coniunctim etiam Propertius I. 15. 1 — 4. tribuit Cynthiae, eandem alibi nunc *lentam* appellans nunc *duram.* Ergo nec hoc loco per se necessaria est lectio *lenta.* At ita dicitur puella sensu morali, quae significatio minus expedita librariis partim peperit mendosam scripturam *bella,* partim interpretationem *dura*, quae e margine in textum irrepsit utroque loco. Verum ne monacho quidem accidere potuit, ut nesciret, quid sit *lenta* puella, nec quid *bella*, quae non est mendosa scriptura, sed per se satis bona, modo aeque loco conveniret ac *dura.* Nempe *dura* recte opponitur *facili*, quam spon-

Parce, per immatura tuae precor ossa sororis;
Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est; illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrimis;
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

debat Spes. Haec oppositio frequens. Livius XXVI. 15. Facilis *impetrandae veniae Claudius*, *Fulvii* durior *sententia erat.* Antonius apud Ciceronem ad Attic. XIV. 13. *quod si* duriorem te *eius miserae et afflictae fortunae* praebes, *non contendam ego adversus te — sed mehercule, si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis*, facilem *profecto* te praebebis. Accedo igitur Heynio, scribenti, lectionem *lenta* in hunc versum translatam esse e versu 56. Quid vero est *vincere deam?* Hic mihi vide Vossii interpretationem metricam, *deam* in *deos* vertentem et *vincere* in quod est *vincere.* Eget hic, ut saepe alibi, interpres interprete. Nempe dicunt Latini *spem alicuius vincere* pro *frustrari.* Cicero I. in Verr. 6. *et in sortitione* istius spem *fortuna populi Romani, et in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam* vicerat. Livius XXVII. 49. *Ea celerrima via mortis in tantae molis bellua inventa erat, ubi regendi* spem vicissent. Ergo *deam* Spem *vincere* est *promissa deae frustrari, spem fallere.*

51. ILLA MIHI SANCTA EST] Lips. *Illa* modo *sancta est.* Idem cum Edd. a. 1472. *sepulchro.* Vicent. et Reg. Lep. *sepulcro.*

52. SERTA FERAM LACRIMIS] Paris. *ferant.* Lips. et Ed. min. 1472. *serta feram.* Ed. mai. Ve-

Non feret usque suum te propter flere
clientem;
Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto;

net. 1475. et Reg. Lep. *serta gerat*. Vicent. *geram*. Omnes *lachrymis*, praeter Lips. qui *lachrimis* habet.

35. ET MEA CUM MUTO FATA QUERAR CINERE] Egregius locus idemque *tragico* poeta dignus, quem, mirum non est, tetigisse prae caeteris animum Heynii, subito ita scribentis, „illa v. 34. in ipsis praecordiis haerent. Quot autem esse putabimus miseros et aerumnis confectos, quorum aegritudinem hoc unum levat, quod cum cinere carissimorum fata sua queruntur! eaque una spe se sustinent, fore, ut paullo post sua ossa cum eorum ossibus sepulta quiescant!“ Hoc unicum est solatium Electrae apud Sophoclem. Nam ne frustra dixisse videar, locum *tragico* poeta dignum esse, statim subiiciam sententiam Electrae, quam Tibullus expressit, v. 1119.

ὦ ξεῖνε, δός νυν, πρὸς θεῶν, εἴπερ τόδε
κέκευθεν αὐτὸν τεῦχος, ἐς χεῖρας λαβεῖν,
ὅπως ἐμαυτὴν καὶ γένος τὸ πᾶν ὁμοῦ
ξὺν τῇδε κλαύσω κἀποδύρωμαι σποδῷ.

(Eadem hac se una spe sustentat v. 1165. fore, ut sua ossa cum Orestis ossibus sepulta quiescant.) *Queri cum aliquo* Latini vulgo dicunt pro *expostulare cum aliquo*. Livius XXXV. 8. questus est cum Patribus conscriptis, quod *tanto bello una secunda pugna tam feliciter perfecto, non esset habitus diis immortalibus honor*. Utrumque verbum coniunxit Cicero ad Famil. III. 10. Quererer tecum atque expostularem, *ni — purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te mallem*. Vide II. 3. 9. Sed *queri aliquid cum aliquo* eo nunc, quo Sophocles, modo ac sensu posuit Tibullus. Propertius I. 5. 43.

Interdum graviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras.

35. FLERE CLIENTEM]

Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Moestaque sopitae stet soror ante torum,

V. 37. nova.

Lips. *fere.* Unus liber apud Vossium *ferre.*

36. ILLIUS UT VERBIS SIS MIHI LENTA, VETO] Statius, Intelligi fortasse etiam possit, *tamquam illius verbis.* Existimavit igitur, posse etiam intelligi, *veto* ut *sis mihi lenta.* Quod Latinitati repugnat. Horatius II. Serm. 3. 187.

> Ne *quis humasse velit Aiacem, Atrida,* vetas *cur?*

Ergo supplendum est *veto,* ne *sis mihi lenta.* Horatius III. 2. 26.

> vetabo, *qui Cereris sacrum*
> *Volgarit arcanae, sub isdem*
> Sit *trabibus.*

Ald. 1515. Gryph. Plant. *dura.* quod nulla habet Editio antiqua. Recte Scaliger revocavit *lenta.* Unus Broukh. fortasse etiam unus et alter Stat. *dura.* Perperam, ut solet, Guyetus corrigit:

> *Illius verbis sis mihi lenta* peto.

57. NE — MITTANT MALA SOMNIA] Sic Ed. min. a. 1472. et Vicent. cum cod. Paris. *Non tibi* Ed. mai. Venet. 1475. et Reg. Lep. *Nam tibi* Brix. et Venett. 1491. 93. — Cod. Lips. *Nec tibi negleti — malla sompnia.* Broukhusius ex uno Stat. cui accedunt tres Voss. reposuit *nova somnia.* Sed *mala somnia* significantius dicuntur hoc loco, ut alibi *tristia* Virgil. V. Aen. 840. supra I. 5. 13. *saeva.* III. 4. 95. *crudelia* in *melius* vertenda. Homerus Od. *v.* 87.

> αὐτὰρ ἐμοὶ καὶ ὀνείρατ' ἐπέσσευεν κακὰ δαίμων.

58. MOESTAQUE — STET SOROR ANTE TORUM] Lips. *Mixtaque — thorum.* Vicent. *sospitae.* Deseruit Tibullus cum aliis poetis Latinis imaginem Homericam, qua *Somnia* dicun-

Qualis, ab excelsa praeceps delapsa fenestra,
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi.
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces.
Lena nocet nobis; ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu.

tur *stare super caput* dormientis, v. c. Il. β. 20. κ. 496.

κακὸν γὰρ ὄναρ κεφαλῆφιν ἐπέστη.

Quod sequitur Val. Flaccus IV. 24. At Ovidius III. Fast. 639.

Nox erat: ante torum *visa est* adstare *sororis*
Squallenti Dido sanguinolenta *coma.*

40. INFERNOS — LACUS] Ed. min. a. 1472. *infernas* — *lacus.*

41. DESINO] *Desine* duo Stat. Colb. et Ed. mai. a. 1472. Unus *Desinam.* Lips. *Des* modo *ne.* — Tibullus, ait Lennepius ad Ovidii Ep. XV. 52. uno tantum in loco a ratione Veterum deflexit — postremam in *desino* corripiens. Sed iam supra I. 6. 55. posuit *nescio* ultima correpta.

45. LENA VETAT MISERUM PHRYNE] Paris. Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *phirne.* Lips. *fyrne.* Ed. min. 1472. Venett. 1491. 93. et Aldd. *phyrne* vel *Phyrne.* Vicent. *furne.* Unde Muretus reformavit *Phryne.* Omnes hi libri cum multis aliis exhibent *uetat.* Aliquot libri Italici, quos Heinsius com-

Saepe ego, quum dominae dulces a limine duro
Agnosco voces, haec negat esse domi.
Saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat, aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis.

V. 47. quom. 49. *Omittitur* est. 51—53. Tum—tum. — Tum. — vivas.

paravit, *necat.* quae videtur esse emendatio Pontani, reposita a Broukhusio et Heynio. Sed Exc. Perreii et Pocchi, *Lena vetat miserum recipi.* Sane *Phrynes* hoc loco venit inexpectatum nomen. Nec obstat huic lectioni, quod quidam obiiciunt, conformatam eam esse ad versum Propertii II. 22. 48.

Quum recipi, quem non noverit illa, vetat.

Nam hic ipse versus interpolari potuit ex illo. Legunt ibi alii *putat.* Alii aliter. Theocritus similiter ut Tibullus XI. 67.

ἁ μάτηρ ἀδικεῖ με μόνα, καὶ μέμφομαι αὐτᾷ·
οὐδὲν πᾷ ποχ' ὅλως ποτὶ τὶν φίλον εἶπεν ὑπὲρ μεῦ.

47. A LIMINE DURO] Sic Edd. a. 1472. etc. Primum Ald. reposuit *diro.* quod habent Paris. et Lips.

49. SAEPE UBI NOX PROMISSA MIHI EST] Lips. cum nonnullis aliis libris, *Saepe ubi nox mihi promissa est.* Edd. omnes vulgatam structuram exprimunt, servato verbo *est,* quod aberat ab uno Broukhusii.

50. EXTIMUISSE] Tres libri apud Broukhusium et Askew. *pertimuisse.*

51. TUNC MORIOR CU-

Tunc tibi, lena, precor diras. Satis anxia vives,
Moverit e votis pars quotacunque Deos.

RIS, TUNC] Sic Paris. Lips. Ed. min. a. 1472. — *sed mens* Ed. mai. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. — *tunc mens mea* Venett. 1491. 93. Omnes Statiani *tum mens mihi*. Lips. pro *mihi* notam habet hanc ῤ *perdita*.

52. QUOT TENEATVE MODIS] Lips. *quod teneatve meam*. in margine mois. Ovidius II. Am. 8. 27.

Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypassi,
Narrabo dominae, quotque *quibusque* modis.

Iuvenalis VI. 406.

quibus verbis concumbat quaeque, modis quot.

53. TUNC — DIRAS — VIVAS] Hoc loco libri scripti, certe mei — nam Broukhusius tacet — veteris scripturae vestigia diligentius persecuti sunt, quam editi. Nam vulgatam, quam primum expressam reperio in Venett. 1491. 93. sic sine ulla varietatis nota exhibent Paris. et Lips.

Tunc tibi lena precor diras satis anxia vivas.

Ed. mai. a. 1472. Vicent. et Reg. Lep.

Tunc tibi lena precor dure *satis anxia uiuas.*

Huc accedit unus liber apud Vossium, qui *dire* habet. Ed. min. a. 1472.

Tunc tibi lena precor dira: *satis anxia uiuas.*

Quae est lectio unius item libri, memorati a Vossio. Sed mature, ut dixi, ad saniorem rationem redierunt editores. Qua spreta Heinsius emendavit *fati anxia* pro *satis anxia;* scilicet quia Silius Ital. IX. 450. hac formula usus est, vel etiam quia adverbium *satis* non bene adiectivo adiungi putavit. Nam sibi ipse obiicit locum Propertii I. 9. 25. *satis illa parata.* Postea suspicio incidit Hoeufftio Pericc. Crit. p. 222. et ante Hoefftium Valckenario ad Callima-

chi Eleg. Fragm. p. 145. (cuius libri non nisi posteriorem, retractatam a Luzacio, editionem tenemus) Tibullum non *vivas* scripsisse, sed *vives*. Ille haec scribit: „mallem — Broukhusius — sententiam versu maiore non absolvisset; cum minore rectius coniunxit Heynius; manifeste enim subintelligitur *si* in *moverit;* quo sensu videri posset poeta scripsisse *vives*." Hoc ab illo dubitanter positum, mihi prorsus nullam dubitationem habere videtur. Hoc exigit temporum consecutio, *si moverit, vives*, vel, *pars quotacunque* moverit, *vives;* alterum *si moverit, vivas*, merum est scripturae mendum. De modo omittendi coniunctionem *si* dixi supra ad II. 3. 79. Tibullus I. 6. 53.

Attigeris, labentur opes.

54. QUOTACUNQUE] Lips. *cotacunque*.

Specime

N am ciconumq
N on ualuit cyclop
C essit & ętnęę nep
V ncta maroneo
V exit & ęolios p
I ncultos adiit lę
N obilis artatię g
S olum nec doct
Q uanuis illa cer
A ptaq; uel cantu
C bimmerion e
Q uis nunq̃ can
S iue super terra
V idit ut inferni
M agna deum pi
Pretereuntq; cita
I llum tergemi
N ec scyllę sęuo
C um canibus r
N ec uiolenta su
V el si sublimis
V el si interrup
N on uiolata u
N on amor & f
F inis & error